


Page 387 missing


HISTORIÆ PONTIFICUM ROMANORUM ET S.R.E. CARDINALIUM.

VITÆ, ET RES GESTÆ
PONTIFICUM
ROMANORUM
ET
S. R. E. CARDINALIUM
A
CLEMENTE X.
USQUE
AD CLEMENTEM XII.
SCRIPTÆ
A MARIO GUARNACCI
IN ROMANA CURIA XII. VIRO SIGNATURÆ JUSTITIÆ,
ET SAC. CONGREGATIONIS FIRMANÆ A SECRETIS;
QUIBUS
PERDUCITUR AD NOSTRA HÆC TEMPORA HISTORIA EORUMDEM
AB
ALPHONSO CIACCONIO ORDINIS PRÆDICATORUM
ALIISQUE DESCRIPTA
A S. PETRO AD CLEMENTEM IX.

TOMUS PRIMUS.



Petrus Leo Ghezzius Inu. del. et Scul.



ROMÆ, MDCCLI.
Sumptibus VENANTII MONALDINI Bibliopolæ in via Curſus.

Ex Typographia JOANNIS BAPTISTÆ BERNABÒ, & JOSEPHI LAZZARINI.
PRÆSIDUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.



Romae ex Chalcographia R. C. A. apud Pedem Marmoreum



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.

MARIUS GUARNACCI
FELICITATEM.



UUM *Christianam Rempublicam* BEATISSIME PATER *inexhaustis ornes laboribus, legibus, & scriptis saluberrimis emendes, eamque humeris fermè tuis sustineas; Mirum profectò*

ctò cæteris videtur mortalibus, quod inter tot vigilias, quibus sic tempora, & momenta moderaris, ut nihil vacuum in vitæ decursu maneat, alios etiam exemplo tuo, tum ad agendum, tum ad scribendum impellas. Instaurata siquidem moribus, scriptisque tuis veteri Ecclesiæ disciplina, summa ope nixus es, ne quid Sacri Canones, ne quid Ecclesiastica Historia, lucis aut veritatis desideraret. Aliis alia propterea demandatâ provinciâ, hanc jamdiu intermissam Ecclesiasticæ Historiæ partem mihi absolvendam decrevisti. Hoc unum mihi itaque optandum superest Beatissime Pater, *ut nec Te imperii, nec me pœniteat obsequii. In Magistratibus enim, quos gero beneficio tuo, & inter Fori molestias vereor, ne plura exciderint minime probanda Tibi, qui grandia dumtaxat, & promoves, & facis. Pontifex non solum Titulis, non imaginibus, aut signis verè maximus, sed modestia, mansuetudine, sapientia, ac labore. Qui nil cuiquam adimis nisi peccandi licentiam; Qui nil nisi illam Vestem de Pontificia dignitate detraxisti, plurimum vero majestatis, & gloriæ eidem dignitati reddidisti. Nihil utilitatibus, commodisque tuis, nihil Sanguini tribuendum censuisti. Adeo propositi tenax, ut licet munificus naturâ sis, atque in Te misericordia sponte prorumpat; soli tamen affines tui a Pontificia largitate*

sint

ſint remoti. Sic tuâ fretus ſeveritate, ac virtute adeo valida memorabilium operum tuorum fundamenta jeciſti, ut in commune dumtaxat bonum ſollicitudines tuas contuleris, & Orbem ferè univerſum beneficiis tuis impleveris. Neque enim ea tantum dona nobis commemoranda ſunt, quæ emergunt quotidie, atque oculis omnium noſtrum obverſantur. Quod ſcilicèt Urbem ampliſſimam maximis ædificiis ornaveris, quod Templa erexeris, quod vias ſtraveris, annonam laxaveris, Ærarium Cameræ Apoſtolicæ amplificaveris; Quod ſervatis venerandæ Antiquitatis monumentis, nova in dies, eaque admiranda adjeceris; Quod denique inter armorum ſtrepitus, quibus Italia cuncta tenebatur, & inter belli licentiam, atque in iterato tranſitu militum exterorum, pacem Ditioni Eccleſiaſticæ ſartam, tectamque ſervaveris. Hæc licet grandia ſint, majora tamen beneficia mentibus hærent mortalium, eaque memoriâ recolimus ſempiternâ. Flectere enim animos, mores immutare, Urbem Sanctam efficere, multitudinem Peregrinorum penè incredibilem hoc ſolemnis expiationis anno Romam advocare, atque ubique prælucere exemplo, & virtute; Hæc maxima, hæc Sanctitatis Tuæ *propria ſunt dona. Non ore tantum, & voce, & prudenti imperio populi Tibi crediti commoda promoves; Sed calamo etiam, & ſcripto,*

pto, & consilio juvisti absentes, & longo Terrarum intervallo disjunctos. Divini, humanique Juris consultissimus, non Italiam dumtaxat Dogmata veræ fidei docuisti, sed etiam extra septa Italiæ, & ad omnes Christiani Orbis partes sollicitudines tuas traduxisti; Tuisque Apostolicis Diplomatibus, ac doctissimis voluminibus in vulgus editis, adeo amplificandæ Religioni studuisti, ut etiam apud hostes Catholici Nominis vera Fides quasi semiviva resurgat, & moveat lacertos. Majori saltem studio Pontificiam Majestatem suspiciunt, & colunt; Insidetque eorum animis dudum de Te concepta existimatio, palamque sentiunt quid vera Sapientia, quid summa Pietas possit. Quin etiam Sinenses, Indosque Orientales marium, terrarumque immani spatio remotos, paternæ caritatis vinculis complexus es. Et quoniam maxime dolebas per Te ipsum tam longum iter maturare non posse; Tuâ ipse voce strenuos verbi Dei Præcones ad eos missos docuisti, quos tandem ritus Christianus ille Populus vitare, quos tuto servare potuisset. Fortissimi illi Atlethæ Evangelium confitentes, ac sanguinem fundentes suum, nuper pro Christo gloriosissime occubuerunt. Quo quisque ex Christianis Tibi est remotior, eo validiori conatu illi ades Adjutor, ejusque discrimina, & querelas propria credis dispendia. Ut Fratres tuos in Fide confirmes

quæ

quæ numquam in Te eſt defutura, *ſingulis Catholici Orbis Epiſcopis reſcribis aſſidue, & pro re natâ graviſſimas controverſias dirimere, eiſque tum ad agendum, tum ad docendum invictâ animi conſtantiâ ſoles anteire. Te omnium premunt anguſtiæ, Te Eccleſiæ univerſæ, Te omnium mala circumſtant, Tibi temporum calamitates obverſantur. Omnia igitur ſunt excitanda Tibi virtutis exempla. Inſtauranda virtus, propaganda Fides, & quæ jacere ſentis, quæ profligata vides gliſcente Religionis contemptu, atque inſanâ hujuſce ætatis licentiâ, omnia ſanctiſſimis legibus vincienda ſunt. Perge, exequere, quæ cœpiſti, Sapientiæ, & Magnanimitatis Conſilia. Et quoniam tam multa, tam grandia feliciter inchoata, felicius etiam ſunt abſolvenda; Tibi omnium votis, Tibi Divinâ Providentiâ diutiſſimum adhuc ſupereſt Imperium.*



PRÆFATIO.



ITAS præſtantium Hominum enarrare, atque ita Hiſtorias componere optimi Græcorum, Latinorumque Scriptores veteri conſuetudine inſtituerunt. Id Plutarchus, id Svetonius, Corneliuſque Nepos, aliique præſtiterunt. Quin etiam Euſebius (*a*) acta Martyrum, non tantum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſuæ intexuit, ſed & ſeparatim alio opere edidit. Et S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſive de Viris illuſtribus egit luculentiſſime. Mos iſte Sacris, profaniſque Scriptoribus conſtantiſſime probatus, Alphonſo etiam Ciacconio invaluit viro egregio, qui Vitas Summorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium adornavit. Illiuſque exemplum ſequuti Vitorellus, Aleander, Vvaddingus, Oldoinus, aliique eximium opus abſolverunt, & Pontificiam Hiſtoriam uſque ad Clementem IX. produxerunt. Ex eo tempore intermiſſum opus

(*a*) Hoc opus ipſe *τὴν τῶν μαρτύρων συναγωγὴν Martyrum collectionem* vocat lib.5. cap.1. = *τῆς μὲν περὶ τούτου ἐντελεστάτης ὑφηγήσεως τὸ πᾶν σύγγραμμα τῇ τῶν μαρτύρων ἡμῖν κατατέτακται συναγωγῇ* = *accuratiſſimam de his continens narrationem libellus Martyrum collectioni inſertus eſt a nobis.* =

attigerunt pauci, univerſim vero, atque in hunc ordinem diſpoſitum, tractavit hactenus nemo.

Hoc mihi demandatum negotium, & Spartam, quam nactus ſum, pro viribus ornavi. Et licet brevitati, & ſtili facilitati ſtuduerim, inceptum tamen opus ſuapte veluti naturâ excrevit. Plenius enim ea narramus, quæ nuper evenerunt, atque oculis fermè noſtris ſunt obverſata, quam quæ longo remota intervallo minus explorata didicimus. Et quamquam inutilia, & parva quædam rejecerim, & rudis in hoc opere magnis exemplis adhæſerim Cornelii Nepotis, aliorumque, qui in hoc ſcribendi genere maximè claruerunt; Plura tamen moleſta, ac minima vitare non potui, quæ mihi ex inſtituto narranda, atque in unoquoque Pontifice, & Cardinali ſæpius erant repetenda; Scilicèt quibus ſtudiis unuſquiſque adoleverit, quos Magiſtratus obiverit, quas cauſas egerit, aliaque id generis, quæ injucunda legenti obvenient; Præſertim dum quorumdam geſta percenſeo, quos nulla tenet nominis celebritas, niſi quæ ex adeptâ dignitate iis obtigit; Vel eorum, quibus dormientibus ipſæ dignitates deferuntur.

Magna itaque Scriptorum exempla, quæ mihi imitanda propoſui, pauci fortaſſe erunt, qui ſentiant, vel internoſcant. Maximè enim differunt inter ſe præclara facinora, bella, & triumphi, quæ ab iis commemorantur, a pacis artibus, ab otio nedum literario, ſed quandoque etiam inerti, ac languido, quod mihi contigit enarrandum. Cautè propterea alienos mores ad meos retuli, ne pictor imprudens, ac rudis humano capiti cervicem jungerem equinam.

Hæc jure præmittenda cenſui, veniam ex iis non laudem quærens; Et ut aliqua in me miſeratione Lectoris mentem permoveam, ſi horridula interdum, atque incompta ſcripta hæc mea videbuntur.

Id ipſum ſpeciminis loco ſit, quo ſtudio eruendæ veritati animum adjecerim. Ad hanc enim inveſtigandam Archiva luſtravi tum publica tum privata, Anecdota quæſivi, & apud exteras nationes cum Viris eruditione, & authoritate præſtantibus commercium Epiſtolarum inſtitui. Papæ etiam indulgentiâ Acta Conſiſtorialia, & Præfecti Pontificiis Cæremoniis commentarios evolvi. Nulli peperci ſumptui, ac labori, ne cuiquam vera laus a me detracta, neque falſa afficta videretur. Nil intentatum relìqui, ne quid falſi auderem, ne quid veri prætermitterem. Rariora etiam Numiſmata adjeci, quæ in quolibet Pontificatu ſunt cu-

ſa.

ſa. Solam addidi epigraphen, breveſque notas, ut ad ea explicanda, quæ jampridem narraveram, videbatur oportere. Cæterum qui rem plenius expoſitam deſiderat, adeat cl: Virum *Rodulphinum Venuti*, qui auctis, emendatiſque *Bonannio*, aliiſque proximè prioris ævi Scriptoribus, numiſmata Pontificia ſcitè, ac copiosè recenſet.

Sed quoniam de his potiſſimum temporibus mihi ſermo eſt inſtitutus, in quibus ab optimis Pontificibus Chriſtiana Reſpublica piiſſimè adminiſtratur; mirum hinc minimè erit, ſi non arte, ſed ex ipsâ rerum geſtarum narratione, & veluti ſponte ſuâ ſincera in iis emergit laudatio. Ipſi enim Acatholici Authores, quibus lux aliqua Juſtitiæ aut veritatis affulget, non ſemel fatentur noſtra hæc tempora optimos habere Pontifices, optimoſque ut plurimum ab iis gigni Cardinales, & vel Religionis, vel æquitatis ſtudio, vel eruditionis commendatione maximè laudandos. Aliorum propterea mendacia negligenda cenſui, qui Vatiniano fermè odio a Romana Sede diſſidentes, convicia rationibus anteponunt, opellas, & maledica ſcripta in vulgus edunt. Hujuſmodi præſertim mercibus abundat liber quidam anonymus in quinque volumina digeſtus, qui recens prodiit, & qui vitas Summorum Pontificum Gallicè ſcriptas uſque ad *Benedictum XIII.* producit. *(a)* Quam procul abeſt a vero? Quo flagrat adverſo ſtudio, ut obſoletas hæreticorum opiniones inſtauret, quæ jam diuturnitate temporis, & propriâ infirmitate extabuerunt? Nomina ipſa ignorat quorumdam Romanæ Curiæ Magiſtratuum, quos tamen falſis criminationibus exagitat.

Neſcio quæ fides, quæve Religio hujuſmodi genus hominum teneat. Nulla tamen Religio patitur cæterorum contemptum, atque homines veluti ab humano genere abſciſſos. Eò temeritatis hac noſtrâ ætate ventum eſt, ut nihil fermè ſit in ipsâ Religione Chriſtianâ, quod non vel privatim, vel publicè in dubium vocetur. Et quæ per multa retro Sæcula, & ab ipſis Eccleſiæ primordiis ubique fuerunt recepta Dogmata, in diſcrimen habeantur. Et quo magis novitati, atque ingenio ſuo unuſquiſque nimium indulget, magis Romanorum Pontificum Decretis obſiſtere, nova jactare lumina, & majora Spiritus Sancti dona audet ſimulare. Hæc fuit, hæc eſt, eritque ſemper iſtorum Nebulonum querimonia; *everſos eſſe mores*, *regnare nequitiam*, *mundum in deterius labi*. Et ſic quaſi fraus prævaleat veritati, & garrulitas innocentiæ,

(a) Titulum habet = *Hiſtoire des Papes depuis S. Pierre juſque à Benoit XIII. à la Haye* 1732.

tiæ, exitiofos invehunt mores, & firma Religionis fundamenta convellunt.

Hos nec refellere nominatim; nec eorum fcripta diluere ulla mihi inceffit follicitudo. Hiftorici enim exequor partes, non cenforis, aut magiftri difciplinæ. Nec tenuitati meæ, nec inftituti rationi confonum cenfui fæpè mulierum ritu altercari, aliifque in aurem garrire. Hæc eadem me impulit cauffa, ut nec etiam Catholicos Scriptores reprehenderim de hac re tractantes, nec femel a veritate aberrantes; Sic *Joannem Palatium*, qui Faftos Cardinalium ufque ad Innocentium XII. eft profequutus; fic *Georgium ab Eggs* in fua *Purpura docta*, illiufque, quod prodiit non ita pridem *fupplemento*, aliofque vel perperam loquentes, vel profufis, fictifque laudibus abundantes, nec corripere in fermone, nec ad bonam frugem perducere æquum effe exiftimavi. Nec enim decebat cenforiâ animadverfione, atque authoritate perpetuo intumefcere. Cæterum fi quæ facta ab iis diverfimode narrantur, quam a me fint expofita, ea uti falfa, & fine idoneis probationibus efficta, rejicio, ac prorfus contemnenda puto.

Nec veritas rerum a me Scriptarum jure obumbranda erit ex Codice aliquo manufcripto, qui forte inpofterum emergat. Plura enim, ut ajebam anecdota, & vidi, & expendi. Plura tamen in iis vel fufpecta, vel ultra fidem amplificata omittenda, vel negligenda putavi. Sedulo enim eft perpendendus Codex aliquis, qui nuper prodeat, & quanti valeat æftimandus. Nec æquum eft, ut quod fuo ævo lucem odit, inpofterum debeat effe veritatis exemplar. Et tamen fi quis ftudium, diligentiamque meam ulterius perftringat -*fincerâ* [*ut Cicero ajebat* (a)] *fide & refellere fine pertinaciâ, & refelli fine iracundiâ parati fumus*. -


IM-

(a) *Cicero Tufculanar.* lib. 2.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopol. Viceſg.



APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI THOMÆ AUGUSTINI RICCHINI

Ordinis Prædicatorum, & Sacræ Congregationis Indicis à Secretis.

QUOD Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ bono atque incremento jamdiu expetebatur, ut Romanorum Pontificum, & Cardinalium Hiſtoria à Cl: Ciacconio inſtituta ad hæc uſque tempora deduceretur, id naviter cumulateque præſtitit ampliſſimus Præſul atque hujus operis Auctor clariſſimus. Quantum in eo adornando contentionis, curæ, ac laboris exhauſerit ex ipſa rerum, geſtorumque varietate, numero, ac gravitate æqui bonique æſtimatores facilè ſtatuent. Nam cum Hiſtoriam ſcribere difficile admodum, operoſumque ſit, tum recentiora contrectare, ac de Viris Principibus, pleriſque vero adhuc viventibus dicere ſalebroſum, aleæque plenum; qui Auctoris conſilium, induſtriam, diligentiam, fidem reputaverit, æquiſſimum feret de ſuſcepto abſolutoque eximio labore judicium. Ego certe ſic exiſtimo, non ſolum Religioni, & caſtis moribus detrimentum nullum, ſed rei litterariæ atque eccleſiaſticæ commodi plurimum atque emolumenti allaturum: Fidem præterea traditum opus facturum non deſiderari apud Romanæ Sedis Scriptores, quæ laus Hiſtoriæ præcipua eſt, veritatis ſtudium, candoremque animi ab omni fuco & ſuſpicione gratiæ, vel ſimultatis alieni. Eapropter nihil impedimento fore cenſeo quominus publicam lucem ſubire valeat, atque eruditorum judicia.

Datum Romæ ex Ædibus Minervitanis XI. Kal. Decembris MDCCL.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinus Ordinis Prædicatorum Sac. Indicis Congregationis à Secretis.

AP-

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI DOMINI
JOSEPHI ALOYSII ASSEMANI

Linguæ Syro-Caldaicæ, necnon Institutionum Ecclesiasticarum in Romano Archyliceo Professoris.

CELEBRATISSIMUM Cl: *Alphonsi Ciacconii* opus ab aliis Cl: Viris continuatum quatuor ingentia impleverat volumina ; Ast Reipublicæ Litterariæ desiderio nondum fuerat satisfactum , quum in Clementis IX. Summi Pontificis ætatem desierit . Quare hoc omnium constans fuit votum, ut tale tantumque opus perficeret quis, & ad nostram hanc perduceret ætatem . Hanc spartam aleæ plenam, quæque hominem undequaque integrum requirebat, BENEDICTO XIV. Sapientissimo Pontifice demandante, Illmus , & Rmus *Marius Guarnaccius* Præsul amplissimus Sacrâ , profanaque doctrinâ præstans, adornandam suscepit ; atque duobus ingentibus voluminibus Pontificum, & Cardinalium S. R. E. Historiam contexuit. Quam jussu Rmi Patris *Josephi Augustini Orsi S. P. A. M.* maxima cum animi voluptate perlegi; nihilque in ea offendi, quod Fidei Catholicæ Decretis , vel Christianorum morum regulis adversetur . Quin & omnia ita comparata deprehendi, ut & Authoris singularem modestiam ubique prodant , eximiam eruditionem , incomparabilem in rerum indagatione, & perquisitione diligentiam , summam in disponenda Historia felicitatem , grave, subactumque judicium , incorruptam fidem , nullis fucatam coloribus veritatem, justitiam qua cuique laus sua tribuitur, charitatem, qua vitia operiuntur sine Religionis , vel sinceritatis læsione , elegantem , simplicemque in scribendo stylum . Uno verbo quas dotes exigit , vel desiderat Historia , eas omnes mutuo innexas demiratus sum , adeout nec Ciacconius, nec alii desiderandi nobis sint ; quandoquidem eximius Scriptor ita Historiam digessit, ut suam perfectionem, absolutionemque consecuta videatur ; veluti solet contingere in Physicis, Moralibusque rebus, quæ suum ortum sortiuntur, augumentum, & perfectionem.

Datum Romæ ex Archigymnasio Romanæ Sapientiæ die XX. Decembris MDCCL.

Josephus Aloysius Assemani.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX.
SUMMORUM PONTIFICUM
In his duobus Voluminibus contentorum.

INDEX.
NOMINUM
S.R.E. CARDINALIUM,
Qui in his duobus Voluminibus continentur.

A

B

C

D

E

F

Fran-

INDEX.
COGNOMINUM
S. R. E. CARDINALIUM,
Qui in his duobus Voluminibus continentur.

A

B

C

Cor-

Ni-

O

P

Q

R

S

T

V

Z

IN-

INDEX.
PONTIFICUM,
ET S. R. E. CARDINALIUM,

Qui in hisce duobus Voluminibus continentur, & qui ex Universis Orbis nationibus assumpti sunt.

Mar-

INDEX.

RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ in hac Historia Summorum Pontificum, & S.R.E. Cardinalium continentur.

A

B

C

Ca-

Ca-

Nea-

L

M

N

O

P

Dis-

Be-

MENDA,

Quæ in edendis hisce duobus Voluminibus Typographorum incuria irrepserunt.

TOMO PRIMO.

	ERRATA	CORRIGE
pag. 13. vers. 1	Matritum	Matriti quum
pag. 43. vers. 35.	primæ nostræ	prima nostræ
pag. 107. vers. 14.	debeat	debebat
pag. 110. vers. 16.	aliisque	aliique
pag. 112. vers. 46.	Ecclesiæ a Gallicanâ	Ecclesiâ Gallicanâ
pag. 112. vers. 51.	Spiritus Dei	Spiritu Dei
pag. 113. in annot. litt. A.	ex Thesibus	ex testibus
pag. 208. vers. 19.	Cardinalatus	Cardinalatui
pag. 308. numis 25. vers. 40.	Ora	Ara
pag. 325. vers. 30.	Supplex	Supellex
pag. 325. vers. ultimo	Urbinus	Urbinas

TOMO SECUNDO.

pag. 58. vers. 6.	eidem	idem
pag. 229. vers. 26	non nongentis	nongentis
pag. 245. vers. 9.	ut Supremo	ut eum Supremo
pag. 469. vers. 61.	exeverat	exuerat
pag. 470. vers. 31.	Romano Pontificem	Romanum Pontificem
pag. 470. vers. 49.	Carnuti	Carnoti
pag. 524.	*Quarta Cardinalium*	*Octava Cardinalium*
pag. 582. vers. 38.	Comitem de Riviera	Comitem de Rivera
pag. 684. vers. 15.	Quæsitoris	Quæstoris
pag. 738. vers. 3.	eorum	earum
pag. 761. vers. 2.	Ærarii	Præfecti Ærarii
d. pag. 761. vers. 7.	Ærarius	Præfectus Ærarius




CLEMENS X. ALTERIVS ROM.
PONTIFEX MAXIMVS.
CREATVS DIE XXIX. APRILIS MDCLXX.
Obijt die 22 July 1676
Bernar Baliu Sculp. Io. Iacob de Rubeis formis Romæ ad Temp. Pacis cum Priuil. Sum Pontif.



CLEMENS X.

PONTIFEX CCXLIII.

ANNO DOMINI 1670. LEOPOLDO I. ROMANORUM IMPERATORE.



MORTUO Clementi IX. Die nona Decembris Anni 1669. justa de more Novemdialia acta sunt. Die vero 20. ejusdem Mensis Re Divina ad invocandum Spiritus Sancti præsidium absoluta, habitaque Oratione de novo eligendo Pontifice, Cardinales Vaticanum Conclave ingressi sunt.

Conclave Clementis X.

Distractæ Patrum sententiæ, & plurium, qui aderant, Cardinalium per ætatem, & per Magistratus optimè gestos merita, grave Pontificiæ Electionis negocium diutius protrahebant: Ipsaque Partium studia huic tam sancto, & omni Terrarum Orbe tam expectato Judicio obsistebant; sua quisque fretus fiducia suis votis obsequebatur; Donec fracti animo diffidentes Patres, concordi voto hominem quærunt, qui christianis virtutibus cæteros anteiret, quique nullis contentionum affectibus distineretur.

Electio Æmilii Cardinalis Altierii.

Facili negocio in *Æmilium* Cardinalem *Altierium* unanimi Patrum consensione itum est, qui mox in ultimis sui Pontificatus diebus Purpura donatus fuerat ab Antecessore *Clemente IX.*, quique nondum Titulum Cardinalatui adnexum, nec Purpurei Galeri signum nactus fuerat.

Ut Clemens IX. prædixerat.

Ferunt etiam nonnulli authores ipsum *Clementem nonum* morti proximum, atque in lectulo jacentem, inter plurimos Cardinales ad se accitos, ut illis Ecclesiæ Statum, conditionemque commendaret, in *Altierium* oculos seriò convertisse, & religiosæ, aut præsagæ mentis instinctu, eum sibi fore successurum in Apostolica Sede prænunciasse.

Origo, & Dotes Clementis X.

Vir erat *Altierius* præclara nobilitate præditus, insigni etiam pietate, & ut ea ferebant tempora, doctrina quoque non vulgari. Natus est die 13. Julii Anni 1590. ex *Laurentio Altierio* Patricio Romano, ac *Victoria Delphinia* Patricia itidem Veneta, quæ fuit soror *Flaminii Delphinii* militari gloria in Belgio, aliisque Provinciis celeberrimi; cujus effigiem Romanus Populus in ædibus Capitolinis sequenti decoravit Epigraphe.

FLAMINIO DELPHINIO
MILITARIBVS ET IMPERATORIIS ARTIBVS
MAGISTERIO EQVITVM DVCTV EXERCITVVM
REBVS PRÆCLARE GESTIS DOMI FORISQVE
CLARISSIMO
POST FVNVS PVBLICO ÆRE LVCTVQVE
CELEBRATVM
S. P. Q. R.
CIVI OPTIMO
MDCV.

Æmilius fratrem habuit *Joanem Baptistam Altierium* ab Urbano VIII. inter Cardinales adscriptum, qui maximis enituit virtutibus; Quique cum suis fratribus Paternas aedes in antiquo *Altieriorum* Foro, quod nunc ab Ecclesia sub *Jesus* invocatione ædificata *Platea Jesus* vocatur, in meliorem amplioremque formam extruxit.

Magistratus a Clemente X. gesti, dum esset in minoribus.

Huic igitur Avitæ Generis nobilitati, ex qua ortum habuit *Æmilius*, parem sortitus est educationem. Feliciter enim posito literarum Tyrocinio ad publicam arenam descendit, & sub *Innocentio X.*, qui tunc erat *XII. Vir*, Ro-

manæ Rotæ Jurisprudentiæ sedulo incubuit; & qui successor postea futurus erat Imperii; particeps eius sapientiæ effectus fuit; nunquam tamen particeps ejus amicitiæ: Imò in Pontificatu ipsius *Innocentii* plures calamitates tulit *Æmilius*, & tota *Altieria* domus. Mox inter Præsules adscriptus gravi, lentoque gressu varios obivit Magistratus, & ad ardua tum Aulæ, tum Ecclesiæ negocia ab aliis Pontificibus promotus fuit ipse, qui postea ab omnibus erat Pontifex approbandus. Primum munus in Pontificatu Urbani VIII. obivit in Polonia. Illuc sequutus fuit *Joannem Baptistam Lancellottum*, qui Officio Nuncii Apostolici strenuè fungebatur. Et sub eo universæ Legationis Assessor renunciatus, plura præstitit sedulâ rei sacræ procuratione, maximâque prudentiâ.

Reversus inde in Italiam ad *Camerini* Episcopatum admotus fuit, quem frater ejus *Joannes Baptista* natu major, dum inter Cardinales adscriptus fuit, resignaverat; Et quum plura in Episcopatu ediderit pietatis, virtutisque specimina, novâ auctus fuit Præfectura Lauretanæ Domus, deindè etiam universum Picenum administravit, majori, publicaque utilitate rependens diuturnam ab Episcopatu absentiam. Vix Camertium Ecclesiæ restitutum aliò divertere coegit misera temporum conditio, & Pontificiæ Ditionis necessitas. Laborabant Ravennates solita aquarum inundatione. Urbanus VIII., qui plurimi *Altierium* faciebat, illuc eum admovit; Isque excitatis aggeribus, effossisque canalibus uber miseris Civibus solum restituit.

Succedente in Pontificatu *Innocentio X.* Neapolim Nuncius Apostolicus est delegatus; quod munus ipse quoque *Innocentius*, dum in minoribus esset, obiverat. Maximis ea Tempestate agitabatur intestinis motibus Neapolitana Civitas, & aperta Plebis defectio sub Duce Plebejo, ac furente, qui sub celebri *Masanielli* nomine recensetur, omnia miserè perturbabat. Et licet *Altierius* maxima integritate per octo annos officio functus fuerit, atque inter civiles tumultus mira velificandi dexteritate, nullam declinans in partem, pacis vel auctor, vel suasor extiterit; tamen infelici actus temporum conditione, concessa nedum dignitate orbatus fuit, sed bonis etiam spoliatus Avitis, unicum Fratrem superstitem in hac calamitate irretitum, ita dolore affecit, ut vitam amiserit, tres tantum filias relinquens. Mortuo tamen *Innocentio X.* ab ejus Successore *Alexandro VII.* Sacræ Episcoporum, & Regularium Congregationis à Secretis fuit renunciatus; Sed Purpuram tamdiù dilatam, atque emeritam *Clemens IX.* Alexandro suffectus, qui prius illum Pontificio cubiculo præfecerat, ultro illi concessit in ultimo Purpuratorum Patrum delectu; atque in extremis laborans, divinisque meditationibus intentus, inter Cardinales adscripsit die 26. Novembris Anni 1669.

A Quum igitur ardua quæque munera totque Magistratus piè, strenueque expleverit *Altierius*, nil mirum si post quatuor mensium dissidia, nedum Purpuratorum Patrum, sed etiam Populi gestientis voce Pontifex est pronunciatus. Oblatam tamen Dignitatem modesto, constantique animo recusavit; & tamdiu restitit monitis, atque increpationibus totius Senatus, excusationem implorans infirmæ valetudinis, ætatisque octogenariæ, donec Theologorum consilio admonitus, concordi huic B Cardinalium Judicio, atque apertæ Dei voluntati obtemperandum esse intellexit.

Electus in Summum Pontificem die 29. Aprilis 1670., expectanti Populo conclamatus est sub nomine *Clementis X.*, quod in memoriam Antecessoris, & Creatoris sui ultro selegerat. Die undecima Maii coronatus fuit. Deindè solemni pompa, & magna stipante Principum, & Cardinalium turba, sed majore Populi lætitia ad Lateranensem Basilicam accessit, ut Romani Episcopatus de more posC sessionem assumeret: Qua occasione, ut præconceptam animo felicium eventuum spem Senatus, Populusque Romanus exprimeret, nummum percussit cum effigie Beatorum Petri, & Pauli, & cum Epigraphe olim Vespasiano dicata = *Roma resurgens* =

Initia sui Pontificatus.

Primis sui Pontificatus initiis solemne indixit Jubilæum, ut Christi fideles excitaret ad opem Cælestem impetrandam ejus futuro regimini; Literisque sua manu conscriptis Reges omnes Catholicos certiores fecit de ejus facta D electione: Et ut veterem renovaret Ecclesiæ disciplinam, Canones confirmavit antiquos, præcipuè de Monialium Clausura, de Privilegiis favore invisentium Loca Sacra Hyerusalem, & Terram Sanctam incolentium, (*a*) aliaque in Religionis incrementum pietatis officia diffudit per Orbem fere universum, ut ejus piæ sanctiones, & Decretales sparsim in Bullario visendæ declarant.

Eius Curæ in Regimine Temporali.

Ad Regimen etiam Pontificiæ Ditionis conversus, evexit ad munus Secretarii Status E Cardinalem *Palutium Albertonum*, quem etiam Legatum dixit Avenionensem. Hunc Cardinalem antequam *Altierius* Pontifex efficeretur, quia Agnatos natura negaverat, ne prænobilis Familia periret, in Nepotem adoptavit nomine, & Insignibus collatis Altieriæ Gentis. Mox verò ad Apostolatum elatus, *Gasparem Palutium ex Angelo* Fratre ejusdem Cardinalis Nepotem, cui Gaspari jamdiu nupserat *Laura Catharina Altieria* Neptis Pontificis, Nepotem suum declaravit; eique nedum totum F prædivitis Familiæ Censum contulit, sed Generalatum etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Præfecturam Triremium, & alteram Sancti Angeli Præfecturam attribuit.

Ludovica altera Neptis Pontificis nupta fuit *Dominico Ursino* secundo genito, & *Duci Gravinæ*; Quia *Vincentius Ursinus* natu major so-

lo

(*a*) Bulla Clementis X., quæ incipit -- *Piis Christi fidelium* -- & Bulla -- *Quum inscrutabilis*.

lo Religionis amore eidem Fratri suo Principatu relignato, Ordinem Sancti Dominici Professus fuerat. Hic per occultas Divinæ Providentiæ semitas, quo magis hujus Mundi fumum, & opes aversabatur, primum ad Cardinalatum, deinde ad Cesenatensem, Sipontinum, & ad Beneventanum Archiepiscopatum, & postremo ad ipsam Supremam Pontificiam Dignitatem humilis reluctansque perductus fuit, ut inferius notabimus.

Anna Maria demum Altieria, & ipsa Neptis Pontificis nupsit *Ægidio Columnæ* Duci Anticolensi, quem dicunt *de Carboniano*. Cardinalis interea *Palutius* sub nomine Cardinalis Patroni humanis divinisque rebus dominabatur.

Regaliarum disputatio in Gallia.

Sub hoc Pontifice agi cæperunt in Gallia Disputationes illæ, quæ postea sub Successore *Innocentio XI.* magis recruduerunt, & quæ sub nomine *Regaliarum* diù utramque partem divexarunt. Etenim contendebat Rex ad se pertinere quædam Bona, imo, & Beneficia Ecclesiastica Episcopatibus, & Monasteriis adnexa, præsertim tempore vacationis Episcopatuum, & Monasteriorum, quæque à Regali beneficentia profectitia dicebantur. Sed cura Episcoporum *Apamiensis*, & *Electensis*, consilia pacis injecta sunt.

Sed opera quorundam Episcoporum consopita.

Immanitatem Oratorum Principum reprimit.

Immunitatem, qua Principum Oratores potiebantur in introductione Victualium, aliarumque rerum in Urbem, juxta Juris Gentium Sanctionem continuit, ac reduxit, nequidquam renitentibus iisdem Oratoribus.

Cæsari opem fert in Ungaria.

In Ungaria etiam Civiles motus, & Protestantium, & Rebellium conatus, Augustæ Domus Austriacæ auxiliator repressit.

Oratorem Moscoviæ re infecta dimittit.

Ducis Moscoviæ Oratorem Romam missum Anno 1673. pro ineundo contra Turcas fædere cum Principibus Christianis parum libenter excepit. Imò cum Moscus tumidus, & speciosis plenus nominibus, Titulo Cæsaris salutari contenderet Dominum suum, præter dona, & lautitia generosè à Pontifice collata, vacuus rediit etiam responso. Polonis tamen immani bello pressis à Turcis, & à Rebellibus Hungariæ secum conspirantibus, magnam auri vim *Clemens* suppetias misit: Decimam etiam Clero imposuit Italiæ; adeout Sarmatæ his opibus excitati insignem Anno 1674. de immani hoste victoriam retulerint; *Cocimo*, aliisque expugnatis Oppidis, & cæsis insuper XXX. Turcarum millibus, cujus rei Pontifex memoriam propagavit in nummo, quem percussit cum Epigraphe = *Turcarum signa à Polonis relata* = Pacem insuper inter Cæsarem Hispano junctum Regi, & Gallos cum Episcopo Monasteriensi, & Electore Coloniensi fæderatos adversus Batavos componere conatus est, sed frustra. Lusitaniæ Regis Oratorem inter alios Regios administros primus admisit, quod nusquam ab Anno 1640., quo ejectis Castellanis *Joannes IV.* Rex Lusitaniæ est pro-

Polonos adjuvat contra Turcas.

Lusitani Regis Orator primitus admissus.

A clamatus, ne Hispanos offenderet, Aula Romana permiserat, magnificoque apparatu, ac specie quadam Triumphi Romam venit cum titulo Regii Oratoris Comes *Pradensis*, ut vulgo ajebant *de Prado*. Duos etiam Religiosos viros ex Ordine Prædicatorum excepit, Literas, & responsa referentes Regis Persarum de Bello adversus Turcas, monitis, & suasionibus *Clementis IX.* Antecessoris ineundo. Italiam Terræ insuper motibus afflictam, & præcipuè Ariminum penè in suis ruinis sepultum, B in meliorem formam restituit liberalitate singulari.

Et Regis Persarum.

Varias Civitates Terræ Motibus pænè disiectas reparat.

Majora tamen directè præstitit pro Religione promovenda, & Cultu Divino amplificando. Basilicam *S. Mariæ Majoris*, quam *Clemens IX.* exterius exornare cæperat, & quam morte præventus perficere nequivit, eleganti opere in honorem Beatæ Virginis absolvit. Cineres ejusdem *Clementis IX.*, quos ipse abjecto loco, & humi jacere voluerat, erexit, & excitato in eadem Basilica Liberiana eximiæ C artis sepulcro Statuam, & inscriptionem hanc posuit.

Basilicam Liberianam restaurat.

CLEMENTIS IX.
ÆTERNÆ MEMORIÆ PONTIFICIS MAGNI
CINERES
NE ABSQVE VLLO SEPVLCRALI HONORE
SICVT IPSE IVSSERAT HVMI LATERENT
CLEMENS X. PONT. MAX.
BENEFACTORI SVO
D ET OB SPECTATVM FIDEI ZELVM
OB EGREGIAM ERGA OMNES BENEFICENTIAM
ET CHARITATEM
DE RE CHRISTIANA OPTIME MERITO
GRATI ANIMI MONVMENTVM
POSVIT
ANNO DOMINI MDCLXXI.

Petrum de Alcantara, quem *Clemens IX.* inter Sanctos adscripserat, sed morte præventus canonizationis, ut ajunt, Bullam expedire non potuit, sua potissimum Constitutio- E ne per totum Orbem cultu Sanctis debito venerandum exhibuit. Præterea sex alios Servos Dei in Vaticana Basilica inter Sanctos retulit, nempe *Philippum Benitium*, *Cajetanum Thiænæum*, *Franciscum Borgiam*, *Ludovicum Bertrandum*, *Rosam Virginem Limanam*, & *Margharitam Scotiæ Reginam*; *Pium V.* Pontificem Maximum inter Beatos recensuit; Ac ut Sanctos *Ferdinandum III.* Castellæ Regem, & *Albertum Magnum* coli permisit; ut ex perdocto opere S.D.N. BENEDICTI XIV., vi- F dere est (*a*) sex vicibus Promotionem habuit Cardinalium, in quibus viginti Cardinales creavit.

Plures Servos Dei inter Sanctos adscribit.

Cardinales creat.

Portam deindè Sanctam reseravit, & clausit Anno Jubilæi 1675. eamdem Portam aperuit die 24. Decembris Anni 1674. pompa, & apparatu solemni, & interventu præ ceteris Chri-

(*a*) De Beatif. Serv. Dei, & Beat. Canoniz. præcipuè in appendic. Lib. 1. num. 5. lib. 3. pag. 302.

Christinæ Svecorum Reginæ, & Duciſſæ Mutinenſis. Clauſit autem eamdem Portam Sanctam ipſo die Anni 1675.

Mors Clementis X. 1676. Septimo mortuus eſt ſui Regiminis Anno, ætatis ſuæ octuageſimo ſexto, ſalutis verò noſtræ 1676. die 22. Julii; Laudatus in funere ab Abbate *Malagonnello*. Triduo ejus Corpus Populo de more patuit expoſitum, ſepultumque eſt in Eccleſia S. Petri in Sacello Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, cum hac brevi nota.

CLEMENS X. ALTERIUS ROM. PONT. MAX.

Nomina Purpuratorum Patrum, qui Comitiis Clementis X. interfuerunt.

EPISCOPI CARDINALES

URBANI VIII.

1 Franciſcus Cardinalis Barberinus Epiſcopus Oſtienſis Sacri Collegii Decanus V. Cancellarius. Romanus.
2 Martius Ginettus Epiſcopus Portuenſis Vicarius Papæ. Veliternus.
3 Antonius Barberinus Epiſcopus Prænestinus, Archiep. Rhemen. S. R. E. Bibliothecarius, Signaturæ Brevium Præfectus. Romanus.
4 Franciſcus Maria Brancatius Epiſcopus Tuſculanus, & Epiſcop. Viterbien. Neapolitanus.
5 Uldericus Carpineus Epiſcop. Albani Urbinaten.
6 Julius Gabriellius Epiſcopus Sabinus Epiſcopus Reatinus. Romanus.

PRESBYTERI CARDINALES 48.

7 Virginius Urſinus Tituli S. Laurentii in Lucina Prior Presbyterorum. Romanus.
8 Raynaldus Eſtenſis Tituli S. Pudentianæ. Mutinenſis.
9 Cæſar Facchinettus Tit. SS. Quatuor Coronatorum Epiſcopus Spoletinus. Bononienſis.
10 Hieronymus Grimaldus Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio. Genuenſis.
11 Carolus Roſſettus Tituli Sancti Sylveſtri in Capite, Epiſcopus Faventinus. Ferrarienſis.

INNOCENTII X.

12 Alderanus Cybo Tit. S. Praxedis Epiſcopus Æſinus. Maſſenſis.
13 Fridericus Sforzia Tit. S. Petri ad Vincula. Romanus.
14 Benedictus Odeſcalchus Tit. S. Onuphrii. Comenſis.
15 Marcellus Sanctacrucius Tituli S. Stephani in Monte Cælio, Epiſcopus Tyburtinus. Romanus.
16 Laurentius Raggius Tituli SS. Quirici, & Julittæ. Genuenſis.
17 Jo: Franciſcus Paulus Gondus Tit. Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Retz nuncupatus. Gallus.
18 Aloyſius Homodeus Tit. S. Alexii. Mediolanenſis.
19 Petrus Otthobonus Tituli S. Marci. Venetus.
20 Laurentius Imperiali Tituli S. Chryſogoni. Genuenſis.
21 Gibertus Borromęus Tituli Sancti Joannis, & Pauli. Mediolanenſis.
22 Joannes Baptiſta Spada Tit. S. Marcelli. Lucenſis.
23 Franciſcus Albitius Tit. Sanctæ Mariæ in Via. Ceſenatenſis.
24 Octavius Acquaviva Tituli S. Cæciliæ. Neapolitanus.
25 Carolus Pius Tituli S. Priſcæ. Ferrarienſis.
26 Carolus Gualterius Tit. S. Euſebii. Urbevetanus.

ALEXANDRI VII.

27 Flavius Chiſius Tituli S. Mariæ de Populo Archipresbyter Baſilicæ S. Joannis in Laterano S. R. E. Bibliothecarius, & Signaturæ Juſtitiæ Præfectus. Senenſis.
28 Scipio de Ilcio Tit. S. Sabinæ Archiep. Piſarum. Senenſis, mortuus in Sede vacanti die 12. Aprilis 1676.
29 Hieronymus Bonviſius Tit. Sancti Hieronymi Illyricorum Archiepiſcop. Lucæ. Lucenſis.
30 Antonius Bichius Tituli S. Mariæ Angelorum Epiſc. Auximanus. Senenſis.
31 Petrus Vidonus Tituli S. Caliſti. Cremonenſis.
32 Gregorius Barbadigus Tituli S. Thomæ in Parione Epiſc. Patavinus. Venetus.
33 Hieronymus Boncompagnus Tit. SS. Marcellini, & Petri Archiep. Bononiæ. Bononienſis.
34 Alphonſus Litta Tit. S. Crucis in Hyeruſalem Archiepiſcopus Mediolanenſis.
35 Nerius Corſinius Tit. SS. Nerei, & Achillei, Legatus Ferrarienſis. Florentinus.
36 Carolus Bonelli Tit. S. Anaſtaſiæ. Romanus.
37 Paſchalis de Aragonia Tit. S. Sabinæ. Hiſpanus.
38 Cælius Piccolomineus Tituli S. Petri in Monte Cælio. Senenſis.
39 Carolus Carafa Tituli S. Suſannæ Legatus Bononien. Neapolitanus.
40 Palutius Palutius Albertonus Alterius Tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Epiſcopus Montis Faliſci. Romanus.
41 Cæſar Raſponus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam, Legatus Urbini. Ravennas.
42 Joannes Nicolaus de Comitibus Tit. Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ Epiſcop. Anconitanus. Romanus.

Ja-

43 Jacobus Ninus Tit. S. Mariæ de Pace. Senensis.
44 Julius Spinula Tituli S. Martini in Montibus. Genuensis.
45 Carolus Robertus de Victoriis Tituli Sanctæ Mariæ in Ara Cæli Legatus Romandiolæ. Romanus.
46 Vitalianus Vicecomes Tituli S. Agnetis. Mediolanensis.
47 Innicus Caracciolus Tit. S. Clementis Archiepiscopus Neapolitanus.
48 Joannes Delphinus Tituli Sancti Salvatoris in Lauro. Patriarcha Aquilejen. Venetus.

CLEMENTIS IX.

49 Jacobus Rospigliosi Tituli Sancti Sixti Archipresbyter Sanctæ Mariæ Majoris. Legatus Avenionis. Signaturæ Gratiæ Præfectus. Pistoriensis.
50 Emanuel Theodosius Buglionius Tituli Sancti Laurentii in Panisperna. Gallus.
51 Ludovicus de Porto Carrero Tituli S. Sabinæ. Hispanus.
52 Franciscus Nerlius Tituli S. Bartholomæi in Insula, Archiepiscopus Florentiæ. Florentinus.
53 Carolus Cerrus Tituli S. Adriani. Romanus.
54 Lazzarus Pallavicinus Tituli S. Mariæ in Aquiro. Januensis.
55 Joannes Bona Congregationis D. Bernardi Ordinis Cistercien. Tituli S. Bernardi. Pedemontanus.
56 Nicolaus Ludovisius Tituli S. Mariæ in Transtyberim. Bononiensis.

DIACONI XIII.

INNOCENTII X.

57 Franciscus Maidalchinus primus Diaconus S. Mariæ in Via Lata. Viterbiensis.
58 Fridericus de Hassia Diaconus S. Agathæ. Germanus.
59 Carolus Barberinus Diac. S. Cæsarei Archipresb. Basilicæ Sancti Petri. Romanus.
60 Decius Azzolinus S. Eustachii. Firmanus.

ALEXANDRI VII.

61 Jacobus Fransonus S. Pancratii Episcop. Camerini. Januensis.
62 Angelus Celsus Diac. S. Angeli in Foro Piscium. Romanus.
63 Paulus Sabellus Perettus Diac. S. Angeli ad velum Aureum. Romanus.

CLEMENTIS IX.

64 Leopoldus Medices SS. Cosmæ, & Damiani. Florentinus.
65 Sigismundus Chisius S. Mariæ in Domnica. Senensis.
66 Franciscus Maria Mancini SS. Viti, & Modesti. Romanus.
67 Æmilius Alterius Cardinalis sine Titulo, & sine Galero Cardinalitio in Papam creatus.
68 Nicolaus Acciajolus. Florentinus.
69 Bonaccursius Bonaccursius. Maceratensis.


Prima Cardinalium Creatio facta
A
CLEMENTE X.

Die 22. Decembris 1670.

Anno 1670. Die 22. Decembris tres creavit Cardinales nempe.
Fridericum Borromæum. Mediolanensem.
Camillum de Maximis. Romanum, &
Gasparem de Carpineo. Romanum.



Fri-



Io Iacob·de Rubeis Formis Romæ ad Temp·pacis cū Priu S Pont

I.

FRIDERICUS BORROMÆUS Mediolanensis generis antiquitate, & majorum gloria præstans Anno natus est *1616.* ex Comite *Julio Cæsare* Borromæo, & ex *Joanna Cæsia* Matrona spectatissima. Hic licet in deliciis, atque in opibus enutritus, sedulò Religionis officiis, optimisque studiis imbutus fuit: Musas omnes percoluit. Adolescens Romam venit, Apostolatum gerente *Urbano VIII.*, à quo Cubicularius honoris renunciatus, aliis etiam aulicis muneribus donatus fuit. Fidei postea quæsitor effectus fuit Insulæ Melitensis, & indè ad Helveticos Nuncius Apostolicus. Sub *Alexandro VII.* ad Urbis Gubernium promotus fuit, & sub *Clemente IX.* in Hispaniam Nuncius Apostolicus allegatus; quo tempore

A in Interregno *Philippi IV.* Hispaniarum Regna administrabat *Anna Maria Austriaca* Tutrix, & Mater *Caroli II.* Sedulus fuit Borromæus in eliminandis dissidiis, quæ intestinè Hispaniam divexabant, occasione qua Regina Tutrix Patrem *Nidardum* è Societate Jesu sibi assumpserat à Secretis Status. Invisus hic erat cunctis magnatibus, præsertim verò *Joanni* Austriaco filio naturali Philippi IV. Mira *Borromæi* prudentia consilia pacis injecit. *Nidardus* Romam missus est, & Titulo decoratus Oratoris

B Reginæ Catholicæ; Purpura etiam ad ejus preces fuit insignitus à *Clemente X.* Hinc Regina pluries, & laudibus Borromæum, & Literis ad *Clementem IX.*, & *X.* datis commendavit. Palatium Nuncii Apostolici, quod extat

Ma-

Matritum, penè vetustate collabesceret, suo Borromæus ære restituit; & Ecclesiam huic quasi adhærentem magno quoque sumptu instauravit. Primo sui Pontificatus momento eum accersivit *Clemens X.*, eumque in munere Secretarii Status sibi assumpsit, retulitque inter Cardinales in hac ejus prima Purpuratorum PP. renunciatione. Sed parum supervixit, quia in sectione venæ cæsus fuit ex imperitia Chirurgi, cui quinquaginta aureos annuatim solvendos *Borromæus* legavit ad vitæ ali-

A

B

moniam, quod ejus operam omnibus suspectam in posterum fore intelligebat. Maximè dolens ipse Pontifex Apostolica Benedictione, & paterna consolatione illi adfuit juvans decumbentem. Obiit die 19. Februarii 1673. ætatis suæ 57., sepultus est Romæ in Ecclesia Sancti Caroli Nationis Mediolanensis. Titulum obtinuit Presbyteralem *Sancti Augustini*, quem dimisit die 8. Augusti anni 1672. alterum optans *S. Agnetis* extra mœnia.





II.

CAMILLUS DE MAXIMIS, Romę natus die 20. Julii 1620. ex *Jacobo* Marchione Arsuli, Viro & morum honestate, & generis nobilitate præclaro. Puer adhuc servitio Ecclesiæ se addixit, & adolescens in Ordine Præsulum Romanæ Curiæ adscriptus fuit. Postea inter Clericos Cameræ relatus, & deinde Nuncius Apostolicus ad Hispanos missus est. Ibi jurgia, & contentiones substinuit haud leves, præcipuè cum *Aloysio de Harras* primo Philippi IV. à secretis Ministro, occasione carcerationis ab eo demandatæ cujusdam Familiaris ejusdem Nuncii. Hic frustra sæpius, & palam Immunitatem Ecclesiasticam læsam fuisse conquerebatur, & frustra recessurum se ab Hispania minitabatur. Accessit etiam, quod cum

A in mandatis habuerit grave *Alexandri VII.* negocium, nempè de procuranda pace inter Gallos, & Hispanos, cui rei Venetorum Respublica pariter incumbebat, misso hac de causa Matritum speciali Oratore, qui fuit *Dominicus Cianus*, seu, ut dicunt *Zane*; Nuncius Apostolicus nimia vel celeritate, vel ambitione deceptus, pacis arbitrium sibi soli usurpans, inscio Veneto Oratore clandestinas Gallo obtulit inducias; Gallo ipso indignante, atque convenire recusante, ni Venetus quo-

B que certior fieret Orator. Hinc Gallorum, & Venetorum querelæ ad *Alexandrum VII.* delatæ, effecerunt, ut *Camillus de Maximis* Romam revocatus accederet: Ibi deses, vacuusque honoribus mansit toto tempore Ponti-

fica-

ficatus *Alexandri VII.*, & *Clementis IX.*, quo mortuo a Sacro Collegio Gubernator Conclavis assumptus. Deinde ad Pontificatum evecto *Clemente X.*, fuit ab eodem renunciatus Præfectus Cubiculo Pontificio: Et in hac prima Promotione die 22. Decembris 1670. dictus Presb. Cardinalis. Omnigena Camillus eruditione fulgebat: Ad eum undequaque docti viri conveniebant, aderant quotidiè & Sculptores, & Pictores, aliarumque artium Periti. Præcipuum illi studium fuit, conspicuum instruere Musæum, conquisitis undique venerandæ antiquitatis monumentis, quorum pleraque extant adhuc in Nobili hujus Familiæ Palatio. Nonnulla tamen sequenti tempore distracta fuerunt, inter quæ celebris est Statua *Pyrrhi* Epirotarum Regis formæ Colos-

A


sææ, quæ nunc in Capitolio sita est è conspectu Magnæ Scalæ interioris. Varios Codices miræ antiquitatis publici Juris effecit, inter quos spectabilis est Codex ille Virgilii, qui nomine *Virgilii Cardinalis de Maximis* nuncupatur. Titulum *S. Mariæ in Domnica*, quem primitus obtinuerat, in alterum immutavit *Sancti Eusebii* die 30. Januarii 1673., atque isto pariter dimisso die 16. Novembris anni 1676. optavit Titulum *Sanctæ Anastasiæ*. Interfuit Comitiis *Innocentii XI.*, sed ejus

B

electionem non vidit. Obiit enim Sede vacante Anno 1677. die 12. Septembris, in Sepulcro conditus majorum in Ecclesia Lateranensi, & in Cappella hujus Domus Gentilitia, sub crypta Galero signata Cardinalitio.



Veduta del Monte Palatino, e parte della Colonna Trajana 2



III.

GASPAR DE CARPINEO Romæ natus eſt ex Comite *Franciſco Maria*, & *Laura Spada* die 8. Maii 1625.: Hæc celebris Familia originem ducit ex Civitate Urbini. *Gaſpari* Agnatus erat alter Cardinalis de Carpineo nomine *Uldericus* ab *Urbano VIII.* inter Cardinales relatus, & cum quo parum convixit in Statu Cardinalitio. *Gaſpar* ſub *Innocentio X.* Præſulum Romanæ Curiæ amplexus eſt inſtitutum, à quo munus obtinuit Auditoris Signaturæ Juſtitiæ, & Secretarii Congregationis Aquarum. Ab ejus verò Succeſſore *Alexandro VII.* Rotæ Romanæ XII. Vir eſt dictus. Poſtea à *Clemente IX.* Conſultor S. Officii: Deindè ad Apoſtolatum elato *Clemente X.*, cui *Gaſpar* erat affinis, ſed illi acceptior etiam A ex morum honeſtate, & ex claris, quę ſemper præbuit, virtutum exemplis: Initio hujus Pontificatus Datarius Apoſtolicus effectus fuit, & in hac prima Promotione Presbyter Cardinalis renunciatus ſub Titulo *Sanctæ Pudentianæ*, quem deindè commutavit in alium *Sancti Sylveſtri in Capite*, poſtea in illum *Sanctæ Mariæ Tranſtyberim*, & demum in Ordine Epiſcopali Eccleſiam nactus eſt Sabinenſem.

Sub hoc Pontifice poſt mortem Cardinalis B *Ginnetti* Vicarius Papæ dictus eſt, quo in munere in promovenda pietate verè Chriſtiana totus fuit; procul ſemper ab oſtentatione, ſemper Religioni intentus. Studiis etiam incubuit amænioribus, & optimè de Republica

Literaria meritus fuit. Musæum comparavit A conspicuum, de quo scripsit eruditè Philippus *Bonarrothius* jam ejus Assessor, & postea Senator Florentinus; præterea Vir doctus, & perurbanus, & in omni ferè scientiâ eruditus, ut ejus scripta declarant. Plures, atque insuetas vetustatis reliquias collegit occasione visitandi Cryptas, seu Catacumbas Romanas, terramque effodiendi pro inveniendis Sanctorum Martyrum Corporibus. Fuit Præfe- B ctus Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Sacrorum Rituum; Congregationi insuper adscriptus S. Concilii Tridentini Interpretum, Rerum Consistorialium, Examinis Episcoporum, Riparum, Signaturæ Gratiæ, Statutorum Cleri, Visitationis Apostolicæ &c. Comitiis interfuit pro electione *Innocentii XI.*, *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, ac *Clementis XI.* Obiit die 6. Aprilis Anni 1714. annum agens octogesimum octavum; Sepultus est in Ecclesia S. Philippi Nerii, quam vocant Sanctæ Mariæ in Vallicella, conditus in sepulcro Majorum.

Secunda Cardinalium renunciatio facta A CLEMENTE X.

Die 24. Augusti 1671.

In hac promotione, duo tantum Cardinales creati fuere, nempè:
Cæsar Destræus. Gallus, &
D. Bernardus Gustavus de Baden. Germanus.


Veduta su la ripa del fiume Tevere incontro Papa Giulio



IV.

CÆSAR DESTRÆUS, seu ut Galli dicunt, d'Estrèes Parisiis natus est die 5. Februarii Anni 1628. ex *Annibale d'Estrèes*, & *Maria de Bethune*: Sanguine natus præclaro, studio, vigilique cura enutritus, atque optimis imbutus disciplinis, ordini Clericali nomen dedit. A Rege Galliarum *Ludovico XIV.* Anno 1655. ad Episcopatum Laoduni (*a*) nominatus fuit. Anno verò 1660. in Comitiis Cleri Gallicani pro dissidiis componendis, quæ inter dictum Clerum, & Nuncium Apostolicum versabantur, sequester, seu pacificator electus est, non recusante Pontifice Romano, plaudente verò Galliarum Rege. Pax omnium votis optata feliciter affulsit. Ita enim Episcopos Electensem, (*b*) & Apamiensem, (*c*) maximè dissentientes ad lenitatem reduxit, ut auctor pacis extiterit.

A

Anno 1665. Regales celebravit nuptias *Mariæ Joannæ de Nemours* ejus ex Fratre Proneptis cum *Carolo Emanuele Duce Sabaudiæ*. Atque anno insequenti 1666. simili junxit connubio *Mariam Franciscam Elisabeth* alteram Proneptem suam natu minorem cum *Alphonso Lusitaniæ Rege*. Celebri Abbatia S. Germani donatus fuit à Rege Galliarum, aliisque pluribus in Gallia, nec non à *Duce Sabaudiæ* altera nuncupata = *De la Stafarda* = Eques insuper Commendatarius præclari Ordinis Sancti Spiritus renunciatus, atque

B

(*a*) Laon in Piccardia. (*b*) D'Alets. (*c*) De Pamiers

ad alias in Gallia evectus dignitates: Tandem nominatus ab eodem Rege Christianissimo in hac enunciatione, die 24. Augusti 1671. inter Cardinales refertur. Galerum tamen Cardinalitium, & Titulum *Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio* nondum adeptus fuit, nisi die 16. Maii 1674. Romæ degens usque ad annum 1676. Regni Lusitaniæ Protector extitit; & Conclavi interfuit *Innocentii XI.*, quo absoluto, rediit in Galliam Anno 1677. ad maxima assumptus Regni negotia. Iterum Romam venit Anno 1681., & quam ipsi Galliarum Rex Provinciam delegaverat, de gravibus procurandis negotiis, quæ tunc sub nomine *Regaliarum* fervidè agitabantur, sedulo administravit, jurium sui Regis propugnator tenacissimus. Aderat tunc Romæ *Franciscus Annibal* Dux Destræus ejus Frater, & Regius ad Sanctam Sedem Orator, qui in Urbe ex humanis excessit Anno 1687. Quare mortuo Fratri *Cæsar* Cardinalis suffectus fuit in universa Gallici Ministerii procuratione. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, in cujus electione non levem sibi partem assumpsit. Iterum ad Gallias, iterumque ad Urbem remeavit, & Conclavi interfuit *Innocentii XII.* Novæ, & gravia semper Cleri Gallicani dissidia ad concordiam perducere conatus est, adjunctis apud Romanum Pontificem Cardinalis *de Jamson* Officiis; quod anno 1692. feliciter præstitit. Denuo Conclavi *Clementis XI.* redux interfuit, & Romæ diutius egit res agens sibi commissas cum Romano Pontifice, cum Venetorum Republica, aliisque Italiæ Principibus, jamque Albani Episcopatum adeptus fuerat Romæ Suburbicarium: Deinde *Philippum V.* Hispaniarum Regem comitari jussus, negocia, & rationes illius ingentis Monarchiæ, ut in mandatis habuerat, disposuit, ac direxit. Demum Parisios reversus moritur die 18. Decembris anni 1714. ætatis suæ 87.. Et in Ecclesia S. Germani tumulatus fuit cum hac Inscriptione.

A B C D

Emo Ecclesiæ Principi
Illmo, ac Rmo D. D. Cæsari d'Estrèes Duci,
& Pari Franciæ
S. R. E. Presb. Card. Episcop. Albanensi
Regiæ Abbatiæ S. Germani de Pratis
Abbati.
Viro incomparabili
De Ecclesia, Rege, & Regno longe meritissimo.
Ingenii perspicuitate, morum Comitate
Pauperum Patrocinio liberali
Numeris omnibus absolutissimo.
Deo, quem semper
In mente habuit
Creatori suo debitum mortalitatis solvit
Die 19. Decembris ætatis suæ 87.
Æræ Christ. 1714.

In menagianis ad calcem Tomi Secundi extat ejusdem sequens Epitaphium.

Hìc situs est Cæsar, sacri pars magna Senatus.
Estrææque Domus, Palladiique chori.
Gallia felicem tanto se jactat alumno,
Quem simul est Italus, quem veneratus Iber.
Sæpe virum Reges experti recta monentem,
Sæpe & Pontifices consuluere Pii
Adjunxit Comitem virtus huic semper honorem,
Semper & huic virtus major honore fuit. (a)



Ber-

(a) Gallia Christ. Tom. VIII. pag. 478.



V.

BERNARDINUS GUSTAVUS ADOLPHUS DE BADEN Durlacensis Germanus natus est in errore Lutheranismi anno 1631. die 4. Decembris *ex Friderico Marchione*, & *Principe Badensi*, atque *Eleonora* filia Comitis Solmensis; sed cum à Genitoribus ad literas, & ad arma instrueretur, puer adhuc Religionis veritatem inquirebat: Et dum adeò Juri naturæ consonam reperit Religionem Catholicam, illiusque Canones, & præcepta sedulò perscrutatur, planè intelligit se nomine tantum esse Lutheranum, moribus verò esse Catholicum; palamque profitetur se velle ejurare Lutheranismum. Marchio Badensis ex linea Catholica certiores fecit quosdam Nobiles Romanos, ut *Bernardinum* Romam petentem in A proposito adjuvarent, quod prosperè evenit.

Etenim quum Romam pervenisset, & piis Theologorum præceptis edoctus esset, veritati Romano-Catholicæ se submisit. Anno deinde 1664. Lutheranismum ejuravit, & Religionem Sancti Benedicti professus fuit in celebri Monasterio Fuldensi, ubi post tyrocinii probationem Abbas fuit renunciatus; & cum Abbatia Principatum S.R.I. illi adnexum itidem adeptus fuit.

B Alterâ item prægrandi Abbatia ditatus fuit, nempè *Campidonensi* in Alsatia, ex qua similiter Jus, & nomen Principis Imperii acquirebat. In tanta vero nominis celebritate, quam & grandia Natalia, & grandia munera sibi afferebant; vitam prorsus Monasticam, & Regulam


ada-

adamussim servabat S. Benedicti. Charus propterea fuit *Leopoldo* Cæsari, cum quo sanguinis necessitudine junctus erat. Eoque intercedente apud *Clementem IX.*, Cardinalis sperabatur, sed quum morte præventus fuerit *Clemens IX.*, id præstitit ejus Successor *Clemens X.* in hac renunciatione diei 24. Augusti 1671., & quum Viennæ transmissum Biretum Cardinalitium A accepisset è manibus Leopoldi Imperatoris, Romam non venit, nisi post mortem Pontificis ad Comitia *Innocentii XI.*, quo ad Apostolatum evecto, Presbyteralem Titulum suscepit *Sanctæ Susannæ*. Non diu tamen supervixit. B Obiit redux in Germaniam quasi repentino morbo die 26. Decembris 1677. ætatis suæ 46. maximo Pontificis, & Cæsaris mærore.

Tertia Cardinalium promotio facta die 22. Februarii 1672.

In hac promotione tres creati sunt Cardinales nempè:
Petrus Bonsius Archiepiscopus Tolosanus. Florentinus.
Joannes Everardus Nidardus. Hispanus.
Fr. Vincentius Maria Ursinus. Romanus.





VI.

PETRUS BONSIUS Florentinus Propatruum habuit *Joannem Bonsium* Cardinalem Tituli Sancti Clementis Episcopum *Biterrensem*: Ipse verò filius fuit *Francisci* Equitis Florentini, ex quo natus est die 15. Aprilis Anni 1631. Pater ejus obsequiis addictus Reginæ *Mariæ Medicea*, quæ fuit Uxor *Henrici IV.* Magni Galliarum Regis, Mantuam missus est, & titulo Residentis decoratus. Eadem Regina *Maria*, quæ huic familiæ continenter favorem præstitit, accivit etiam *Clementem Bonsium* Fratrem *Francisci*, & *Petri*, de quo loquimur, Patruum. Hic *Clemens* Bliterarum Episcopatum adeptus fuit in Gallia Narbonensi, qui secum Nepotem duxit, eumque pingui Sacerdotio donavit, literisque instruxit.

A Mox tamquam sui Cleri, & totius Provinciæ Narbonensis deputatum ad Generalia misit Cleri Gallicani Comitia; & cum eodem tempore regnaret in Etruria Magnus Dux *Ferdinandus II.*, hic voluit, ut Petrus Officio fungeretur sui Residentis in Gallia. Hac occasione *Petri Bonsii* cura, ac diligentia Nuptiæ constitutæ fuerunt inter *Margheritam Ludovicam Filiam Gastonis* Ducis Aurelianensis, ac *Cosmum III.* Magnum Etruriæ Principem, eamque Florentiam deduxit Anno 1661. Maximis hinc *Petrus* cumulatus meritis mortuo
B *Clemente* Patruo, eidem in Episcopatu successit, quem in Provincia Narbonensi moriens reliquerat. Dein cum in gratiam Cardinalis *Mazzarini* receptus esset, omnibus eum studiis

diis

diis prosequebatur, & sic publicus Regis Christianissimi Orator fuit designatus apud Venetam Rempublicam anno 1662. Deindè ad Sarmatas abiit in eodem munere Oratoris Regis Galliarum. *Casimiri* Poloniæ Regis gratiam obsequiis ille suis est assequutus, & post Regnum *à Casimiro* abdicatum, novis præsens Comitiis, electionem *Michaelis Coributi Vviensnoviski* omni ope adjuvit, adeout *Michael* Poloniæ Rex fuerit inauguratus: Is semper memor officiorum *Petri*, & illi vices reddere satagens, eum Cardinalem nominavit apud Romanum Pontificem. Interea novis auctus beneficiis, & pinguibus Sacerdotiis à Rege Galliarum *Ludovico XIV.* admotus fuit primum ad Ecclesiæ Tolosanæ, & deindè ad alterius Ecclesiæ Narbonensis Archiepiscopatum, & tertia auctus fuit Legatione in Hispaniam anno 1668.

Iterum in Galliam redux anno 1670. Magnus Reginæ Eleæmosinarius est renunciatus, atque iterum præsentatus fuit in Cardinalem à Rege Poloniæ, qui preces iteravit Romano Pontifici. Quare dictus fuit Presbyter Cardinalis in hac Promotione diei 22. Februarii 1672. Titulo *S. Honuphrii*, ex quo transiit primo ad alterum *S. Petri ad Vincula*; & demum ad illum *S. Eusebii*. Obiit die 11. Julii anni 1703. ætatis suæ 73., sepultus est Narbonæ in Sacello *Beatæ Mariæ de Bethleem* Ecclesiæ Metropolitanæ. (*a*)


F.P.Duflot f. Tempio di Fauno oggi S. Stefano Rotondo

(*a*) Gall. Christ. Tom.VI. edit. Paris. anni 1715. pag. 123.



VII.

JOANNES EVERARDUS NIDHARDUS Hiſpanus nuncupatur, quia ad nominationem Regis Catholici, Cardinalis dictus fuit; vere tamen Germanus erat, & in Oppido *Falkenſtein* in Auſtria natus eſt die 8. Decembris anni 1607. Ab ineunte ætate Religioni Societatis Jeſu adſcriptus fuit, ubi plura dedit ſpecimina præſtantis ingenii, tota mente, omnique animi impetu Literis incumbens. In Aula *Ferdinandi III.* Imperatoris authoritate viguit, & gratia, & à Confeſſionibus fuit renunciatus Archiduciſſæ *Mariæ Annæ*, quam poſtea ſequutus eſt in Hiſpaniam, quum hæc Auguſta Princeps nuptui data eſt *Philippo IV.*

A Hiſpaniarum Regi. Matritum veniens, atque in Aula *Philippi IV.* Hiſpaniarum Regis admiſſus, gratiam ipſius Regis inire ſtuduit. Propterea Rex, & ſæpè Conciliis Theologicis illum intereſſe voluit, & anno 1665. ad Dignitatem Cardinalitiam illum nominare decrevit; provexiſſetque re ipſa, niſi Everardus, ut aliqui ſcribunt, (*a*) precibus, lacrymiſque Majeſtatem ſuam à propoſito removiſ-

B ſet; vel, ut aliis placet, (*b*): gravioribus ipſe Rex impeditus difficultatibus extremam rei manum imponere non potuit. Nec multo poſt è vivis ſublato *Philippo IV.*, cum vacaſſet Officium Fidei Quæſitoris Generalis in Hiſpania, *Ma-*

(*a*) Palat. in Faſt. Card. Tom. 4. pag. 393. (*b*) Bricius ad ann. 1692.

Maria Anna Austriaca, Vidua ejusdem Regis Philippi, & Tutrix Filii sui *Caroli II.*, Regnorumque Gubernatrix hoc *Everardo* munus commisit. Id tamen ipse renuebat propter votum, quo omnes è Societate Jesu obstringuntur de nulla amplectenda dignitate extra Religionem, nisi imperio Summi Pontificis coacti. Ideò que effecit *Maria Anna* Regina, ut *Alexander VII.* Pont. Max. praeciperet Patri Everardo virtute obedientiæ, ut munus oblatum sine cunctatione susciperet. Everardus Reginæ à Confessionibus præerat, item, & secretioribus ejus consiliis, & maxima cum fiducia, omnibus in rebus ejus operâ Regina utebatur. Ægrè ferebant Magnates Regni, & præcipuè *Joannes* Austriæ Philippi IV. filius nothus, ipsis neglectis tantam viro extero potestatem collatam fuisse; omniaque aversis inter se animis turbabantur, & secretis populi obtrectationibus, & publicis Magnatum querelis res ad defectionem usque devenerat. Quare coacta fuit Regina privatam *Nidardi* affectionem remittere, & summam gerendarum rerum administrationem, quam in uno tantum posuerat, in alios etiam partiri. Res tamen diuturna non fuit, & brevi pristinum rerum omnium arbitrium uni credidit *Nidardo*. Succlamarunt iterum Magnates, & populi anno 1669.; Præsertim verò dictus *Joannes* Austriæ impatiens negligi in rerum gerendarum administratione, & Regno, & Patriæ, minitabatur. Demandata, idcircò ei Belgii Provincia fuit, atque omnia suppeditata, quæ ad res benè gerendas forent necessaria, ingens scilicet auri vis, & magna militum copia. Sed iter facturus in Belgium, moras primum nectere, atque impedimenta cæpit effingere, deindè Provincia renunciata, ad suum *Donsvegræ* exilium reversus est.

Nec diù post spargi cæpta sunt per Aulam scripta, & famosi in vulgus Libelli, qui Gubernatorum inscitiam, & Jesuitæ Personam pungebant, & forsan conjurationem in ipsum Regni caput minitabantur: Irâ fremens Regina in carcerem detrudi jubet *Joannem Austriacum*, sed opus jubebatur plenum aleæ periculosæ: Non solum *Joannes* paratas evasit insidias in Aragoniam fugiens, sed conductis ære proprio Equitibus tercentum, Matritum rediit, & non tam privatis murmurationibus, quam insectatione publica Jesuitam eliminari jubet.

Favebant *Joanni Austriaco*, omnium propemodum desideria; undè cum præsens urgeret timor, ne seditio excitaretur, qua omnia susque, deque miscerentur; adnitentibus maximè *Paschali Aragonio* Cardinali, & Nuncio Apostolico *Borromæo*, fracta animo Regina, annuit *Nidardi* exauctorationi, & discessui, qui propterea in ipsa rheda Cardinalis de Aragonia (ne quid iniquum ab indocili Plebe pateretur) in Cantabriam primum deindè Romam missus est. Anno 1671. Nidardus Romam venit, sollicitis Reginæ epistolis ad

A Pontificem datis commendatus, & Orator effectus Regnorum Hispaniæ. *Clemens X.*, adnitente semper eadem Regina, Everardum primo ad Episcopatum Edessenum, deindè insequenti anno ad Cardinalatum promovit die 22. Februarii 1672. sub Titulo S. Bartholomæi in Insula, quo dimisso die 25. Septembris 1679. ad alterum *S. Crucis in Hyerusalem* gradum fecit.

Sub hoc ipso Pontifice junctus cum aliis Principum Oratoribus jura substinuit Regaliæ, &

B Regiæ Immunitatis; licet primus postea convenerit cum Apostolicis administris à reliquis sejunctus Oratoribus. Congregationibus adscriptus fuit Sac. Concil. Trident. interp., Episcop., & Regular. S. Officii, & Propagandæ Fidei. Anno 1677. Protector electus fuit Lusitaniæ Regni. Comitiis adfuit *Innocentii XI.*, sub quo obiit die prima Februarii 1681. annum agens septuagesimum quartum, humatusque est in Ecclesia Sancti Ignatii propè Aram ejusdem Sancti cum sequenti Elogio.

C

D. O. M.
JO. EVERARDO NIDARDO
A' Societate Jesu S. R. E. Pr. Card.
Qui Mariannæ Austriacæ Hispan. Reginæ
Primum ab Arcanis Conscientiæ
Dein ejusdem Regnum moderantis
Curarum omnium particeps
Reique publicæ Administer, & Generalis
Per Hispaniam Quæsitor Fidei
Tum Carolo II. Regi Cåtholico
D *In Sanctioribus Consiliis*
Ejusque apud Apostolicam Sedem Orator
Demum à Clem. X. Pont. Max.
In amplissimum Purpuratorum Patrum
Collegium fuit cooptatus
Viro integritate, Religione, Constantia,
In adversis æquabilitate;
In omni vita laudatissimo.
Quod viventi fuit in votis multis
propè Sancti Parentis Tumulum Domus
E *Professorum Romana hæres Mon. pos. obiit*
Kal. Februarii A. R. S. MDCLXXXI.
Ætatis LXXIIII.

Plura recensentur, *Nidardi* scripta præcipuè verò sequentia.

Responsum ad Libellum supplicem R. P. *Magistri Fr. Joannis Martinez de Prado Ordinis Prædicatorum circa Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, quod Latinè, & Hispanicè pluries cusum prodiit.*

F *Examen Juridicum quatuor Propositionum quorumdam Auctorum Anonymorum adversantium Bullæ Alexandri VII. in favorem Conceptionis Immaculatæ.*

Sacra Sacri Misterii Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ Apotheosis.

Allegatio Theologica pro tuendo, & retinendo juramento, ejusdemque Formula Universitatis Neapolitanæ pro tenenda, credenda, profitenda Immaculata Conceptione Deiparæ.

In Canticum Canticorum.



VIII.

A FR. VINCENTIUS MARIA URSINUS Dominicanus longiorem expectat suorum gestorum narrationem, quod prout poterimus, præstabimus, quum hunc eximium Cardinalem, stimulis licet actum humilitatis, semperque fugientem sæculi pompas, & avitas nobilissimæ Domus divitias, ad summum tamen Apostolatus apicem eductum conspiciemus; ita Divinà adspirante ope, quæ presertim Servorum suorum dirigit gressus, humiliumque labores ad excelsa quæque conducit in cæterorum exemplum.

Idem Fr. *Vincentius* in Baptismate *Petrus Franciscus* nuncupatus Romæ natus est die 2. Februarii anni 1649. Fuit filius primogenitus *Ferdinandi Ursini* Gravinæ Ducis, & *Joannæ Franciscæ Frangipani de Tolfa*, lectissimæ illius Matronæ, quæ Filii æmulata virtutes, cœnobium Monialium extruxit sub Regula Sancti Dominici, quo se inclusit, vitamque prorsus Monasticam servavit. Genealogistis relinquimus longam retexere seriem illustrium Avorum hujus inclitæ Familiæ, quæ innumeros dedit viros præstantissimos Ecclesiæ, Armis, & Reipublicæ: Plures etiam Beati ex ea recensentur.

B *Petrus Franciscus*, ut in sæculo vocabatur, puer adhuc Religiosam vitam aggredi instituit; & licet esset Primogenitus ejus ditissimæ Familiæ, tamen Cœnobium, & Ecclesiam Sancti Dominici sæpissimè frequentabat, nil ampliùs in votis habens, quam si inter illos

Re-

Religiosos viros reciperetur. Hoc pluries efflagitavit à Provinciali Neapolitano, & ab altero, qui in Aprutio degebat, sed in cassum, timebat enim uterque indignationem Ducissæ Matris, quæ jam nobilissimas filio nuptias paraverat. Petrus verò ægro prorsus animo repulsam ferens, lustrandi Italiam obtentu Venetias se contulit sub cura *Ildaris* Equitis Melitensis, atque eo inscio die 12. Augusti 1667. Dominicanæ Familiæ nomen dedit; frustra obstrepente dicto Equite *Ildaris*, atque post hujus rei acceptum nuncium, ipsa Matre cæterisque nobilissimis Consanguineis. Nuncius Apostolicus, & plures Senatores habuerunt in commissis inquirendi veram voluntatem adolescentis, omnemque moverunt lapidem, ut illum à voto retraherent; inutiliter tamen, quia cellula inclusus molestas visitationes effugiebat, & ad ostium pulsantibus ipsemet lepidè respondebat = *Frater Vincentius domi esse negat, & nequit* = Evocatus deindè ab ipso Summo Pontifice *Clemente IX.* Romam venit, & provolutus ad ejus pedes infracta pietate, ac constantia voluntatem suam confirmavit; adeout Pontifex nedum propositum laudavit, sed Indultum etiam concessit profitendi in mense suæ probationis sexto, prout contigit die 13. Februarii 1668. Magnam pecuniæ vim elargitus fuit illi Monasterio Venetiarum, in quo nomen dederat pro instructione nobilis Bibliothecæ: Jam ditissimæ hæreditati paternæ renunciaverat, & Ducatui Gravinæ ad favorem sui Fratris Secundogeniti. Romæ initiatus est Sacerdos à Cardinali *Æmilio Altierio*, qui postea fuit *Clemens X.*, deindè Anno 1670. Gravinam venit, ut Matrem consolaretur. Sequenti die dum rem sacram peregit planeta indutus, quam Mater ex auro Phrygio acu pinxerat; illa mente revolvere, & reminisci cœpit, quod ipsa, dum gravida existeret, quidam, ut ipsa ajebat, Pater Dominicanus sibi prædixerat, quod Filium editura erat, qui Ordini Prædicatorum nomen, & decus daturus esset; vix re sacra absoluta, festinavit in amplexum filii se ipsam incusans, & veniam petens, si piæ ejus voluntati restiterat.

Studiis, quibus paterna in Domo satis fuerat initiatus, Bononiæ intentius incubuit; deindè Neapoli Theses Philosophicas propugnavit, atque Venetiis in Ecclesia Sancti Joannis, & Pauli anno 1672., & jam Librum ediderat non infacundum Epigrammatum Sacrorum. *Clemens X.*, qui alteram ex propriis Neptibus *Ludovicam* nomine Matrimonio junxerat *Dominico Ursino*, Duci Gravinæ, *Fratrem Vincentium* inter Purpuratos Patres retulit in hac enunciatione diei 22. Februarii 1672. sub Titulo *S. Sixti*. Quo tempore *Frater Vincentius* vix Bononiam reversus, quum Nuncium accepisset, respondit = *se ideò Religioni dicasse, ut sæculi dignitatibus abstineret*; *humillimè propterea Pontificem obsecrabatur, ut illi recusare permitteret, quod periculum salutis æter-*

A *næ afferre poterat* =, quod etiam Literis ad Summum Pontificem missis ratum habuit. Frustra cesserunt suasiones Legati Apostolici, & Literæ Fraternæ, & Matris, quia nunquam à proposito dimoveri passus fuit, nisi postquam ipse Pater *Roccabertus* totius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis Bononiam petens cum Brevi, & cum præcepto Pontificio, eum sub vinculo obedientiæ oblatam dignitatem recipere coegerit. Literæ autem Pontificis sub die Prima Martii 1672. hæ sunt.

B

Dilecto Filio Nostro Vincentio Mariæ Ursino de Gravina S. R. E. Presbytero Cardinali

CLEMENS PP. X.

Dilecte Fili Noster Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

C *Ea, qua par erat, animi admiratione suspeximus Religiosæ humilitatis præstantiam, quà Cardinalitiam Dignitatem, Nostræ tantummodò in Ecclesia Dei secundam, recusare cogitasti, eximiamque pietatem tuam, qua prolixis laudibus prosequuti, accuratas Divinæ bonitati gratias egimus, quæ tam præclaros, ut ex Literis ad Nos datis patere videtur, cordi tuo sensus impartiri dignata est. Examinanda tamen, atque ad trutinam pensanda duximus hujusmodi consilia. Quandoque enim sub amictu lucis, Princeps tenebra-*

D *rum latet, mentitáque melioris boni specie Divinæ gloriæ incremento resistit. Sententia quoque Nobis fuerat, oblatum infirmitati nostræ Pontificatus maximi pondus omnimodè declinare, profusisque in id precibus, ac lacrymis vehementer incubuimus: Subjecimus tandem voci Dei per Cardinales nos alloquenti voluntatem nostram, onerisque Angelicis etiam humeris formidandi, gravitatem, impares licet, subire passi fuimus. Eadem quocirca à te in præsentiarum sequenda vestigia, pronasque loquenti*

E *Nobis Spiritui Sancto præbendas aures satius esse consultum in Domino reputantes, authoritate, qua Nos in Terris Christus donavit, præcipimus hisce tibi Dilecte Fili Noster, ut Dignitatem, qua te, Urbe plaudente universa, nuper insignivimus, omninò acceptare velis; jucundius ita Pontifici sempiterno sacrificium, inclytam nempè animi tui repugnantiam, ingenti cum fœnore meritorum oblaturus. Nec ullus Nobis dubitandi locus esse potest retardatam in te ad præstandam mandatis Nostris, ut*

F *perfectum Religiosi Instituti Sectatorem decet, debitam obedientiam, à metu (ut scribis) amittendæ salutis æternæ. Damnabile nimirum summoperè foret adeò turpem maculam inferere præclarissimo Ordini, à quo tot, tamque illustria Christianarum virtutum exempla prodiere. A pluribus itaque abstinentes perspecta, probataque pietate tua hujusmodi solatium prorsus expectamus. Tibi Dilecte Fili*

No-

Noster Apostolicam Benedictionem paternè interim indulgentes. Datum Romæ &c. - Obedientiæ igitur Sacramento adactus supremam dignitatem admisit.

Anno 1675. electus fuit Archiepiscopus Sypontinus, ubi Synodum Diœcesanam coegit, quam typis edidit duobus voluminibus compræhensam: Episcopium refecit, atque Ecclesiam Metropolitanam, quam consecravit die 23. Maii 1678., collatis ducatis 100. annuis pro dote ædificii: Præbendam Theologalem instituit: Seminarium erexit. Sed anno 1680. ab *Innocentio XI.* gementibus Sypontinis, ad Cæsenatensem Ecclesiam translatus est, ubi Ecclesiam pariter Episcopalem consecravit die 23. Maii 1681., eamque redditibus auxit; sed aerem insalubrem expertus ab eodem *Innocentio XI.* die 18. Martii anni 1686. Beneventanæ Sedi præficitur; ubique Divino cultui promovendo intentus, Immunitatem Ecclesiæ strenuè propugnavit, Cleri reformationi incubuit: Archiva Episcopalia, Capitularia, & Parrochialia restituit non solum Syponti, sed etiam Beneventi, ex quibus redditus, & onera, cuique beneficio inhærentia inquiri possunt. Xenodochia erexit, Cæmeteria extruxit, Ecclesias, præcipuè verò Metropolitanam, instauravit. Montibus frumentariis usuras prohibuit. Confraternitates ad opera Christianæ pietatis exercenda, item & Oratoria ad spiritualia exercitia aperuit. Christianæ Fidei Magistros ad erudiendos pueros, & indoctos adhibuit, & ipsemet in Ecclesia, in Episcopio, & in Compitis edocebat primæ nostræ Religionis rudimenta.

Sanctum Philippum Nerium præcipuum Beneventanæ Urbis Patronum assumpsit, quem sui Protectorem, ut ipse ajebat, semper expertus fuit. Revera anno 1688. die 5. Junii repentino motu terræ concussa Civitate, ipsiusque Episcopalis Palatii disjectis contignationibus, lapidibus obrutus est ipse Cardinalis, & alter cum quo colloquebatur nobilis Beneventanus; sorte tamen inæquali, quia Nobilis ille inter ruinas interiit; Cardinalis verò inter lapidum congeriem, licet aliquantulum sauciatus, salvus remansit, cui (protegente Deo) caput obtegebant perpaucæ arundines, quæ capsulam quoque fulciebant, ubi sacræ Sancti Philippi asservabantur Reliquiæ. Ecclesiam, Episcopium, & Seminarium ferè diruta iterum reparavit, redditibusque auxit, aliasque Ecclesias à fundamentis erexit. Incredibilis est auri vis in tot ædificiis impensa; adeout supra biscentum millia ducatorum exsolvisse dicatur. Choro semper præsens, improvisus ex suggestu assurgebat; Conciones ad Populum habebat sæpissimè, præcipuè de laudibus Deiparæ Virginis. Bis in anno ritu antiquo Synodum cogebat, & duo habuit concilia Provincialia, quorum in primo coacto anno 1693. quatuordecim Samnii Provinciæ Epi-

A scopi suffraganei interfuere. Diœcesim lustrabat assiduè, & Sacramenta ministrabat. In pauperes verò quotidiè profusus erat. Ut à laboribus Pastoralibus reficeretur, quandoque ad Cœnobia suorum Confratrum Dominicanorum se conferebat; benedictionem à Superiore Regulari petebat, mensa vivebat communi, & nocturnis horis primus aderat; quem morem in reliquo suæ vitæ cursu semper adhibuit; ut media nocte vix inchoata semper assurgeret, cubatum ibat incænatus; post no-B cturnam Psalmodiam somnum non repetebat, aliisque sacris studiis navabat operam; statura pusillus, abstemius, fæminarum osor; de cætero ita propositi tenax erat, ut varias disputationes subjerit, cum nonnullis Episcopis, cum aliquibus Cardinalibus, & aliquando etiam cum ipso Summo Pontifice: veterem Ecclesiæ morem, rigidamque disciplinam defendens à sententia dimoveri minimè patiebatur. Gravis illi contentio fuit cum *Scanagata* Avellini Episcopo, qui quosdam Cle-C ricos ad Ordines promoverat per oblationem materiæ factam non ab Episcopo chiragra impedito, sed ab ejus Vicario; Diœcesanos omnes ad se revocatos iterum sub conditione ordinavit Cardinalis *Ursinus*, qui ulterius certiorem reddidit de hoc Sacram Inquisitionem Romanam anno 1697.; & re specialiter discussa in Congregatione coram Sanctissimo habita decisum fuit, *taliter ordinatos iterum à Catholico Episcopo sub conditione esse initiandos*.

D Altera illi contentio fuit cum *Josepho Ciante* Marsorum Episcopo circa habitum Monasticum à Monacho Episcopo deferendum. Et demum altera cum ipso Summo Pontifice *Innocentio XII.* circa fructus Beneficiorum, quos Camera Romana sibi vindicat sub titulo *Spoliorum*; & licet non jurgiis, sed precibus, ut par erat, quæstionem ageret cum Summo Pontifice, tamen inclamare non omittebat, & repræhendere abusum, & palam ostendere detrimentum, quod hinc miseris obveniebat E Ecclesiis; adeout *Innocentius XII.* hominis verè Apostolici fervidam admirans sollicitudinem, precibus ejus adnuerit, & in illa Provincia spolium prorsus aboleverit. Ex Titulo *S. Sixti*, quem ab initio nactus fuerat, in Ordine Episcopali ad Ecclesiam Tusculanam die 3. Januarii 1701. gradum fecit: Indè die 18. Martii 1715. Episcopus Portuensis evasit.

Hæc sunt gesta præcipua *Fr. Vincentii Cardinalis Ursini*, dum Purpura indutus fuit, dumque optimus Antistes Ecclesiis præfuit sibi F commissis. Plura verò dicenda supersunt, cum illum sub nomine *Benedicti XIII.* ad regendam Ecclesiam Dei universam assumptum videbimus. *Comitiis adfuit Innocentii XI.*, *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, *Clementis XI.*, *& Innocentii XIII.* post cujus obitum ipse Summus Pontifex electus fuit.

Quar-

Quarta Cardinalium Promotio facta die 16. Januarii 1673.

A

CLEMENTE X.

Unum tantum habet Cardinalem, nempè:

Felicem Rospigliosi. Pistoriensem.



IX.

FELIX ROSPIGLIOSI Pistorienfis Clementis IX. ex Fratre Nepos, & *Jacobi* alterius Cardinalis Rospigliosi Pistorii natus est ex *Camillo* Rospigliosio, & *Lucretia Cellesia* Nobilibus illius Civitatis Familiis die 19. Februarii anni 1639. Mira Clementis IX. severitas in promovendis suorum Consanguineorum commodis, hunc Nepotem suum licet ad A statum Clericalem adlexerit; tamen ab honore Cardinalatus removit, non quod Purpura non foret dignissimus, sed quod *Jacobum* alium Nepotem suum jam eadem Purpura decoraverat, nulla tamen speciali gratia, aut B immodici favoris nota; *Jacobus* enim omnes fermè Præsulis gradus laudabiliter emensus fuerat. Et Ferrariæ Pro-Legatus, item, &

Ave-

Avenionis Pro-Legatus, & Bruxellis Internuntius Apostolicus nemini cessit justitiæ zelo, & studio propagandæ Religionis; *Felix* tamen Fratris fortunam, & severum Patrui judicium patienter tulit. Literarum studio, & morum integritati semper intentus: Imò etiam, sedente *Clemente X.*, rogatus locum cedere *Destræo* Episcopo Laudunensi, libentissimè acquievit; quo promoto, ipse Rex Christianissimus *Ludovicus XIV.* nunquam destitit urgere Pontificem, donec die 16. Januarii 1673. Cardinalis creatur, & Diaconia illi tribuitur *Sanctæ Mariæ in Porticu*: mortuo *Jacobo* Fratri successit in Archipresbyteratu Sanctæ Mariæ Majoris. Congregationibus adscriptus Sacri Concilii Tridentini, examinis Episcoporum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indulgentiarum, & Sanctarum Reliquiarum: Ordini Patrum Cappuccinorum Protector datus est: Comitiis interfuit *Innocentii XI.*, sub quo decessit die 9. Maii 1688. anno ætatis suæ 49. Tumulatus in eadem Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris, ubi Clemens IX. Patruus ejus, dum Cardinalatus honore fungeretur, *Francisco Absaloni*, Jacobi, & Felicis Germano Fratri monumentum posuerat, non longè ab imagine Sanctissimi Crucifixi cum hac Inscriptione.

D. O. M.
FRANCISCO ABSALONI ROSPIGLIOSIO
PISTORIENSI
MILITI ORDINIS S. STEPHANI
PIETATE LITERIS
ATQVE EQVESTRIBVS DISCIPLINIS
EXIMIE PRÆDITO
IN IPSO IVVENTVTIS FLORE
PRÆPROPERA MORTE SVBLATO
IVLIVS TITVLI S. SIXTI CARDINALIS
FRATRIS FILIO
POSVIT ANNO MDCLXV.

Quinta Cardinalium Promotio facta die 12. Junii 1673. A CLEMENTE X.

Quinque habet Cardinales, quorum Nomina hæc sunt.

Franciscus Nerlius Archiep. Florentiæ. Florentinus.
Hieronymus Castaldus. Genuensis.
Hieronymus Casanata. Neapolitanus.
Fridericus Columna. Romanus.
Petrus Basadonna. Venetus.



FRAN-



FRANCISCVS S.R.E. PRIOR PRESBYTERORVM TIT. S.LAVRENTIJ IN LVCINA CARDINALIS NERLIVS FLORENTINVS ARCHIPRESBYTER BASILICÆ VATICANÆ ET CONGREGATIONIS FABRICÆ PRÆFECTVS CREATVS DIE XII.IVNIJ MDCLXXIII.

Obyt die 8 Aprilis 1708

X.

FRANCISCUS NERLIUS Filius *Petri* Senatoris A Florentini, & alterius *Francisci* Cardinalis Nerlii senioris ex dicto *Petro* Nepos, Matrem habuit *Constantiam Magalottam*. Romæ natus est anno 1636. die 12. Julii. Canonicus primum fuit Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ; deindè sub eodem *Petro* Genitore, qui fuit Cameræ Apostolicę Depositarius integerrimos hausit mores, & studia Literarum percoluit. Hanc vitæ methodum adeo semper adhibuit, ut gravis & severus haberetur. Inter Præsules relatus sub *Alexandro VII.*, & B inter Abbreviatores majoris Residentiæ, indè etiam Bononiæ Pro-Legatus effectus fuit. Sub *Clemente IX.* inter XII. Viros Signaturæ Justitiæ relatus est; sed brevi clariores obtinuit Ecclesiæ dignitates sub *Clemente X.* Pontifice. Non modò enim Canonicatum nactus est Basilicæ Vaticanæ, sed & Abbatiam S. Laurentii in citeriore Calabria, & alteram Sanctorum IV. Coronatorum in Diœcesi Ostiensi. Anno 1670. Archiepiscopus Andrinopolitanus efficitur, & Nuncius Apostolicus ad Regem Poloniæ allegatur: quo in munere parum permansit, & ad Legationem Cæsaream Viennæ in Austria translatus est. Tertia iterum honestatus est Legatione in Galliam, undè revocatus, & à Secretis Status assumptus, eodem *Clemente X.* Apostolatum gerente, biennio, & ultra laudabiliter hoc munere functus est. Demum die 12. Junii 1673. Presbyter Cardinalis creatur sub Titulo *Sancti*

Matthæi in Merulana. Archiepiſcopatum etiam obtinuit Eccleſiæ Florentinæ poſt mortem Patrui ſui *Franciſci* pariter Cardinalis Nerlii; quam dignitatem cum nimia gereret Imperii, ac Diſciplinæ ſeveritate, atque ob id Populo, atque ipſi Clero diſpliceret, probante, & adnitente *Coſmo III.* Etruriæ Duce, Eccleſiam dimiſit; tunc ad Aſſiſii Epiſcopatum, Pontificis beneficentiâ translatus eſt. Paucis poſt annis Romam venit Congregationibus intentus, quibus fuerat adſcriptus. Præfectus fuit Congregationi Fabricæ S. Petri, atque ejuſdem S. Petri Baſilicæ Archipresbyter. Breviarium juxta hujus Eccleſiæ Ritum proprio ære, ac magno ſumptu imprimi fecit, donavitque Clero ejuſdem Eccleſiæ. Congregationes inſuper habuit S. Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Indulgentiarum, Rituum, Status Regularium, Signaturæ Gratiæ, Propagandæ Fidei, ac Sancti Officii. Comitiis adſuit *Innocentii XI.*, *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.* Mortuus eſt die 8. Aprilis 1708. ætatis anno 72., & ſepultus fuit in ejus Eccleſia Titulari Sancti Matthæi in Merulana cum hac Inſcriptione, quam ſibi vivens poſuerat.

D. O. M.
FRANCISCVS
S. R. E. CARDINALIS NERLIVS
BEATISSIMÆ VIRGINIS DEIPARÆ
IN HAC SANCTI MATTHÆI IN MERVLANA
TITVLI SVI ÆDE
MIRACVLORVM GLORIA LATE FVLGENTIS
SVB VMBRA ET IVXTA ERECTVM
A SE SIMVLACRVM
SANCTISSIMI PONTIFICIS CLEMENTIS X.
BENEFACTORIS EXIMII
QVI EVMDEM MVNIIS ET DIGNITATIBVS
INFVLIS ATQVE OSTRO DECORAVIT
SEPVLCRVM SIBI AC DEVOTÆ MENTIS
INDELEBILE MONVMENTVM
POSVIT ANNO DOMINI MDCLXXXVII.

Poſtquam verò Franciſcus Titulum *Sancti Matthæi* immutavit in alterum *Sancti Laurentii in Lucina*, aliud cælare fecit Elogium ut ſequitur.

FRANCISCVS
S. R. E. CARD. NERLIVS
FLORENTINVS
PETRI FILIVS
POST RECENSITVM IN ELOGIO SEPVLCRALI
PROPE HVNC LAPIDEM
PER LX. ANNOS GESTORVM EIVS
AC VITÆ TENOREM
AD ALIA DEMVM EVOCATVS
TITVLVM SANCTI LAVRENTII IN LVCINA
AB HOC S. MATTHÆI IN MERVLANA
QVEM XXXIII. PROPE ANNOS
AMANTISSIME TENVIT
AVSPICATVS
ET PRIOR PRESBYTERORVM CARDINALIVM
A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE XI.
ARCHIPRESBYTER BASILICÆ VATICANÆ
ET CONGREGATIONIS FABRICÆ ILLIVS PRÆSES
CONSTITVTVS
NEC NON AD COHENICEM
PONTIFICIÆ LARGITATIS ADMISSVS
ET IN SVMMA ÆGROTATIONE
VISITATIONIS EIVS RECREATVS ACCESSV
HIC RVRSVS NOVISSIMAM SVI IMMVTATIONEM
EXPECTAT
ET SEPVLCRVM SIBI ITERVM
QVOD ANTEA PRÆPARAVIT
ELEGIT
ANNO DOMINI MDCCV.
ÆTATIS LXX.



Hie-



XI.

HIERONYMUS GASTALDUS mediocri Generis Nobilitate in Agro Ligustico natus est anno 1615. Tanta illi, ejusque Fratri *Benedicto Gastaldo* fuit animi promptitudo, & in rebus administrandis dexteritas, & industria, ut maxima illis fortunæ facta fuerit accessio; adeout inter nobiles Genuenses adscribi meruerint, & Feudum comparaverint haud spernendum, quem vocant *de Serra nova*. Sub *Innocentio X.* inter Signaturæ Justitiæ Referendarios adscriptus, minora exercuit Officia. Sed majoribus admotus fuit Magistratibus sub *Alexandro VII.*, à quo nedum Cameræ Apostolicæ Collegio cooptatus fuit, sed gravem sub ipso, & perdifficilem sortitus est Provinciam de avertenda peste, quæ anno 1656., A & 1657. Urbem invaserat. Omnibus in rebus præsto erat *Gastaldus* tam pro restituenda salute, quam pro Annonæ providentia, ne Civitas peste simul, & fame periret. Hac occasione plura, & mirifica ipse præstitit. Urbes propè nodum in Urbe divisit, communicationem Regionum, imò & Familiarum interdixit; studioque perenni publicæ utilitati consuluit, ut apparet luculenter ex Libro, quem ipse edidit sub Titulo *de avertenda Peste*, & fomitem nedum morbo subtraxit, sed ignem miserè omnia vastantem penitus restinxit. B Interea istis auctus meritis *Gastaldus* à *Clemente IX.* ærarii Pontificii Quæstor Generalis est renunciatus, & à *Clemente X.* amplissimum S. Purpuræ honorem nactus est die 12. Junii 1673.

Innocentius XI. eum Provinciæ Bononienſis deſignavit de Latere Legatum; quo in munere quum oculi ejus in Pauperem reſpicerent, Provinciamque, Latronibus, & Sicariis purgare contenderet, pænis propoſitis atque ſuppliciis, factum eſt, quod fugato ſatellitio, à pluribus Equeſtris Ordinis, qui occultè perditis illis hominibus adhærebant, aperta fermè ſeditio emerſerit. Quare nimiam Gaſtaldi ſeveritatem, quum ipſe nequidem Pontifex probaverit, ad declinandam ſeditionem Romam ille revocatus eſt, Legatione minimè completa. Tum Diœceſi Beneventanæ, cujus Archiepiſcopatum obtinuerat, ſedulò incubuit. Liberalis in amicos, in pauperes effuſus. Plura etiam Romæ præſtitit ejus magnificentiæ ſpecimina. In platea S. Mariæ de Populo, duo extruxit Templa, quæ ſibi honorem conciliant, atque Urbi mirificum exhibent ornamentum. In altero horum Templorum quatuor propè Altare majus inſpiciuntur Mauſolæa, ſeu honoraria ſepulcra cum effigie ex ære conflata illorum quatuor Pontificum, qui eum beneficiis cumularunt, nempè *Alexandri VII.*, *Clementis IX.*, *Clementis X.*, & *Innocentii XI.*; atque unumquodque Cænotaphium horum Pontificum ſuam habet Epigraphem, beneficia à Gaſtaldo recepta, & gratam ejus animi memoriam exprimentem. In altero verò æque ornatiſſimo, ac diviti Templo, ipſe ſepultus eſt cum ſequenti Inſcriptione.


A

HIERONYMI
S. R. E. PRESBYTERI CARD. GASTALDI
NON PROCVL A FRATERNIS CINERIBVS OSSA
NE QVOS NATVRA ET AMOR
DIV STRINXERAT VIVOS
SEIVNGERET MORS
HÆC VNA EX PLVRIBVS
ÆRE SVO EXTRVCTIS
CLAVSIT AMBOS FRATRES ECCLESIA
OBIIT ANNO MDCLXXXV.
ÆTATIS SVÆ LXIX.
HOSPITIVM
CONVERTENDI AD FIDEM CATHOLICAM
IN PERENNEM MEMORIAM
INSCVLP. CVR.

B

C Congregationibus adſcriptus fuerat aquarum, S. Conſultæ, Epiſcoporum & Regularium, & Camerali. Præſens fuit Comitiis *Innocentii XI.*, ſub quo deceſſit d. anno 1685. Titulum *Sanctæ Pudentianæ*, quem ab initio obtinuerat, in alterum immutavit *Sanctæ Anaſtaſiæ* die 13. Septembris 1677.





XII.

Hieronymus Casanate ex Hispania oriundus Neapoli natus est die 13. Februarii 1620. ex Thoma *Casanate*, qui fuit Collateralis, & Regens supremi Consilii Sanctæ Claræ. In Legali disciplina, quam ipse Pater professus fuerat, filium instituere aggressus est. Nonnullas *Hieronymus* egit causas, non ut genio indulgeret, sed ut Patri obtemperaret. Ut verò magis in eadem Legali facultate proficeret, annuit Pater discessui Filii; qui Romam veniens, ut bonis fortunæ affluebat, ita Præsulum Romanæ Curiæ aleam ingressus est, & *Innocentii X*, benevolentiam adeptus, primum Pontificii Cubiculi honore decoratur, indè Gubernator Sabinæ effectus fuit. Ad Gubernium verò Fabriani, & Camerini admo- A tus, ubi *Æmilius Altierius* erat Episcopus, maxima inter eos amicitia intercessit. Condimentum verò familiaritatis illis fuit reciproca morum innocentia, suavitas sermonis, atque eruditio, qua præsertim Casanate fulgebat ob omnigenam Librorum notitiam; sub *Alexandro VII.* Innocentii Successore Gubernator Anconæ electus; anno verò 1658. Melitæ Inquisitor factus, postea verò Romam revocatus, Consultor SS. Inquisitionis, & in Congregationem Consistorialem assumptus fuit; demum Secre- B tarius Congregationis de Propaganda Fide est renunciatus.

Mortuo *Alexandro VII.* efficitur Gubernator Conclavis, in quo *Clemens IX.* electus fuit, qui Rituum Consultorem, & Assessorem Sancti Offi-

Officii *Hieronymum* nominavit. A Clemente X. Secretarius Congregationis Episcoporum, & Regularium assumitur, in quibus muneribus cum maximam semper integritatem, justitiamque servaverit, in hac promotione diei 12. Junii 1673. Diaconus Cardinalis pronunciatur. Congregationibus insuper adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini; rerum Consistorialium, Episcoporum & Regularium, Fabricæ Sancti Petri; Indicis librorum prohibitorum, Sancti Officii, Propagandæ, & Rituum. Præfectus fuit Congregationibus Regularium, & Visitationis Apostolicæ. Ab *Innocentio XII.* S.R.E. Bibliothecarius effectus est post mortem Cardinalis *de Lauria*. Lectissimam ipseBibliothecam,& copiosissimam comparaverat ultra librorum volumina 2300. Hanc Testamento legavit favore Cænobii S. Mariæ supra Minervam Ordinis Prædicatorum, quod Cænobium ex Asse instituit hæredem in ejus Bonis in ditione Ecclesiastica existentibus ad summam scutorum Romanorum centum & sexaginta millium cum onere alendi sex Professores, qui Fidei, & morum controversiis illustrandis operam darent, eosque ex singulis Nationibus Italica, Gallica, Belgica, Germanica, Hispanica, & Anglica seligi jussit: duos præterea addidit Professores, qui Textum S. Thomæ in publica schola apud eandem Bibliothecam quotidie explicarent.

Hanc ditissimam Bibliothecam publici usus esse voluit; cum onere emendi quotannis novos subindè libros: item & alendi duos Bibliothecarios, qui illius curam habeant, duosque alios Fratres non Sacerdotes servitio addictos hujus Bibliothecæ. Diaconiam primo obtinuit *Sanctæ Mariæ in Porticu*. Inde die 10. Decembris 1675. alteram *S. Cæsarei*. Qua pariter dimissa die 6. Aprilis 1682. ad aliam ascendit *Sanctæ Agathæ in Suburra*. Demum in Ordine Presbyterali optavit primo Titulum *SS. Nerei, & Achillei*, die 6. Aprilis 1682. Indè die 16. Septembris 1686. alterum *Sancti Sylvestri in Capite*.

Bona existentia in Regno Neapolitano Nepoti ex Sorore legavit; bona verò in Regno Aragoniæ sita alteri ejus Nepoti. Quum Comitiis adfuerit *Innocentii XI.*, *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.* obiit octogenarius die 3. Martii 1700., sepultusque est in Basilica Lateranensi marmoreo, atque eleganti superposito sepulcro cum ejus statua jacente, & cum hac Epigraphe.

D. O M.
HIERONYMVS CASANATE
NEAPOLITANVS
TITVLI S. SYLVESTRI IN CAPITE
PRESBYTER CARDINALIS
S. R. E. BIBLIOTHECARIVS
OB. V. NON. MART.
ANNO IVBILÆI MDCC.
VIXIT ANNOS LXXX. D. XX.

Ejus mortem Frater *Antonius Cochle* Magister Generalis Ordinis Prædicatorum universo cætui denunciavit cum hac, quæ sequitur Epistola.

Tristi animo, acerboque dolore repleti hanc ad vos Epistolam mittimus, qua ingentem jacturam Ordini, Ecclesiæ, Orbique illatam Vobis denuntiamus. Ereptus nobis est, ereptus est Ecclesiæ, orbique universo Eminentissimus Hieronymus Casanate: atque eò gravior jactura est, quod nec unum Purpuratorum patrum Cætum, nec solam Orbis Caput Romam, sed exteras etiam gentes acerbissimo mærore percellet, apud quas celeberrimum erat Casanate nomen, Mæcenatis literatorum omnium, ac eruditorum amantissimi, quorum sibi animos, nec meritorum fama solum, sed & beneficiis effusis devinxerat. Quis satis incorruptos mores, ardentissimum pro fide, ac religione tuenda zelum, sublime ingenium, eruditionem summam, judicium acerrimum, inflexam animi rectitudinem, cæterasque dotes, quæ sejunctæ etiam magnam commendationem merentur, in uno conjunctas, dignis unquam laudibus celebret? Nulli rerum experientia longo usu comparata inferior, in rebus intricatissimis certam, expeditamque sententiam ferre solitus, omnium ad se oculos convertebat, ut se felicem haberet quisquis in rebus, quæ ad Sacrum Tribunal referuntur, Eminentissimum Casanate *suæ Causæ propitium fore persentiret. Diù officia omnia collata certatim à Summis Pontificibus, à quibus maxima semper in existimatione habitus est, in Romana Curia exercuerat, ut his gradibus ad Summum Sapientiæ culmen eveheretur, & antiquæ Majestatis Romanæ, quæ Orbi leges tulit, & referret in sese imaginem, & magnitudinem sustineret. Sed quod propiùs ad nos spectat, quis unquam satis amantissimi Cardinalis erga Dominicanam Religionem benevolentiam, beneficentiam, ac effusum amorem commendet? quem sanè non obsequia viro supra fortunam evecto à nobis exhibita meruerant; Sed conciliaverat unica doctrinæ integritas, quam ex Thoma haustam, nostro in ordine integram ac illæsam semper suspexerat: atque ea vox sæpius à viro, cui una communis Ecclesiæ boni ratio cordi erat, audita est: felicem orbem fore, si una D. Thomæ doctrina ubique obtineret; unus in scholis, ac Academiis Thomas Doctor audiretur, ac consuleretur in rebus dubiis: nullæ forent, inquiebat, in orbe hæreses; nulla in Morali, quæ conscientias hominum regit, relaxatio; nulla in Mystica Theologia, quæ Sanctitati viam sternit, exerratio, aut illusio. Hinc ille in nostram Religionem amor, quod præclarum hunc doctrinæ thesaurum nulla parte imminutum in Dominicana familia servatum hactenùs agnosceret, diceretque sæpius magnum futurum perpetuò Ecclesiæ subsidium Dominicanum Ordinem, dum eam doctrinam coleret, ac tuendæ incumberet. Sed quis Ordini collata ab Eminentissimo Cardinali beneficia commemoret? non hac una epistola omnia referri possunt: undè & supremam Purpurati Principis voluntatem Tabulis consignatam in omnium manus venire, omniumque oculis subjici quam primum li-*

licuerit peroptamus; ut agnoscat nedum Ordo, sed & Orbis, quantum ipsi Dominicana Religio debeat. Conventum Minervæ hæredem ex asse instituit: Bibliothecam amplissimam, refertissimam, ac in primis selectissimam reliquit, & ad publicum commodum, ac Vir uni communi bono intentus destinavit, relicto non mediocri annuo redditu, quo deinde augeri possit, & inter celeberrimas totius Orbis Bibliothecas recenseri. Præter duos Bibliothecæ Præfectos, qui hujus curam habeant, Regentes duos institui voluit, sed ea lege, ut uni D. Thomæ Summæ Theologicæ textui perlegendo, & explanando incumbant; cum probè sciret Vir eruditissimus, nihil in eo præclarissimo opere ad explicanda fidei, ac Religionis Mysteria, ad elucidanda veræ, & solidæ Theologiæ arcana, dubiaque omnia resolvenda deesse; petitis tamen, si quando opus esset, ex aliis Angelici Præceptoris operibus variis explanationibus, quod ipse comprobaret, nihil solidiùs inveniri posse, quam quod ipse D. Thomas suis operibus complexus fuisset. Demum sex ex eodem nostro Ordine Religiosos Viros, doctrina, ac eruditione conspicuos, gradibus in celebrioribus accademiis insignitos, ex omnibus Regnis, Italia, Germania, Gallia, Hispania, Polonia, Anglia, ac Belgio delectos, Romam advocari voluit, quorum unica cura esset vacare studiis, eruditionemque omnem comparare, ut parati semper, promptique essent ad Ecclesiæ, sanctæque Sedis defensionem, & refellendos errores, & novitates comprimendas, quibus oppugnari sæpius fidem, ac Christianam Religionem toties ipse ingemuerat. Hæc jamdudum, cum integra valetudine frueretur, per longam meditationem constituerat, eo consilio, ut cum instaret ultima dies, non aliud, quam de æterna salute, ac deponendo inter Creatoris manus spiritu cogitaret. Gravi tandem, & lethali morbo correptus, qui diu moriturum exercuit, quæ Christianæ pietatis exempla, quæ comparatæ jamdudum in Deum fiduciæ indicia dederit, sciunt, qui propiùs ad eum accesserant, Viri omnium Ordinum clarissimi, quos vel amittendi Cardinalis titulis omnibus ornatissimi timor, aut concepta jamdudum de eo existimatio ac benevolentia advocaverat; ac nos etiam testes sumus, qui vix ex hujus latere, dum morbo laboraret, ac in extremis ageret, discessimus: nedum divinæ voluntatis arbitrio sese permittere, sed divinum beneplacitum, & destinatam mortalibus communem legem, & animo complecti perpetuo visus, placido semper, ac interdum ridente etiam vultu summam animi tranquillitatem præseferebat; atque ea omnium, qui aderant, vox erat ingentem quidem Ecclesiæ jacturam Eminentissimi Cardinalis mortem esse, sed maximum Hieronymi lucrum, ut etiam non dissimilem, & quantum conjici poterat, felicem adeò vitæ exitum ipsi Religiosi Viri sibi peroptarent. Quis fuerit in Urbe omnium luctus, audito Cardinalis Casanate *è vita discessu, quantum in hujus laudes sese omnes summi, infimique, ac omnium ordinum effuderint, vix explicari posset; ut eximiæ virtutis concessa tam à Deo inter homines aliqua merces tanti Viri commendatio existimaretur, quam nullo deinde spatio temporum interituram præclara Viri gesta ad posteros deferent. Hæc Reverendi Patres, ac Fratres charissimi, dum recolimus, acerbissimo nos dolore implent, & parem debitum pro tot beneficiis gratitudinis sensum in nobis accendunt, quem utinam non inferioribus officiis demonstrare liceret. Sed ut quod in nobis est, Eminentissimo Cardinali de Religione nostra meritissimo, piis operibus, precibusque ad Deum fusis rependamus, si quid piacularibus flammis, quas vix inculpatissimi Viri effugiunt, eluendum superesset. Harum serie, nostraque auctoritate officii mandamus omnibus, ac singulis, tum Fratrum, tum Sororum Superioribus, ut solemnes pro Eminentissimo Cardinali* Hieronymo *Casanate exequias persolvant eo ritu, quo pro Generalibus Ordinis persolvi solent: Ac insuper mandamus per universum Orbem à Sacerdotibus Missam celebrari, à Clericis, & velatis Sororibus septem Psalmos, à Fratribus laicis, & Sororibus conversis Rosarium recitari. Quibus nos alias preces, pensa horaria, vigilias, piaque opera, ac totius Ordinis suffragia applicamus. Atque hic in fine Vobis in Christo dilectissimis Patribus, ac Fratribus in mentem revocamus, non ultimum inter Religionis, ac pietatis exercitia esse debere continuam mortis meditationem; veram sapientiam esse novissima providere, ac de sorte mortis, ut sapiens loquitur, perpetuò cogitare: Beatum fore servum, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem, ut præsentis vitæ finis futuro principio cohæreat, & nobis, qui professione Religiosa Mundo jam excessimus, vivere Christus sit, & mori lucrum. Valete Nostri, & sociorum vestris in orationibus memores. Romæ die 6. Martii* 1700.



XIII.

FRIDERICUS COLUMNA de pervetustaUbaldorum Gente, quam hodie de *Baldeschis* vocant Perusiæ natus est anno 1625. ex *Jacobo Baldeschi*, & *Artemisia* ex Ducibus *della Corgna*. (a) *Clemens X.*, cum alteram ex ejus Pro Neptibus nomine *Annam Mariam Tarquiniam* Matrimonio junxisset Principi *Ægidio Columna de Sciarra*, velletque aliquem de hac insigni Columnensi Familia ad S. Purpuræ honorem promovere, nec aliquis eo tempore adesset ex hac præclara Gente ad Cardinalatum idoneus, eidem Principi de Carboniano permisit, ut quem vellet, ex Ordine Patritio seligeret, & in propriam Columnensem Familiam

A

transferret. Hinc factum est, quod Fridericus Baldeschi Patritius Perusinus adoptatus fuit in Domum de *Carboniano*, cui jam erat affinis, collatis eidem nedum Insignibus, & nomine Columnensium, sed etiam tribus annuorum scutorum millibus, ut decenti rei familiaris commodo frueretur. Emensis Perusiæ primis studiorum semitis ab ineunte ætate Romam venerat Baldeschius, sedente *Innocentio X.*,

B


Cardinali vero *Panzirolo*, qui illi erat à Secretis Status, apprimè charus. Ipse autem humano, & divino Juri intentus, non vulgari pollebat eruditione, & celeri lingua, alacrique, ut ajebant, eloquio. Præsulum

Ro-

(a) Ut ex Decis.220. Tom.1. part.19. recent., & ex Archivo Domus Columnæ.

Romanæ Curiæ ingressus est institutum sub eodem Pontifice *Innocentio X.* Fuit Gubernator Faventiæ, & deindè totius Sabinæ Provinciæ. Ad Helvetios etiam missus fuit Nuncii Apostolici munere ornatus. Majores verò honoris apices patienter expectabat, quos temporis diuturnitas esset allatura. Hos cito obtinuit sub dicto *Clemente X.*, à quo promotus primo ad officium Secretarii Sac. Congregationis de Propaganda Fide, & deindè ad aliud Assessoris Sancti Officii, tandem modò, quem supra recensuimus eum in hac Promotione inter Presbyteros Cardinales adscripsit sub Titulo *S. Marcelli*, quo dimisso die 9. Aprilis 1685. alium optavit *S. Anastasiæ*. Eximiam inter Jurisperitos nactus est existimationem, & in ferendo suffragio benè edoctus habebatur in iis, quibus aderat Congregationibus; præcipuè verò Præfecturam Sacræ Congregationis Concilii studio, ac diligentia eximia administravit. Comitiis adfuit *Innocentii XI. Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.* Romæ, demum occubuit die 4. Octobris anni 1691. ætatis suæ sexagesimi sexti. Depositus fuit in Ecclesia *Sancti Andreæ delle Fratte*; sepultus verò in Ecclesia de Propaganda Fide.


Osteria a Ponte Salara



XIV.

PETRUS BASADONNA à ſæcularibus negociis, & à Cura Reipublicæ ad præcipuum Eccleſiæ Miniſterium aſſumptus, & à Procuratoria dignitate ad Cardinalatum translatus; vetus illud renovavit exemplum, quod in *Gaſpare Contareno* Paulus III. præſtiterat. Ambo Nobiles Veneti, ambo rerum gerendarum cura in Patrio Senatu optimè meriti, Chriſtianis tamen virtutibus inſignes, non modo non expectatam, ſed ne cogitatam quidem dignitatem adepti ſunt.

Petrus Baſadonna Aloyſii Filius Venetiis natus eſt die 17. Septembris 1617. majorum ſuorum exempla ſequtus, qui in aula, in foro, & pro Deo, & pro Patria maxima cum gloria verſati ſunt, ſtudiis incubuit Literarum,

A & Orator gravis evaſit ſub diſciplina *Joannis Baſadonnæ* ejus Avi. Adoleſcentiam egreſſus Bizantium navigavit cum *Hieronymo Triviſano* Venetæ Reipublicæ Legato, ubi mærens, ac lacrimans oſſa exquiſivit, ac invenit ejuſdem Avi ſui *Joannis Baſadonnæ*, qui inter Barbaros vitam reliquerat. Triennio Bizantii expleto in Patriam rediit, & pluribus Magiſtratibus perfunctus eſt maxima Civium utilitate, atque admiratione. Non multo poſt Orator
B ad Regem Hiſpanum miſſus, gratam Regi, atque utilem Reipublicæ navavit operam, centum octoginta millibus ducatorum receptis in Belli ſubſidium adverſus Turcas ineundi. In hac Legatione *Julii Roſpiglioſi* tunc Nuncii Apoſtolici, deindè Pontificis Maximi nomine

Cle-

Clementis IX. sibi amicitiam conciliavit. Denuò in Patriam redux Brixiæ Præfectus anno 1655. meruit renunciari; aliisque amplissimis Magistratibus strenuè functus est. Anno verò 1660. Reipublicæ Orator ad *Alexandrum VII.* Romam accessit. Ea integritate, ac Fide secreta tractavit nationum discrimina, ut reliqui Principum Oratores Arcana sua uni crederent *Petro Basadonnæ*. *Dux Crequius*, quem dicunt *de Crequi* Galliæ Legatus acceptam injuriam à Corsica gente propulsare studens, neminem habens, quem sincerè consuleret, præter Venetum Oratorem, pluries ipsi res suas secreto communicabat, pluriesque ipsum conveniebat, quandoque etiam nullo præmonito, scalas Veneti Palatii conscendens dicere solebat = *Sic itur ad refugium Fidei, ad domum Consilii* = Quam verò in *Petro* Fidem reponebant cæteri Oratores, eamdem prorsùs Romani profitebantur. Ejus enim animi magnitudo cum maxima prudentia conjungebatur, ejusque consilium, atque Justitia cum veneratione erga Romanum Pontificem. Legatione absoluta utrimque desideratus discessit. Patriæ verò restitutus decem sequentibus annis ad omnes illius ditionis gradus elatus, strenuam Reipublicæ præstabat operam.

Romæ verò anno 1673. occasione, qua Summus Pontifex ad preces Principum, quosdam ex Instituto inter Cardinales referre solet; magna erat inter Præsules Venetos contentio, qui multitudine officiorum, & frequentia postulationum *Clementem X.* molestè vexabant. Disrupit ille fervidas expectantium curas, cum die 12. Junii 1673. *Petrum Basadonna* Cardinalem pronunciavit, cognitum revera sibi antea; & amicum, sed sola sibi acceptum commendatione virtutis. Recensuit Pontifex in creatione *Basadonnæ* eximias illius dotes, & quod cultor esset Græcæ linguæ, & gnarus Ecclesiæ Orientalis, adeout non levem Latinis esset utilitatem allaturus.

Missi illicò Tabellarii, Venetias appulerunt die 15. Junii, sed elapso jam sole moram nectente pluvia, ac grandine, ne coram Patribus Cardinalis salutaretur, dum perorabat in Senatu, ut adamussim evenit in *Gaspare Contareno* superius laudato. Die 24. Venetias pervenit Abbas Marius *Emmanuel Duratius* Papæ cubicularius cum Bireto Cardinalitio, & literis Apostolicis in forma Brevi tenoris sequentis.

CLEMENS PP. X.

Dilecte Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nostris quamvis oculis jamdiu abesses, præsentem tamen te Paternæ Charitati nostræ reddiderunt eximiæ virtutes, quarum in Urbe Venetum ubi ageres Oratorem Curiæ universæ, Nobis in primis egregium specimen dedisti. Publicum quocirca præstantium Virorum ornamentum in proximè habito Consistorio Apostolico, plaudente Senatu, Cardinalitia Te Purpura decoravimus, omnino nobis pollicentes fore ut amplissima isthæc dignitas tuarum in dies Laudum ab incremento splendorem hauriat, magis, quam largiatur. Præcipuum interim ejusdem insigne, Biretum scilicet sacro Murice decorum, à quo validos exemplo supremi Capitis nostri Christi ad ejusdem Ecclesiam, ubi opus sit, ipsiusmet sanguinis effusione sartam, tectamque servandam, stimulos sumas, deferet tibi Abbas Marius Emanuel Duratius *Cubicularius Noster, quem ob generis, animique decora, Nobis admodum probatum, ut specialibus humanitatis significationibus excipias, valdè cupimus. Tibi dilecte Fili Noster Apostolicam Benedictionem, ex omni cordis nostri sensu impertientes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1673. Pontificatus Nostri Anno IV.*

Aliam huic similem attulit epistolam Abbas *Duratius* ad Senatum missam, à quo, & præsertim à novo Cardinali *Basadonna* Literis rescriptum fuit, obsequium redolentibus, & grati animi sensus. Die 29. Junii in Festo Sancti Petri, & Pauli absoluta fuit solemnitas imponendi Biretum novo Cardinali, quum data fuerit à Papa Duci Veneto facultas assistendi huic solemnitati more Regio, in Ecclesia Ducali adstantibus etiam Legatis Principum. Re sacra peracta, quum Dux Venetiarum ægrotaret, pro Duce Senior Consiliarius accessit ad Altare cum dictis Principum Oratoribus, & post lectum à Secretario Breve Apostolicum, Biretum propriis manibus Cardinali caput humiliter inclinanti superimposuit. Verbaque addidit prorsus idonea ad obsequium expromendum erga Pontificem, & laudes Cardinalis celebrandas. Pompa hæc singularis, & solemnitas universa diligenter scriptis demandata fuit à *Hieronymo Basadonna* Cardinalis Fratre, & Divi Marci Procuratore ad eruditionem posteritatis, si simile quid in posterum contingeret. Romam venit *Petrus* eo plausu exceptus, quem gignit virtus, & amor, & Diaconiam nactus est *Sanctæ Mariæ in Domnica*. Congregationibus adscriptus fuit Episcoporum, & Regularium, Indicis, Immunitatis, & Consultationis de Statu Ecclesiastico. In iis ea modestia, atque eloquentia sacra tractavit, ut Cardinalis natus minimè verò recens assumptus videretur. Quum illum Pontifex redditibus, nec etiam quantum satis esset, augere posset, obtulit stipendium illud dari solitum Cardinalibus pauperibus. Quod ille modeste recusavit, Patriæ malens dignitati consulere, quam sibi. Consilium laudavit Pontifex, probavit Patria, quæ ejus commoditatibus aliundè prospexit. Comitiis adfuit *Innocentii XI.*, sub quo decessit die 26. Septembris anno 1684. ætatis suæ sexagesimo septimo. Romæ sepultus in Ecclesia S. Marci cum hac Epigraphe.

D. O. M.

PETRO BASADONNA
S. MARIÆ IN DOMNICA
S. R. E. DIACONO CARDINALI
SVMMIS VENETÆ R. P. MVNERIBVS
DOMI FORISQVE PERFVNCTO
ET POST HISPANAM
ROMANAMQVE LEGATIONES
A CLEMENTE X. PONT. MAX.
SOLA VIRTVTIS COMMENDATIONE
A PROCVRATORIA DIGNITATE
AD CARDINALIS FASTIGIVM TRANSLATO
ATQVE VTROBIQVE MAIORA PROMERITO
HIERONYMVS D. MARCI PROCVRATOR
ET IOANNES FRATRES
LVCTVS ET PIETATIS
MONVMENTVM POSVERE
OBIIT IV. KAL. OCTOB. ANNI MDCLXXXIV.
ÆTATIS SVÆ LXVII.

Sexta Cardinalium promotio facta
A
CLEMENTE X.

Die 27. Maii 1675., sex habet Cardinales

Quorum Nomina sunt, quæ sequuntur.

Galeatius Marescottus. Romanus.
Alexander Crescentius. Romanus.
Bernardinus Roccius. Romanus.
Fabritius Spada. Romanus.
Marius Albericius. Neapolitanus.
Thomas Novvard. De Nortfolcia.



Ga-



Io Iacob de Rubeis formis Romæ ad Temp Pacis cũ Priu S P

X V.

GALEATIUS MARESCOTTUS Filius Sfortiæ Marescotti, & Victoriæ *de Ruspolis*, quorum Familiæ ob præclaram generis nobilitatem satis in Urbe clarescunt; Romæ natus est die prima Octobris anni 1627. Optimis usus est Præceptoribus, ab iisque piè ac liberaliter est institutus. Sub *Urbano VIII.* inter aulæ Præsules adscriptus plura obivit Ditionis Ecclesiasticæ Gubernia, usque dum sub *Alexandro VII.* Quæsitor Fidei in Insula Melitensi, deindè Nuncius Apostolicus ad Sarmatas meruit renunciari. Quo in munere, ut in mandatis habebat Sanctæ Sedis, vigilem navavit operam, ut Serenissimus Lotharingiæ Dux ad Polonici Regni fastigium eveheretur. Frustra tamen licet non leves simultates susceperit

A cum Cardinali *Bonsio* tunc in eo Regno Galliarum Oratore. Imo Regem ipsum Galliarum offensum habuit, quod casu, maloque ejus fato contigit; nam nonnullæ ejus Epistolæ, quas ex Sarmatia ad *Clementem IX.* miserat, mortuo eodem *Clemente* perlectæ fuerunt à duobus Cardinalibus Gallis, qui per ordinem Conclavi præerant, tanquam supremi Moderatores. Sed tamen evectò ad Cardinalatum *Friderico Borromæo*, qui Matriti Legationem Apostolicam laudabiliter expleverat, illi suf-
B fectus est Marescottus in Pontificatu *Clementis X.* Quo tempore per Pontificium Decretum redacta ad Jurisgentium sanctionem Immunitate illa, qua Principum Oratores potiebantur à vectigalibus, quæ persolvuntur ab iis, qui mer-

merces, & commeatus invehunt in Urbem, seu potiùs refrenata licentia impune fraudandi Principis ærarium, atque ob id non levibus excitatis dissidiis inter eosdem Principum Oratores, qui graviter Cardinali Nepoti succensebant; ipse Marescottus author fuit, quod Cardinalis *Palutius* in gratiam Regis Catholici reciperetur, effecitque, ut *Nitardus* Hispaniarum Orator à reliquis secederet Principum Oratoribus, atque edicto Pontificio obsequeretur.

A

Anno itaque Jubilæi 1675. creatur Presbyter Cardinalis Tituli *S. Bernardi*, quem die 22. Septembris 1681. immutavit in alterum *SS. Quirici, & Julittæ*. Hunc pariter immutavit die 21. Junii 1700. in alterum *Sanctæ Praxedis*, & demum hoc dimisso die 30. Aprilis 1708. optavit Titulum *S. Laurentii in Lucina*. Ab eodem *Clemente X.* Legationi Ferrariensi præficitur. Ab Innocentio vero XI. effectus fuit Episcopus Tyburtinus. Congregationibus intererat Boni Regiminis, Consultationis de Statu Ecclesiastico, Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Sancti Officii: Interfuit Comitiis *Innocentii XI.*, *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.*, meritis, atque ætate gravis obiit in senectute bona die 3. Julii 1726. Annum agens 98. Menses 9. dies 3.

B



Ponte Lamentana

ALE-



X V I.

ALEXANDER CRESCENTIUS Romæ natus anno 1603., ex vetuſtiſsima Creſcentiorum Gente; nonus eſt hujus familiæ Cardinalitia dignitate inſignitus; ut vero *Alexander* à natura animam verè Chriſtianam nactus fuerat, ita à teneris annis vitam aggredi religioſam flagrantiſsimè concupivit. Vix ex ephæbis exceſſus Ordini Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum adſcribi voluit. Sed quum ex gracili corporis habitudine ferre non poſſet auſteritatem illius Tyrocinii, vitam tamen ducere clauſtralem omninò vellet, amplexus eſt Religionem Patrum Congregationis de Somaſca; ſed fugiens ſæculi pompas, dignitates tamen ſubire cogitur. Sedente enim *Urbano VIII.*, cui jam innotuerant eximiæ ejus

A animi dotes, ad *Ortonæ* Epiſcopatum in Samnio admovetur; ad Bituntinam indè Eccleſiam transfertur in Apulia. Cœteris poſtea Pontificibus majora etiam de eo meditantibus, curas item Paſtorales relinquere coactus eſt, & Magiſtratus obire Romanæ Curiæ, quos geſsit moribus integerrimis, juſtitia tamen incorrupta. Etenim Nuncius Apoſtolicus ad Ducem Sabaudiæ renunciatus, Religionem Catholicam ſtrenuè promovit; Miſsionarios Romam venientes excepit, aluit, curavitque ne Calviniſtarum errores è vallibus Ticini erumpentes, Urbes invaderent vere Catholicas; B pluresque hæreticos ad antiquam Fidei puritatem reduxit.

Sed *Clemens X.*, cui jam in minoribus Creſcen-

ſcentius factus erat amiciſsimus, illum Romam revocavit, decoratumque Patriarchatu Alexandrino, Cubiculo ejus Pontificio præfecit; atque in hac promotione diei 27. Maii anni 1675. inter Presbyteros Cardinales retulit Tituli *Sanctæ Priſcæ*. Eum deindè ad Recinetenſem Epiſcopatum aſſumpſit; ſed ut liberius Deo vacare poſſet, hunc etiam Epiſcopatum dimiſit. Romam redux omnibus pietatis officiis ferventius incubuit. Donec meritis, atque annis gravis, dum Sanctum Miſſæ ſacrificium perageret repentino Apoplexiæ ictu correptus occubuit die 8. Maii 1688. ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Philippi Nerii, quam dicunt Sanctæ Mariæ in Vallicella.

Pluribus adſcriptus Congregationibus, Protector fuit Patrum Sancti Bernardi. Comitiis adfuit *Innocentii XI.*, quo regnante deceſsit.





X V I I.

BERNARDINUS ROCCIUS Romanus Cyriaci alterius Cardinalis Rocci ex Antonio Fratre Nepos; fuit filius prædicti *Antonii*, & *Pulcheriæ Maffei*. Nobilis Familia de Roccis Teste Oldoino (*a*) originem ducit ex Cremona celebri in Gallia Transpadana Civitate. Nuper verò defecit *in Pulcheria Rocci* hujus postremi Cardinalis Nepte, & hærede, quæ in Familia Marchionis *Clementis Spada* nupta fuit. Ex his amplissimis Genitoribus Bernardinus Romæ natus est anno salutis 1618. Claruerat jam dictus Patruus Cardinalis maximis A Magistratibus sub *Gregorio XV.*, & *Urbano VIII.* peractis, ille enim ad Helvetios Nuncius Apostolicus, deindè ad *Ferdinandum* Cæsarem II. in eadem Nuncii dignitate refulsit. Postremo inter Cardinales relatus, ab eodem *Urbano VIII.* Romæ eximius habebatur morum integritate, atque opinione virtutis. Hunc igitur Nepotem suum, quem secum in ejus Legationibus Comitem habuerat, liberali educatione instituit *Cyriacus*, optimisque imbuit B disciplinis; & licet esset Bernardinus inter alios ejus Fratres natu major, tamen instinctu pie-

(*a*) In vita prædicti Cyriaci Card. Rocci Tom.4. pag. .....

pietatis Ecclesiasticam vitam amplexus est. Jamque absoluto studiorum cursu sub eodem *Urbano VIII.* inter Romanæ Curiæ Præsules adlectus fuit, & ab eodem Pontifice nedum Congregationi Sacrorum Rituum adscriptus, sed etiam Sacræ Congregationis Immunitatis dictus fuit à Secretis. Sub *Alexandro VII.* Archiepiscopus Damascenus effectus, & Nuncius Apostolicus in Regnum Neapolitanum est ablegatus. Idemque Officium laudabiliter explebat, sed illum Romam revocavit *Alexander* Pontifex, eique commisit Præfecturam, seu Oecono matum Palatii Apostolici, ut sumptus reformaret immodicos, quibus Camera Apo- A stolica premebatur: quo in munere quum permanserit etiam in Pontificatu *Clementis IX.*, & *X.*, ex sola expunctione Cathaphractorum, aliorumque Militum majore, quam par erat numero stipendio Conductorum, supra septuaginta annuorum Coronatorum millibus eadem Camera Apostolica compendium fecit. Die vero 27. Maii 1675. idem *Clemens X.* Presbyterum illum dixit Cardinalem Tituli *Sancti Ste-* B *phani in Monte Cælio*, & deinde Episcopatum Ecclesiæ Urbevetanæ illi contulit. Comitiis adfuit *Innocentii XI.* Objit die 2. Novembris 1680. conditus in Ecclesia Sanctæ Mariæ Montis Serrati in sepulcro Majorum.





XVIII.

FABRITIUS SPADA Romanus filius Marchionis *Horatii*, & Marchionissæ *Mariæ Veralli*; paterno ex latere Patruum habuit *Bernardinum Spada* (*a*) ab Urbano VIII. inter Cardinales relatum; materno verò ex latere avunculum habuit *Fabritium Veralli*, quem *Paulus V.* in S. Senatum invexerat. (*b*) Ex his Genitoribus natus est Fabritius propè oppidum Brisighellæ *in Villa Spada* die 18. Martii 1643. Eugubii in Umbria originem olim suam habuit nobilis Familia *Spada* teste *Vvadingo* (*c*); nunc verò opibus, & dignitatibus aucta, atque in plures Italiæ Civitates propagata, maximis fulget affinitatibus, & Romæ, Bononiæ, Faventiæ, & Spoleti, ubicumque diffusa clarescit.

A

Sub cura *Virgilii Spadæ* Societatis Jesu alterius Patrui sui liberales artes didicit *Fabritius*; quibus emensis *Jurisprudentiæ* incubuit, relatisque in Lyceo Romano Doctoratus insignibus Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Parvo temporis intervallo sub

B

(*a*) Oldoin. ad Ciaccon. in Vita Urbani VIII. pag. 542. Edition. Rom. 1677. (*b*) Ciaccon. ubi super in Vita Pau li V. pag. 418
(*c*) In annal. Frat. Min. Tom. 1. pag. 59. 81. & 143.

Clemente IX. in Sabaudiam Nuncius Apostolicus missus fuit.

Ibi Missionarios, aliosque Evangelii administros Roma accersitos continuo adhibuit, ut Calvinistas, aliosque hęreticos in Vallibus Ticini existentes, ad fidem revocaret Catholicam. Hinc ad Gallos abiit eodem munere Nuncii Apostolici insignitus, quod munus olim etiam ipse *Bernardinus* ejus Patruus laudabiliter obiverat. Omnium desiderio exceptus, omnium pariter benevolentiam invenit. Dissidia tamen, quæ Romæ supervenerant inter Cardinalem *Palutium*, & Regium Galliæ Oratorem, publicè de hoc Præsule susceptam existimationem imminuerant. Tanto in periculo pene naufragus *Fabritius* emersit tamdem Clementia Regis optime introspicientis non à Nuncio venire dissidia. Demum in hac promotione diei 27. Maii 1675. Presbyter Cardinalis efficitur Tituli *Sancti Callisti*, quem die 23. Martii 1676. immutavit in alterum *S. Chrysogoni*. Hoc pariter dimisso die 23. Maii 1689. alterum optavit *S. Praxedis*, demum die 19. Februarii 1710. gradum fecit ad Ecclesiam Prænestinam loco Cardinalis Mariscotti propter ejus corporis infirmitates impediti.

Ab *Innocentio XI.* Urbini de Latere Legatus dictus, fide, ac prudentia singulari Provinciam septennio administravit. Ab *Innocentio XII.* ad munus assumptus Secretarii Status, sine ullius querela maximo vacavit ministerio. Congregationibus adscribi meruit confinium Status Ecclesiastici, Sacræ Consultæ, Fabricæ Sancti Petri, Immunitatis Ecclesiasticæ, Status Regularium, Viarum, Propagandæ Fidei, Signaturæ Gratiæ, & Sancti Officii.

Arcana dirigens Pontificatus, tamen horam mane, alteramque horam post vesperas negociis subripiebat, eamque divinis meditationibus insumebat, mortuus est die 15. Jun. 1717.



Ma-



XIX.

Marius Albericius Neapolitanus anno natus est 1623. divitiis, clarisque affinitatibus affluens, aureis etiam moribus præclarus, impubes Romam venit, studiisque literarum impensam navavit operam. Sub *Alexandro VII.* referendis in Signatura gratiæ, & Justitiæ libellis addictus est. Varia sub *Clemente IX.* & *X.* difficillima munera maximâ cum laude obivit; præcipuè verò Cæsaream Legationem arduis temporibus gessit fide, ac

A

prudentia singulari. Donec in hac promotione diei 27.Maii 1675. inter Presb. Cardinales refertur Tituli *Sancti Joannis ante Portam Latinam*. Congregationibus adscriptus fuit Consultationis de Statu Ecclesiastico, Episcoporum & Regularium, Sacri Concilii Tridentini Interpretum, & Propagandæ Fidei. Comitiis adfuit *Innocentii XI.* sub quo decessit die 29. Septembris anni 1680. ætatis suæ 57.

B



XX.

FR. PHILIPPUS THOMAS HOVVARD DE NORTFOLCIA Londini in Anglia natus est die 21. Septembris 1630. Hæc pervetusta Familia ob insignem generis Nobilitatem inter præcipuas Regni connumerata, plures edidit viros omni virtutum genere, & strenuos, & clarissimos. Nascitur ergo Philippus tertiogenitus ex *Thoma Hovvardo Arundelli*, & *Surreii* Comite, qui erat etiam in Anglia primus Comes, & Regni Marescallus hæreditarius, & perpetuus. Fuit verò iste *Thomas* alterius filius Marescalli (*a*), qui inter Angliæ tumultus cecidit manu Carnificis, atque omnia ejus bona proscripta fuere. Philippi

A vero Mater fuit *Elisabeth Stuarda* filia Domini *Edmes Stuardi Comitis Richemond*, & *Domini Aubignii*, *Architalassi*, & *Magni Camerarii in Scotiæ Regno*, & Regiæ hujus nominis stirpis affinis. Philippus Fratrem habuit natu majorem Dominum *Thomam*, qui ex Decreto Parlamenti in suas restitutus dignitates, & Jura, atque iterum Nortfolciæ Dux dictus, atque Arundelli Comes, brevi rationis expers, & mentis minimè compos occubuit.

B Alium Philippus etiam habuit Fratrem Secundogenitum *Henricum* nomine, qui Bizantii in officio Legati ad Turcas magnificentia fermè regali Patriæ ostentavit majestatem.

His

(*a*) Palat. Fast. Card. in Vita hujus Cardinalis.

His eductus natalibus *Philippus*, Galliam missus est adhuc impubes, ut in studiis, & in Catholica Religione, quam lacte hauserat materno, magis proficeret. Redux in Angliam; quum eamdem Catholicam Fidem, vel intactam servare, vel palam profiteri non posset; profugus in Italiam se recepit; ubi clementia exceptus Hispani Regis munus quoddam obtinuit Ducis Equitum apud Insubres; sed Deo magis vacare cupiens, & vitam aggredi, verè Religiosam, Cremonam secessit ad Fratres Dominicanos, ut inter eos nomen daret: Quo facto Mediolani Gubernatorem per Epistolam certiorem fecit de cæpto proposito, atque adnitentibus Regiis administris, voluntatem Philippi exploravit Cardinalis *Litta* Archiepiscopus Mediolanensis; sed magis consilii tenax, & in pia ejus voluntate perseverans, habitum suscepit Religionis Prædicatorum, studiisque Literarum in variis Italiæ Civitatibus absolutis in Angliam rediit postquam Rex *Carolus Secundus* mortuo jam rebelli *Oliverio Cromuele* anno 1662. Paterna Regna recuperavit. (*a*)

Illuc revocatus fuerit à Regina *Catharina* de Bragantia prædicti *Caroli Secundi* Uxore, quæ eum in officium magni Eleemosinarii allegit. Mirifica sunt, quæ præstitit *Philippus* turbulentis illis Regni temporibus concionando, fidem restituendo Catholicam, Martyres adjuvando, eisque Personatus Sacramenta ministrando, & coram Carnifice, atque in patibulis opem ferendo iis, qui misere pro fide occumbebant. Plura ædificavit Monasteria in Belgio, atque unum potissimè ad *Schaldim* Fluvium inter Alostum, & Antverpiam, quo se receperunt Catholicorum turmæ, quæ ex Anglia effugerant; & licet anno salutis 1673., eo procurante Regium parlamentum indulserit, ut absque metu per totam Brittanniam Catholici sacra celebrarent; tamen contradicente Parlamento inferiori res parum profecit, atque ipse *Philippus* Brittannia excedere coactus est. Ut Populi furorem declinaret, Bruxellas se recepit, indè Romam perrexit.

At verò dum in Galliam proficiscitur, ut ibi sui Generalis superioris licentiam expectaret, quam humiliter petierat; prævenit tamen Decretum Summi Pontificis, qui illum ad Supremum Ecclesiæ Senatum advocabat: Sic à *Clemente X.* dictus fuit Presbyter Cardinalis Tituli primum S. Cæciliæ, deindè *Sanctæ Mariæ super Minervam* talia ipse ne mente quidem revolvens. Pileolum Cardinalitium illi de more transmissum in finibus Gallorum assumpsit.

Romam adveniens, tota plaudente Urbe sui Cænobii angustias amplissimis ædibus prætulit, inter Confratres suos degere instituit, atque humilis omnia exercuit pietatis officia. Maximè verò studuit, ut Hæreticos ad veri Numinis cultum revocaret. Revocatos autem erudiebat in Fidei Misteriis, atque adjuvante

A Pontifice in Cœnobio SS. Joannis, & Pauli Missionarios alebat ex Ordine Prædicatorum. Eosdem Confratres, auro, & Doctrina instructos in Angliam submittebat, ut Cives suos redimeret à captivitate iniquitatis. Eloquio comis, moribus gravis, caritate fervens, vitam ducebat prorsùs Claustralem, inter Dominicanos Sanctæ Sabinæ. Hoc sibi selegerat Domicilium licèt largiente Pontifice hospitio donatus esset in Palatio Apostolico.

Parvo, ac modesto victu, frugalique mensa utebatur, & quam ex Papæ munificentia
B pensionem annuam retrahebat decem millium scutorum, in pauperes erogabat; præsertim verò in Britannos; quorum indigentias sedulo rimabatur, auro sarciebat, & publicè, & secretò.

Fuit Archipresbyter Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, & Protector Regni *Brittanniæ*. Magna perfusus est lætitia anno 1685., quum Nuncium excepit de inauguratione *Jacobi Secundi* in Regno Avito post mortem Caroli Se-
C cundi illius Fratris. Princeps ille verè Catholicus, ad firmandum obedientiæ, & amicitiæ fædus Comitem de *Castelmeria* Romam misit (*a*), & Nuncium Apostolicum accersivit *Ferdinandum de Abdua Amasiæ* Archiepiscopum; sed parum diuturna fuit Ecclesiæ felicitas, graviterque indoluit anno 1688., quum pulso legitimo Rege Principem *Aurantii* intellexit in Regni fastigium injustè suffectum.

Congregationibus adscriptus erat Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regula-
D rium, Rituum, & Propagandæ Fidei. Comitiis adfuit *Innocentii XI.*, *Alexandri VII.*, & *Innocentii XII.*, sub quo decessit die 17. Junii anni 1694. ætatis suæ 64., sepultus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam cum hac Epigraphe.

D. O. M.
FR. PHILIPPO THOMÆ HOVVARDO
DE NORFOLCIA ET ARVNDELLA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
E TITVLI S. MARIÆ SVPER MINERVAM
EX SAC. FAMILIA FRATRVM PRÆDICATORVM
SANCTÆ MARIÆ MAIORIS ARCHIPRESBYTERO
MAGNÆ BRITTANNIÆ PROTECTORI
MAGNO ANGLIÆ ELEEMOSINARIO
PATRIÆ ET PAVPERVM PATRI
FILIO PROVINCIÆ ANGLICANÆ EIVSDEM ORD.
PARENTI ET RESTAVRATORI OPTIMO
HÆREDES INSCRIPTI MÆRENTES POSVERE
ANNVENTIBVS
S. R. E. CARDINALIBVS EMINENTISSIMIS
F PALVTIO DE ALTERIIS
FRANCISCO NERLIO
GALEATIO MARESCOTTO
FABRITIO SPADA
SVPREMI TESTAMENTI EXECVTORIBVS
OBIIT XIV. KAL. IVLII ANNO MDCXCIV.
ÆTATIS SVÆ LXIV.

Mo

(*a*) Pere d'Orleans Hist. des Revolutions d'Angleterre Tom. 3. in fin.

Mortem ejus ingemuit *Pater Antonius Cloche* totius Ordinis Prædicatorum Magister generalis, eidemque Ordini nuntiavit cum hac, prout sequitur Encyclica epistola.

Quam ingentem jacturam Dominicanus Ordo fecerit, quam amplum nobis ornamentum ereptum sit, quantaque nobis in communi accesserit mærendi causa, hæc tristis ad vos Epistola deferet, quæ extremum clausisse diem, Eminentissimum Cardinalem Philippum Thomam Hovvart de Nortfolcia vobis denuntiabit. Luget Eminentissimorum Cardinalium Collegium extinctum clarissimum lumen, vitæque integerrimæ Virum, qui nobilitate Prosapiæ, virtutibus generi paribus novum Purpuræ splendorem addebat; quique moderatione animi, morum æqualitate, sine fuco, sine ambitu, candidoque pectore, singularem omnium amorem omniumque existimationem meruerat. Luget Prædicatorum Ordo amissum eximium sui instituti decus, Patronum simul, & alumnum, qui olim præclarissimis titulis, ridenti, & blandienti fortunæ, quæ nascentem exceperat, antepofuerat humilem pauperum Christi statum, ubi optata, quæsitaque quiete frueretur, & quæ sponte natura offerebat, metuebatque ipse, blanda quidem, sed dolosa beneficia repellere. Et lugeret etiam Anglia, nisi & ipsa lugenda foret: Quamvis nil dubium, quin melior, nobiliorque pars acerbo dolore replenda sit, cum ereptum sibi validissimum Eminentiss. Cardinalis patrocinium præsentiet, in quo temperandæ salutis, & restaurandæ amissæ fidei spem non ultimam reponere potuerat. Sed inter has publici, & communis luctus causas, hoc nobis solatium relictum est, quod egregias Eminentissimi Hovvardi virtutes nunquam interituras fama ad posteros deferet. Si vero quis unquam minus sibi & ea suprema dignitate usurpavit? Et lacrymanti injecta Purpura fuerat, ac ingemiscentem audivimus sæpius, & adversum generis nobilitatem, ac splendorem pene indignatum, quod latebras quærentem, ne lateret, prodidisset, sed ab optata quiete, & amico Claustri silentio in aulæ tumultus, quos fugere voluerat, revocasset. Verum nec totum Hovvardum revocare potuit invito collata dignitas: meliori sui parte, desideriis, animoque sui instituti tenacissimus, in Claustro remansit aut veriùs Palatium in Claustrum commutavit ubi eadem vivendi ratio, eadem vestis asperitas, idem tunicæ laneæ usus, quam ne exposuit unquam, & in qua diem clausit extremum: ut nec febrium ardor, quibus urebatur, nec vis dolorum, qui viscera discruciabant, flectere animum potuerint, ut in extremo morbo hoc sibi quamvis leve solatium ex lineorum usu afferret. An non Religiosa ædes Cardinalis Palatium diceret, ubi Cœnobitarum more in refectorio communi, dum continua lectio fieret, quam mente intenta hauriebat, tanquam unus ex multis, & veluti æqualis sortis cum domesticis, vir tantus, & in ea dignitate constitutus mensæ assidebat? Sed quis Ecclesiæ amor, & nobile, & Catholicæ Religioni sacrum pectus implebat? Jam dudum expulsæ, ejectæque ex Anglia fidei, & periclitanti innocentiæ asylum extruxerat, erecto à fundamentis in Belgio Monasterio, quo fugerent sacræ Deo Virgines, ubi, & ardore fidei suarum gentium infidelitatem compensarent, & ad placandam divinam iram sese viventes hostiam, victimasque offerrent. Religiosam ædem pro suis Anglis jam Romæ obtinuerat, atque ornaverat, eo animo eoque consilio, ut veluti ex munitissima arce indè ad missiones in Anglia peragendas instructi pugiles debellaturi hæresim prodirent, parati mori in defensionem fidei. Sed demum quis dolor Principis Ecclesiæ pectus fidei zelo accensum invasit, audita publica calamitate, quæ Catholicæ Religioni in Anglia lethale vulnus inflixit? Et venisset quidem erectus, infractusque animo inter extremas sui generis ruinas Vir Cælo natus, nec earum rerum, quas spontè reliquerat, amissione permotus: Sed ubi proscriptam avitam fidem, & vera jura omnia, nihilque integrum in Anglia relictum fuisse, inaudita hactenus calamitate, & quam vix credent posteri, didicit, adeò indoluit, adeò tabescere, & sensim deficere visus est, ut tandem, concepto dolore, acceleratam mortem æstimatum fuerit. Felix, quem unicus Dei honor, unica causa Fidei, ad omnia mortuum, sensuque carentem, & sensu præditum, & acerbi doloris impatientem invenit. Hæc unica nobis solatii causa relicta est, hæc, quæ dolorem lenire ratio possit, quoties ereptum nobis Hovvardum Eminentissimum tot collata Religioni, Ordinique beneficia, & superstites Viri exuviæ in memoriam revocabunt: Uni vixit Ecclesiæ, uni Religioni vixit, cui hoc ultimum ad cumulatam felicitatem deesse potuit, ut quod optaverat suo simul Catholico, & restituto Regno vivere potuisset. Sed hoc nobis ultimum sui amoris argumentum reliquit, & humilitatis quam semper animo coluerat perenne monumentum: humili loco, in defossa humo, nullo erecto tumulo, in medio Chori Minervitani condi voluit, ut quoties inter divinas laudes in terram demitterentur adstantium oculi, toties clarissimi, ac pientissimi Hovvardi animum subiret recordatio. Etsi verò innocentissima vita, totque præclaræ virtutes nobis satis suadeant in eorum sorte esse, qui ut Chrysologus inquit, Morte nascuntur, fine inchoant, & in Cælo lucent, qui in terris extincti creduntur: *Ut tamen hoc ultimo gratitudinem nostram obsequio, officioque obsignemus, hortamur vos omnes F. F. Dilectissimi, ut præter communia, quæ reddi volumus, Ordinis suffragia, etiam & peculiaria offeratis.* Date manibus (*ut cum Ambrosio loquamur*) Sacra Mysteria pio Requiem ei affectu offeramus. Date Sacramenta Cælestia, animam piam nostris oblationibus prosequamur, extollite manus in altum, ac eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus.

mus. *Ac interim Fratres Dilectissimi vivite læti memores, ne vos imparatos, sed vigiles mors unquam inveniat, & revocate sæpius illud sapientis in animum, hoc unum nobis, nec declinandum ulla sorte Testamentum hujus mundi esse relictum*, morte moriemur. *Sitis etiam & nostri, & sociorum vestris in orationibus memores, ne ea mortis cogitatio nobis unquam è mente excidat, sed ita vivamus, veluti quotidiè morituri. Valete. Romæ die 19. Junii 1694.* A

Tres Clemens X. reliquit Sedes vacuas in Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, quas moriens implere recusavit, licet rogatus, ac penè precibus fatigatus Cardinalis Nepotis, ac plurium, qui aderant, Cardinalium vicinæ ejus morti illacrymantium. Rem gravem esse ajebat Pontifex, & meliori indigentem consilio; Se ultimis cogitationibus incumbentem, huic imparem esse Judicio. Quare Divinum implorans præsidium, statumque Ecclesiæ universum Cardinalibus commendans, ut futuræ prospicerent Pontificis electioni, & simultates, & partium studia deponerent; vitam, quam piè impleverat, felici morte absolvit dicta die 22. Julii 1676. B C

Cardinales mortui in Pontificatu Clementis X.

Cardinales Urbani VIII.

1 Martius Ginnettus Episc. Portuensis, & Papæ Vicarius. Veliternus. D
2 Fr. Antonius Barberinus Episcop. Prænestinus Summus Pœnitentiarius. Romanus.
3 Franciscus Maria Brancatius Episc. Tusculanus Episc. Viterbien. Neapolitanus.
4 Raynaldus Estensis Tituli S. Pudentianæ. Mutinensis.

Cardinales Innocentii X.

5 Fridericus Sfortia Tituli S. Petri ad Vincula. Romanus. E
6 Marcellus Sanctacrucius Tituli S. Stephani in Monte Cælio. Romanus.
7 Laurentius Imperiali Tituli Sancti Ghrysogoni. Genuensis.
8 Gibertus Borromæus Tituli SS. Joannis, & Pauli. Mediolanensis.
9 Joannes Baptista Spada Tituli Sancti Marcelli. Lucensis.
10 Franciscus Albitius Diaconus Sanctæ Mariæ in Via. Cæsenatensis.
11 Octavius Acquaviva Tituli Sanctæ Cœciliæ. Neapolitanus.
12 Carolus Gualterius Tituli Sancti Eusebii. Urbevetanus.

Cardinales Alexandri VII.

13 Scipio de Ilcio Tituli Sanctæ Sabinæ Archiep. Pisarum. Senens. mortuus in Sede vacanti die 12. Aprilis 1670.
14 Cæsar Rasponus Tit. S. Joannis ante Portam Latinam. Ravennas.
15 Carolus Robertus de Victoriis Tituli Sanctæ Mariæ in Ara Cœli. Romanus.
16 Vitalianus Vicecomes Tituli Sanctæ Agnetis. Mediolanensis.
17 Jacobus Franzonus Tituli Sancti Pancratii Episc. Camerini. Genuensis.
18 Angelus Celsus Diaconus Sancti Angeli in Foro Piscium. Romanus.

Cardinales Clementis IX.

19 Franciscus Nerlius Tituli Sancti Bartholomæi in Insula. Florentinus.
20 Jo. Bona Ordinis Div. Bernardi Tituli Sancti Bernardi. Pedemontanus.
21 Franciscus Maria Mancini Tituli SS. Viti, & Modesti. Romanus.

Cardinales Clementis X.

22 Fridericus Borromæus Tituli Sanctæ Agnetis extra mœnia. Mediolanensis.

Numismata Præstantiora in Pontificatu Clementis X. percussa.

I.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. I.

ROMA RESVRGENS.

Elegans hæc Epigraphe olim Trajano Imperatori dicata, se refert ad liberalitatem hujus Pontificis, & ad amorem præcipuum, quo Romam, Populosque sibi subjectos est prosequutus; ut in ejus vita pag.4. lit.C. Revera mulierem postica exhibet genuflexam, scilicet Romam calamitatibus obrutam, cui Sancti Apostoli Petrus, & Paulus manus porrigunt, ut afflictam, jacentemque erigant.

II.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. I.

SPIRITV ORIS EIVS OMNIS VIRTVS EORVM.

Spiritus Sanctus sub solita columbæ specie radiis circumdatus, alisque expansis, quas protendit supra mediam globi partem stellis superne circumfusam; alludit ad stellas, quas exhibet stemma hujus præclaræ familiæ. Eas vero stellas à Spiritus Sancti fulgoribus irradiatas indicat, ob adeptum à Clemente X. Pontificatum.

III.

CLEMENS X. PONT. MAX.

TV ES PETRVS ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.

Ejus ad Apostolatum assumptionem significat, de qua pag. 1. Petro genuflexo, & claves manu gestanti Jesus stans templum non procul distans indicat.

IV.

CLEMENS X. PONT. MAX. A.I. MDCLXXI.

TV DOMINVS ET MAGISTER.

Christus Petro lavans pedes humilitatem excitat Pontificis, qui ejusdem Christi exemplum sequutus peregrinorum pedes lavat. = In exergo = EXEMPLVM DEDI VOBIS.

V.

CLEMENS X. PONT. MAX.

EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Sub hac eadem Epigraphe idem lavandi pedes Peregrinorum pius ritus significatur, quem Pontifex exequitur feriâ quintâ in Cœna Domini.

VI.

CLEMENS X. PONT. MAX.

EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Idem, ut supra. Inferius A. H. Albertum Hameranum egregium Artificem significat.

VII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN.I.

COLLES FLVENT MEL DE PETRA.

Septem Romanos Colles lætitiâ gestientes significat, ut dictum fuit pag.4., ubi ejus electionis, & coronationis festiva solemnitas recensetur. Hæc Epigraphe sub hoc Pontificatu in quibusdam aureis monetis, & in pluribus aliis argenteis nummis cusâ fuit.

A Effigies etiam S. Petri Martyris ideo in postica apparet, quod ejusdem Martyris festo die, scilicet 29. Aprilis Clemens renunciatus fuerit Summus Pontifex.

VIII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN.I.

QVVM ME LAVDARENT SIMVL ASTRA MATVTINA.

Infixam animo Religionem maximè coluit Clemens X., ut in ejus vita ferè universa est relatum. Mos illi vero præsertim fuit orandi diluculo, & ante Solis ortum. Icon Beatæ Virginis (B) stellis coronatæ fortè ad stellas hujus Pontificis gentilitias alludit, & ad vividum amorem, cultumque præcipuum, quo B. Virginem prosequebatur.

IX.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. II. MDCLXXI.

PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EORVM.

Sex Dei Servos, non vero quinque, ut alii scripserunt, solemni ritu in Vaticana Basilica inter Sanctos retulit Clemens X., scilicet *Philippum Benitium*, (C) *Cajetanum Thienæum*, *Franciscum Borgiam*, *Ludovicum Bertrandum*, *&* *Rosam Virginem Limanam*, *&* *Margharitam* Scotiæ Reginam, ut dixi in ejus vita pag.6.; sed quum una vice quinque ex eis Sanctorum Canoni adscripti sint; hinc in postica hujus Numismatis parte quinque exhibentur Sancti ex iis supra commemoratis.

X.

CLEMENS X. PONT. MAX. A.II.

D PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EORVM.

Quinque Sancti, ut supra, genibus flexis cum Spiritu Sancto in nubibus. Inferius tres Angelorum capita, & in exergo MDCLXXI.

XI.

CLEMENS X. PONT. MAX. A.II. MDCLXXI.

DECOR EIVS GLORIA SANCTORVM.

Eadem ut supra solemnitas Canonizationis exprimitur; & quinque Sancti genibus flexis à Spiritus Sancti fulgoribus irradiati in (E) postica conspiciuntur. Præter hos, quos Clemens X. Sanctorum Canoni adjecit, alios etiam cultu Beatis debito donavit, quos inter præcipuus est S.Pius Quintus Romanus Pontifex.

XII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. II.

SOLEM NOVA SYDERA NORVNT.

Idem ferè prorsus Emblema, similisque Epigraphe, eamdem festivam solemnitatem exprimunt.

XIII.

F CLEMENS X. PONT. MAX. A. III.

TV DOMINVS ET MAGISTER.

Pius iste ritus lavandi pedes peregrinorum, quem Numismata anno secundo hujus Pontificis relata expresserant, rursus ad Chri-

sti servatoris exemplum, in hoc Clementis X. anno III. sui Pontificatus exhibetur.

XIV.

CLEMENS X. PONT. MAX. ANNO III.

DEVS. FVNDAVIT EAM.

Basilicam Liberianam multipliciter ornavit Clemens, ut in ejus vita pag. 6. lit. C. Hinc ejusdem Liberianæ Basilicæ absidis aspectus in postica conspicitur. Absidem porrò templi S. Mariæ Majoris ampliare incœperat Clemens IX. Vetus demoliri cœpta est, quam Jacobus Cardinalis Columna olim Archipresbyter hujus Ecclesiæ musivo opere elegantissimè decoraverat. (*a*) Factum improbavit Clemens X., & aliquot jam deletas, dirutasque effigies restitui jussit; aliaque admiranda gessit ad hujus Templi ornamentum. In exergo hujus Numismatis notatur an. MDCLXXII.

XV.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. III.

VIVIFICAT ET BEAT.

Italiam terræ motibus afflictam, & præsertim Ariminum penè in se ipso sepultum Clemens juvit auro, & liberalitate singulari, ut in ejus vita pag. 6. litt. B. Symbolum propterea Charitatis in postica exprimitur, Mulier scilicet, quæ seni supra saxum sedenti, & catenis vincto lac præbet. Supra saxum nomen Artificis sculptum, scilicet H. Hameranus 1672.

XVI.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. IIII.

INTERCEDITE PRO NOBIS.

Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum enixè rogat Pontifex, ut imminentes Italiæ, & toto Orbi Catholico calamitates avertant; præsertim propter bellum Turcicum, quo Germania, & Polonia premebantur; ut pag. 5. litt. E. = In exergo = ROMA.

XVII.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. IIII.

VT ABVNDANTIVS HABEANT.

In Annonæ caritate providentia Pontificis exprimitur, quâ Italiæ penè universæ, quæ fame premebatur, advecto undique frumento opitulatus est. Mulierem idcirco postica habet sub arbore sedentem, & spicis coronatam, quæ dexterâ copiæ cornu, lævâ vero spicas tenet. Procul area spicis referta, & duo pueri cistam replentes spicis. = In exergo 1673. =

XVIII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. IIII.

PRO ME VITA EXTRA ME MORS.

Spei, atque timoris initia à Deo unicè petenda esse, Numisma refert. Religio sub Mulieris specie in postica exhibetur, quæ Crucem tenet, ac plures circa eam genibus flexis ipsam Crucem adorant. In antica nomen Artificis expressum est. *Joannes Hameranius.*

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. V.

TVRCARVM SIGNA A POLONIS RELATA.

Polonos bello Turcico pressos mirificè juvit Clemens X. Hi vero tantis opibus excitati, insignes de illis victorias retulerunt *Cocimo*, aliisque oppidis expugnatis, fractisque Hungariæ rebellibus, ut dixi pag. 5. litt. E., Pontifex propterea in postica exprimitur sacris vestibus superindutus, qui è Throno à viro genuflexo vexillum quoddam accipit barbaris ereptum, in quo Luna bicornis conspicitur = & in exergo MDCLXXIV. =

XX.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. V.

TVRCARVM SIGNA A POLONIS RELATA.

Idem prorsus Numisma iterum cusum fuit cum iisdem verbis tam in antica, quam in postica parte; aliquâ dumtaxat diversitate intercedente circa vestem Pontificis; ut perennis extaret memoria rerum à *Johanne III. Subjescko* Poloniæ Rege in Turcas preclarè gestarum.

XXI.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. V.

DOMVS DEI ET PORTA COELI.

Clemens X. die 24. Decembris anni 1674. Portam Sanctam Vaticanæ Basilicæ aperuit, eamdemque clausit ipso die sequentis anni 1675. magnâ peregrinorum confluente multitudine, & præ cæteris *Christina* Svecorum Regina, & Mutinensium Ducissa, ut pag. 6. litt. E. Ad hoc spectat Numisma = In exergo 1675. =

XXII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. IVB.

APERI THESAVRVM TVVM.

Solemnitas potissimum reserandi eamdem Portam Sanctam exprimitur = In exergo 1675. =

XXIII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. VI.

APERI EIS THESAVRVM TVVM.

Eadem ferè postica ad eamdem prorsus solemnitatem refertur.

XXIV.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. IVB.

APERVIT DOMINVS THESAVRVM TVVM.

Idem omnino, ut supra = In exergo MDCLXXV. =

XXV.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. VI.

BENEDIXIT FILIIS IN TE.

Pontifex eadem stipante turba, & à Clero comitatus ipsam Portam Sanctam ritè claudit, ut dixi pag. 6. litt. F. = In exergo 1675.

XXVI.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. VI.

CITA APERITIO BREVES ÆTERNAT DIES.

Eamdem prorsus exprimit solemnitatem, ut supra.

XXVII.

CLEMENS X. PONT. MAX. AN. IVB.

LAVDENT IN PORTIS OPERA EIVS.

Ad eamdem piam solemnitatem refertur Numis-

(*a*) Ciacconius Histor. Pontif. Tom. 2. pag. 229.

misma, de qua, & de toto Anno Sancto Historiam scripsit *Phœbæus*. (*a*)

A

XXVIII.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. VI.

In postica frons apparet Palatii Altieriorum à *Johanne Hameriano* eleganter exculpta.

XXIX.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. VI.

FLVENT AD EVM OMNES GENTES.

Ingentem peregrinorum multitudinem Romam adventantium anno Jubilæi significat pag. 6. Adspectus Vaticanæ Basilicæ in postica apparet, supernè Angelus tubâ canens, & dexterâ manu tæniam tenens, in qua hæc verba conspiciuntur SPLENDORE STELLARUM; quæ ad stellas hujus Familiæ gentilitias alludunt.

B

XXX.

CLEMENS X. PONT. MAX. A. VII.

CVNCTIS PATET INGRESSVS.

C

Ad ampliandum commercium in Portu Centumcellarum quoddam vectigal sustulit, quod ex mercibus ad eumdem Portum transvectis solvebatur. Hinc idem Centumcellarum Portus cum quibusdam navibus in postica describitur.

XXXI.

CLEMENS X. PONT. MAX.

ARTE MEA BIS IVSTVS.

Mulier sedens, libram dexterâ tenens, & lævâ copiæ cornu, ut in postica apparet; duplicem Pontificis virtutem exprimit; unâ justitiam administrat, altera Populos sibi subjectos sublevat providentiâ, & liberalitate.

XXXII.

CLEMENS X. PONT. MAX.

DOMINE TV SCIS QVIA AMO TE.

Hoc Numisma aliis etiam Pontificibus commune, Petrum genuflexum exprimit ante Jesum. Propterea Pontificis in Jesum fiduciam designat.

Hæc duo postrema Numismata à quibusdam aliis omissa, ego tamen minimè duxi prætereunda; ea quippè à *Johanne Palatio* (*b*) relata inveni. Nec credere potui, nec fieri posse putavi, quod hic Author coævus, & minimè suspectæ fidei, ea somniaverit, vel falsa pro veris obtruserit.



IN-

(*a*) De Jubilæo cap. 15. (*b*) In Gestis Pontif. Romanor. Vol. 4. pag. 663., & ultimâ: Numismate 4. & 6.





Io Iacobus de Rubeis formis Romæ ad Temp. Pacis cũ Priu S Pont

Alb Clouet sculp.



INNOCENTIUS XI.

PONTIFEX CCXXXXIV.

ANNO DOMINI 1679. LEOPOLDO I. ROMANORUM IMPERATORE



INNOCENTIUS XI. Benedictus Odescalcus antea dictus, qui morum sanctitate, & eximio virtutum cultu inter Venerabiles Dei Servos publico Ecclesiæ Judicio recensetur; eademque irrefragabili Ecclesiæ censura, spes est inter Sanctos propediem relatum iri; supremum Pontificatus fastigium ascendit anno Domini 1676. Maximam hanc dignitatem assequi potuisset in Priori Conclavi, in quo *Clemens X.* electus fuit, nisi aliquis ex Principum Oratoribus suspectam habuisset ejus vitæ austeritatem, & nisi ipse aperta recusatione, omnibus Purpuratis Patribus patefacta, per Cardinalem *Jacobum Rospigliosum*, (*a*) Electorum suffragia in eum confertim euntium, constantissimè avertisset; sed tempus nondum advenerat, in quo Dei voluntas perficeretur. Id quâ ratione evenerit nunc est inspiciendum.

Card. Odescalcus Pontificatum recusavit in præcedenti Conclavi, in quo electus fuit Clemens X.

Obiit *Clemens X.* die 22. Julii 1676., ejusque Cadaver postridie è Palatio Quirinali solita funebri pompa translatum fuit ad Templum Vaticanum; ibi triduo de more fuit expositum. Laudes ejus recensuit Abbas *Malegonellius*, cæterisque novendialibus exactis in funerum solemniis, die tandem 2. Augusti Re Divina peracta ad Spiritus S. præsidium implorandum, Cardinales supplicum more, & bini procedentes dictum Vaticanum Conclave ingressi sunt.

Benedicti Odescalchi satis perspecta, atque evulgata virtus, parum abfuit, ut diximus, quin in Priori Conclavi ad Pontificatus fastigium eveheretur, ni Cardinalis *Bullionæi* vana formido moras injecisset. Cunctandum esse ajebat, ut Galliarum Rex de re maximi momenti certior fieret. Quo temporis intervallo, forti, constantique animo *Odescalcus* oblatam dignitatem recusavit, & Cardinalem *Jacobum Rospigliosi* elegit, ut singulis de Collegio gratias ageret, propositumque ejus confirmaret de non adeunda hac dignitate. Nunc vero in primo Comitiorum momento res ejus favore confecta fuisset; nisi aliorum, qui ætate præerant, Cardinalium merita, de more exquirenda fuissent, atque alea tentanda.

Eligitur Summus Pontifex hoc Anno 1676., & quomodo.

Tempus unius mensis inutili experimento insumptum est; donec Purpuratorum Patrum mentes, & suffragia in *Odescalcum* iterum atque iterum incumbentia, electionem repentè perfecerunt. Nè verò ejus animi demissio, atque aliàs bene nota humilitas, rem unanimi voto jam absolutam turbaret, die 20. Septembris de sero ad cellulam ejus Cardinales turmatim accessere, & manus illi deosculati sunt (quod de more electionem sapit jam factum) Qua de re perterritus *Odescalcus*, præsentemque Dei vocem, quam Religionis persuadet authoritas, auribus quasi depræhendens, breve spatium rogavit ad opem divinam impetrandam, consiliumque capessendum. Tunc ille pronus in Terram, totoque pe-

(*a*) Ut ex Fide Cardinalis Josephi Renati Imperiali, ac ex alia fide Cardinalis Fabbroni relatis in Processu Canonizat. d. Ven. Innoc. XI. pag. 57. & 281.

pectore, ac vultu hærens humo, Deum invocans adeò ingemuit, ut lacrymis pavimentum resperserit. Obsistebat ipse, palamque rogabat, ut ad alios emeritos viros, quos nominatim etiam appellabat, oculos intenderent; sed toto respondente Senatu = ipsum *Solum Papam esse, ac præter eum neminem; ipsum à primo Comitiorum momento unanimi Patrum assensu electum esse; solumque aliquas moras interpositas fuisse in solitis adhibendis diligentiis, ut in re tam gravi maximè decebat. Cæterum amplius deliberandum non esse; vel enim Electioni annuebat jam factæ; vel diutissimam pati debeat Comitiorum fluctuationem in detrimentum Ecclesiæ* =. Annuit tandem ipse, sed prius monitos voluit eosdem Cardinales, quod ipse animo statuerat reformare Ecclesiam Dei, atque in ipsis Cardinalibus abusus corrigere; ideoque eorum etiam assensum requirebat. Obstupuerunt omnes, sed acquiescentes, hominis verè Apostolici probavere consilium.

Tunc manè postero ritè iterum initis suffragiis, unanimi Patrum consensione renunciatus est Summus Pontifex die 21. Septembris in Festo S. Matthæi, quo die Poloni insignem contra Turcas victoriam retulerunt; (*a*) assumptoque nomine *Innocentii XI.* in memoriam *Innocentii X.*, qui eum in S. Senatum inveverat, Populo avidissimè expectanti proclamatus est per Cardinalem *Maidalchinum* primum in ordine Diaconorum; vestibus indutus Pontificalibus, ac ritu solito delatus est in Basilicam Principis Apostolorum Regali pompa, atque inter Populi festivas voces. Gravis ille, ac penè mærens, plorans, ac gemebundus incedebat, quasi ad Crucem aliquam evocaretur; ideòque adstantis multitudinis admirationem, & lacrymas eliciebat.

Populo proclamatur electus.

Ejus severitas.

Perductus ad Vaticanum Palatium, statim ad se accersivit Nepotem suum *Livium Odescalchum*, eique palam denunciavit nihil sibi ex ejus ad Apostolatum assumptione sperandum esse. Propterea acquiesceret contentus paternâ fortunâ, atque ejus Familiæ prædivite censu. Ne munera oblata reciperet, neve publicis sese immisceret negociis. (*b*) Stetitque promissis, fidemque suam exoneravit; *Livius* enim toto Pontificatus tempore procul à rerum gerendarum administratione, locum cessit Alderano Cardinali *Cybo* Viro egregio, quem sibi *Innocentius* assumpserat ad munus Secretarii Status obeundum.

Removet Nepotem suum ab honoribus, & administratione rerum publicarum.

Familia Odescalchi Novocomensis celebris est in Italia è temporibus Longobardorum; qua ætate juxta aliquorum authoritatem Scriptorum (*c*), quidam *Odescalchus* contra eosdem Longobardos suppetias tulit *Carolo Magno* Imperatori pro Ecclesiæ, atque Italiæ libertate; sed ne suspectam antiquitatem repetamus, satis est, quod hæc nobilis Familia plurimis ab hinc sæculis claris fulget Affinitatibus, maximisque divitiis. Feuda etiam possidet conspicua ante Pontificatum, & proprio ære quæsita.

Nobilitas, atque Origo Familiæ Odescalchiæ.

Ex hac nobili Gente Novocomi natus est *Benedictus Odescalchi* die 16. Maii anno 1611. ex *Livio Odescalchi*, & *Paula Castella*. Avita imbutus pietate, humaniora aggressus studia, adeo Divino Cultui semper incubuit, & præcipuè Deiparæ Virginis, ut ejus preces nunquam omiserit, ludicra quæque respuerit.

Pietati semper intentus.

Circa annum ætatis suæ vigesimum Genitoribus morem gerens Genuam se contulit, atque indè Romam, & hinc Neapolim, ubi Lauream Doctoralem est assequtus. Maximo flagrabat studio vitam ineundi Ecclesiasticam; hinc ad Urbem remeans, sedente Urbano VIII., inter Curiæ Præsules, atque inter Prothonotarios de numero participantium adscriptus, & Cameræ Apostolicæ Præses effectus fuit. Indè ab eodem Pontifice in Commissarium eligitur ad colligenda auxilia in Provincia Marchiæ occasione Italici belli iis populis imperata. Quo in munere, & Pauperum egestati consuluit, & Principis utilitati non defuit; quia largiori sumptu, & proprio ære miseris ferebat opem. Ab *Innocentio* X. Præses Generalis ejusdem Marchiæ Provinciæ efficitur; deindè inter Cameræ Apostolicæ Clericos recensetur. Laudibusque, & meritis ubique cumulatus, paulo post ab eodem Pontifice Diaconus Cardinalis dicitur anno ætatis suæ 34. *SS. Cosmi, & Damiani*, Diaconiam postea commutavit in Titulum Presbyteralem *S. Onuphrii*.

Ejus educatio.

Munera, & Magistratus ab ipso gesti.

Triennio post, anno nempè 1646., Ferrariæ Legationem est assequutus, quo in munere Justitiæ vindex, atque æquitatis assertor malis pernicies, & miseris perfugium erat. Alioque Triennio elapso vacanti Novariensi Ecclesiæ Episcopus admovetur, ubi strenuam navavit operam Cleri reformationi, & Divini Cultus incremento; sed aeris expertus intemperiem, atque adversa valetudine pressus, Romam à Summo Pontifice revocatur, & *D. Julio Odescalcho* Benedicti Cardinalis germano Fratri, & Monacho Benedictino Ecclesia confertur, reservata favore dicti Cardinalis annua pensione scutorum trium mille, quam integram dicto ejus fratri dimisit, hac tamen adjecta lege, ut absque ulla vel minima detractione in Pauperes erogaret.

Romam redux Congregationibus, quibus fuerat adscriptus; erat assiduus, semperque pietatis operibus incumbebat. Plurium locorum piorum deputatus Protector prudentiam, Christianamque charitatem mirificè coluit. Divitiis affluens paternis, parco cibo, supellectili ad gradum quidem decenti, sed nequaquam superflua utebatur. In Pauperes vero effusus erat, egentibus domus ejus tota patebat semper. Mirifica sunt, quæ præstitit hac in re, ubique præsens, ubique misericors. Plura

(*a*) Venuti in lib. de Numisma Romanor. Pontific. pag. 294. in vita Innoc. XI.

(*b*) Vitæ Pontif. post Platinam ultimæ editionis Venetæ anni 1744.

(*c*) Campana de Famiiis Illustribus Italiæ.

ra aureorum millia ex pingui ejus Patrimonio misit *Leopoldo* Imperatori Belli occasione, quod contra Turcas susceperat; plura etiam Regi Poloniæ, qui eodem Bello premebatur. (*a*)

Hi mores, atque hæc instituta illi fuerunt in vita ejus privata. Pontifex factus dicta die 21. Septembris 1676., die verò 4. Octobris ejusdem anni coronatus, atque inter Populi festivas voces ad Basilicam Lateranensem adductus est. Totus deindè fuit in sibi credito Apostolatu. *Nepotismum*, ut ajunt, abolevit, & omnia eidem concessa privilegia, vel potius abusus eripuit. Bullam tamen hac de re non evulgavit, ut statuerat, quia nonnulli Cardinales plurimis eum suasionibus, atque argumentis oppresserunt. Id tamen, quod sibi proposuerat, facto servavit. Feudum *Ceri*, quod jam ejus Fratris Filius ære proprio comparaverat, *Titulo Ducali* insignivit. Hoc nomen dumtaxat, & hic solus Titulus accessit Familiæ *Odescalchiæ* in toto ejus Regimine. Cæterum eadem Familia licet statim à Veneta Republica inter ejus Patricias connumerata fuerit, & licet à Pontifice dilecta, tamen in longo duodecim annorum Pontificatu, nec fastu, nec opibus, nec novis dignitatibus unquam intumuit. Ipse verò in privata ejus suppellectili, in mensa, in vestitu abjectissimus erat. In aliis vitiorum vindex, sibi vero maximè severus.

Ejus Coronatio.

Initia sui Regiminis.

Hujus vitæ genus, ac tanta in rerum omnium potestate moderatio, tam latè patuit, ut ipsis etiam Hæreticis exemplar antiquæ Religionis visus fuerit. Ipsi Acatholici Authores maximis illum laudibus prosequuntur. (*b*)

Veneratus etiam ab Hæreticis.

Parvo Ministrorum, & Consiliariorum numero contentus, ipse solus cuncta peragebat. Familiares suos, cæterosque Palatinos ita ad modestiam composuerat, ut Domus Pontificia morum disciplina, & palestra virtutis videretur. Canonibus repetitis antiquis vetuit, ne initiandi ad Sacros Ordines reciperentur, nisi morum investigatio præcederet, & nisi in studio literarum versati essent; & ut Sancti Sancta tractarent. Sacerdotibus plures indixit regulas ritè legendas in Libro, cui titulus *Speculum Sacerdotum*; quas regulas Epistola Pastorali, sive Encyclica omnibus denunciavit Episcopis.

Templi profanatores, etsi nobiles, clarosque divitiis exilio mulctavit, ac deportari jussit. Electionem verò Episcoporum tandiù differebat, donec verè idoneos inveniret. Inventos tamen pensionibus onerare prohibuit, ne eis commodum deesset alendi Pauperes. Ignotos etiam, & sola commendatione virtutis sibi laudatos ad Episcopatus, aliasque dignitates promovit. Sic ex eremo, & ex Cænobitarum Conventibus nonnullos ad Purpuram evocavit; ut *Slusium*, *Tajam*, *Riccium*, *Aguirreum*, *Colloredum*. Usurarios Hebræorum contractus compescuit. Causarum

A actoribus merce des, atque emolumenta juxta labores præscripsit.

Primis sui Pontificatus initiis studio flagrans firmandæ pacis inter Catholicos Principes, plures misit Nuncios Apostolicos in Galliam, in Hispanias, in Lusitaniam, ad Sarmatas. Quinimo studens totius Europæ tranquillitati alium Nuncium allegavit in Belgium ad Conventum *Noviomagensem in Geldria*. Renuebant Protestantes rem agere cum Nuncio Apostolico, quia tamen inter Catholicos administros au-

Nuncios mittit fere ad omnes Principes Catholicos pro pace procuranda.

B thoritate præerat, & nulla velificandi arte, sed sincero Concordiæ stimulo agebatur; hinc omnium consensu die 1. Junii anni 1677. *Ludovicus Bevilacqua* Noviomagi receptus fuit, ut Nuncius Apostolicus. Urbis Gubernator, aliique Belgii Primates ad illum perurbanè accesserunt, liberumque Catholicæ Religionis usum concesserunt. Ille tamen oblata sibi urbanitate modestè usus fuit: & res sacras domi peregit. Nec segne, nec vanum fuit ejus Ministerium. Pax enim hoc anno inita fuit, licet sequenti

Alium Nuncium immittit ad Conventum Noviomagensem in Geldria.

Anni Domini 1677

Pax Noviomagensis.

C anno 1678. mense Augusto fuerit evulgata.

Ad Regimen etiam temporale conversus, Cameram Apostolicam immenso ære alieno obstrictam, non parum levavit. Plura centena millia aureorum exsolvit, quæ publicum ærarium debebat. Hinc vectigal *Carnis Camerale*, & aliud, quod dicunt *Militum de Leva* suppressit (*c*) aliisque vectigalibus remissis Subditos exoneravit. Id quidem præstitit severa Apostolicæ Domus reformatione, quam gradatim adhibuit in Urbis, & totius Princi-

Anni Domini 1678.

Reformat Domum Apostolicam, Urbem, & Principatum.

D patus œconomica administratione, ut homines intelligant, quam magnum sit vectigal Parsimonia. Hinc ubi opus erat, largo sumptu publicis occurrebat calamitatibus. Hinc in Pauperes liberalis, hinc horreis etiam in summa temporum calamitate repletis, Urbi, & Populo non defuit, & in Venetæ classis alimoniam decem millia modiorum tritici una vice transmisit.

Prægrandem etiam auri vim collegit, ut Christianis Principibus opem ferret in Bello,

E quod in Turcas gerebant. Privata ejus liberalitate edocuit nonnullos Italiæ Principes, plurimosque Urbium Proceres ad largiendum munificè. *Livium* Nepotem suum in summa decem millium aureorum multavit. Tres integras decimas imposuit redditibus Cleri Italici, ob eadem suppeditata in Bello Turcico subsidia, ut ejus decretales in Bullario Pontificum Romanorum collectæ abundè testantur.

Opem fert Christianis Principibus, in Bello adversus Turcas.

Concussis motu terræ anno 1688. pluribus *Æmiliæ* Civitatibus, Benevento penè sub-

F versa, centum quinquaginta millium ducatorum distribuit in subsidium, atque Urbium reparationem; onera indè omnia Flaminiæ Provinciæ ad decennium remisit.

Adjuvat Æmiliam, pluresque Civitates terræ motibus disjectas.

Sed in tanto virtutum omnium exemplo, in tanta Ecclesiæ tranquillitate repentè invasit

non

(*a*) Acta Canoniz. Innoc. XI. in Summ. pag. 21. (*b*) Relati in Lib., cui Titulus - Histoir. des Papes Tom. 5. pag. 263. edit. à la Haye 1734. (*c*) De Vecch. de Bon. Regim. Tom. 2. pag. 154. & 224.

Refurgunt in Gallia antiqua dissidia circa Jus Regaliæ.

non levis origo dissidii. Consopita erant in Gallia, sed nondum extincta jurgia illa, quæ sub *Regaliarum* nomine in priori Pontificatu exarserant. Hoc Regaliæ jure subesse sibi ajebat Rex fructus Beneficiorum, & Episcopatuum Vacantium, atque ad se pertinere eorumdem Beneficiorum collationem, dummodo ea Beneficia à dicto vacanti Episcopatu dependeant. Vacans præterea in eo sensu quodcumque Sacerdotium dicebatur, donec provisus juramentum non solverit fidelitatis erga Regem, & testimonia receperit in Camera computorum. Regi obsequebatur cœtus Episcoporum penè universus. Nonnulli tamen conquerebantur, præsertim vero Episcopus Electensis, & Apamiensis, qui & precibus, & literis ad Regem, & ad Pontificem repetitis, læsam Ecclesiæ immunitatem inclamabant. (*a*)

Pontifex favet Episcopis Electensi, & Apamiensi.

Episcopo Electensi, atque Apamiensi Pontifex quam maximè favebat; eorumque querelas pronis auribus excipiebat. Urgere hinc Gallicum in Urbe Oratorem, Regemque ipsum hortari, & rogare, non destitit, ne Ecclesiæ libertatem imminueret quæ suis, & majorum suorum ingentibus beneficiis olim accreverat. At vero Rex paucorum Ecclesiasticorum conatus ferre non poterat, qui totius Regni fruebatur obsequio; & qui tot egregia facinora strenuè patrabat in Religionis incrementum, ut inferius patebit, jura tamen, ut ipse putabat sua, præterire non poterat.

Error Casuistarum.

Unde Probabilismum.

Invicto quidem animo Rex cohibuerat quorundam aliorum Ecclesiasticorum licentiam, qui noxias in vulgus opiniones emittebant. Serpebat enim in Regno, nova controversia, quæ *Casuistarum* dicebatur, & quæ *Probabilismi* nomen rectius accepit. Audacter ajebant nonnulli ex eorum Theologis = *quamcumque opinionem probabilem tutâ conscientiâ amplecti posse, atque illam etiam opinionem, quæ* nonnisi *probabiliter probabilis sit*; *atque ad conciliandam opinionibus probabilitatem, satis esse dicebant non modo quatuor, sed & trium, imo & unius etiam doctoris authoritatem* = His Decretis instructi mali illi doctores mirum prorsus est, quas in morum doctrinâ strages ediderint; quas tenebras clarissimis Dei legibus offuderint, quot nova, & inaudita protulerint. Ajebant enim ulterius = *quod dum videmus tot diversas sententias in rebus moralibus circumferri, divinam arbitramur providentiam elucere, quia ex opinionum varietate jugum Christi suavius sustinetur; melius enim viatori est, si plures illi viæ exhibeantur, quam una, quum recta esse actio possit, sive secundam unam, sive secundum alteram opinionem homines operentur* =; atque eousque protendebantur injustæ eorum sententiæ, ut tametsi antiqui omnes Theologi Patrum vestigia sequuti, nullam primorum, & immutabilium Legis æternæ principiorum ignorantiam invincibilem esse, nec à peccato quemquam excusari, unanimi consensu statuissent; isti contrario decreto fidenter affirmabant = *in istis æternæ, & immutabilis Legis principiis ejusmodi ignorantiam dari posse, quæ & vinci nequeat, & Legis Divinæ violatores eximat à peccato* =.

Nefarias has voces religioso ipsius Regis imperio refrenatas, maximè detestabatur Innocentius, easque funditus evertere cogitabat.

Sed eousque pervenerunt illorum temporum calamitates, ut mala semina inveterati dissidii rursus ex alia parte emerserint. Nam in Comitiis generalibus Cleri Gallicani hac de re in æde Archiepiscopi Parisiensis coactis, contentio fortasse nimium utrimque enutrita, plus æquo fuit exasperata. Etenim nedum Jura Regaliæ approbata fuerunt in sensu ab aulicis desiderato, quod contigit die 3. Februarii anni 1682., sed ille Episcoporum cætus, plures alias evulgavit propositiones authoritati Romani Pontificis maximè adversantes. Harum propositionum celeberrimæ sunt illæ quatuor, quarum vulgata nimis per Orbem fama est, & nimis etiam de iis studium concertationis percrebuit. Quatuor illæ propositiones ita erant expositæ.

Quatuor propositiones Cleri Gallicani.

I. *Beato Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiæ capiti, rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem. Catholici Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati, Dei ordinatione subjici; neque authoritate clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum Subditos eximi à Fide, ac obedientiâ, aut præstito fidelitatis Sacramento solvi posse &c.*

II. *Sic inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctæ OEcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicana perpetua Religione custodia Decreta, de authoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quarta, & quinta continentur &c.*

III. *Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritus Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos &c.*

IV. *In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere. Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.*

Eas Propositiones improbat Pontifex.

Infremuit Pontifex, illasque propositiones publicè comburi jussit manu Carnificis. Deindè quodam suo Brevi rescribens illis Episcopis exprobationem exorditur ab illis, Prophetæ vocibus = *Filii Matris meæ insurrexerunt in*

me

(*a*) De Pamiers, & d'Alets.

me = Meticulosos eos vocat = Segnes, & rudes in vinea Domini operarios = Ulterius improperat illis, quod delendæ Ecclesiasticæ libertati incubuerint, studuerintque evertendæ fidei, quæ unita ti innititur, & authoritati Romani Pontificis, tamquam centro illius unitatis.

Protestantes opprimit, & Calvinistas,

Dum hæc agebantur magnâ utrinque constantiâ, & graviori in dies contentione; Rex tamen invicto prorsus animo eamdem Fidem tuebatur Catholicam; novas opiniones edicto publico disseminari prohibuit circa mores, & Fidei doctrinam; gliscentemque, atque in dies intumescentem Sectam Protestantium, & Calvinistarum severiori mulctavit decreto. Abolevit, ac revocavit edictum *Nannetense*, seu, ut dicunt, *de Nantes*, quod anno 1598. ediderat *Henricus IV.*, ex quo permittebatur Protestantibus liberum eorum Religionis exercitium. Quo quidem edicto ipsi Protestantes abusi fuerant, illud amplificando quotidiè, atque extendendo ad casus minimè permissos. Spatium sex mensium illis indulsit ad Religionem Catholicam amplexandam à probis Religiosis, & Missionariis, quos in omnes sui Regni partes immiserat, addiscendam. Quo tempore elapso eos deportandos jussit, atque in exilium abegit. Eorum templa subvertit, ac solo æquavit. Inhabiles eos dixit ad Regni dignitates capessendas, imò ad quæcumque officia tàm prophana, quàm sacra; aliaque plura mirificè gessit anno 1686., & una vice plusquam decies centena millia hæreticorum evaserunt, Regnoque excesserunt.

Rex Galliæ,

Revocat edictum Nannetinam.

Omnesque Hæreticos Regno pellit.

Regiam pietatem egregiis laudibus exornavit Pontifex in Consistorio, quod ad Sacrum Collegium habuit. In publicæ lætitiæ argumentum ferias indixit, & gaudio gestiens, ac gratulabundus scripsit *Ludovico XIV.* Galliarum Regi. Immortalitatem illi pollicetur, atque in Annalibus Christianis æternam memoriam. Verumtamen, ut omni ex parte Ecclesiam Dei tueri velit, hortatur; & ad Religionem quàcumque amplificandam, Ecclesiæque libertatem provehendam impellit.

Morum interea correctioni eò magis intentus Summus Pontifex, severas indixit Leges contra Mulieres immodesto habitu incedentes præsertim in Ecclesiis. Eas etsi nobili loco natas monere, & objurgare non destitit, propositisque pœnis non semel coercuit. Concionatoribus interdixit, ne ad fabulas converterentur, neque suam eruditionem, sed Christum prædicarent Crucifixum, Populumque ex suggestu ad pœnitentiam excitarent; palam ei denunciando mortem instare præ foribus. Religiosos viros doctrina, ac pietate præditos in omnem terrarum Orbem immisit ad Christi Evangelium propagandum, iisque similiter interdixit, ne nil nisi Evangelii dogmata promulgarent.

Leges contra Mulieres immodesto habitu incedentes.

Concionatores instruit, eosque ubique terrarum immittit.

Anno 1683. tota trepidavit Christianorum

Bellum Turcicum.

A Respublica propter Turcarum incursiones. Immanis Christiani nominis Hostis, Hungariâ in servitutem redactâ, cum exercitu innumerabili hominum ferè biscentum millium, ipsam Austriæ Metropolim Viennam arcta obsidione cinxerat. Ne instanti se objiceret discrimini, providè secesserat in Moraviam *Leopoldus* Imperator, ac tota Imperialis Familia, relicto Comite *de Staremberg* Duce egregio ad Civitatis custodiam. Germania verò penè omnis maxima angebatur formidine. *Innocentius* tamen

Vienn. obsidio.

B partes omnes implebat vigilantissimi Pastoris supra viciescentena millia nummorum misit eidem *Leopoldo*, & *Johanni Subjeschi* Polonorum Regi, eumque, aliosque Germaniæ Principes lento nimis gradu in fœdus coeuntes, extimulare, atque urgere non destitit, donec aucto Christianorum exercitu, auxiliisque multiplicatis, fracti sunt Barbari, ac penitus profligati.

Curæ hinc Pontincis.

Valido exercitu adfuit Poloniæ Rex; Præceps Turcarum fuga, Civitas in libertatem

C restituta, spolia hostium capta, Turcæ iterum ad *Barkam* cæsi, *Strigonium* occupatum; grandia hæc miraculo fuerunt Orbi Christiano, ac eo magis visa sunt mirifica, quia Spiritu certè prophetico exultavit Innocentius, atque illo die, quo Viennæ liberatio contigit, eam Romæ evulgavit, sub involucro verborum(*a*), & ex Tabellariis, qui multis post diebus Romam pervenerunt, compertum fuit, veras fuisse festivas illas voces, quas eo die præ gaudio gestiens Innocentius emiserat.

Viennæ liberatio.

D Pontifex vero postquam certior factus fuit de adepta à Christianis victoria, ut eam ad Deum referret authorem, debitasque illi gratias rependeret, quodam die ad templum Beatæ Virginis de *Populo* nuncupatæ gratulabundus accessit. Tunc mirum profecto fuit, quod multitudo pene incredibilis, quæ voce manibusque publicam lætitiam patefaciebat, Pontificem circumvenerit; atque eo magis mirificum fuit, quod ingens populi turma, quæ sese vicissim urgebat, uni tribueret Inno-

Mirifica Populi in Innocentium gratulatio

E centio relatos triumphos, ipsique, piisque ejus lacrymis Christianæ Reipublicæ salutem adjudicaret. Tanta vero Populi lætitia adeo Pontificem molestiâ affecit, ut licet impostcrum Christiani Principes sacro fædere juncti non absimiles victorias fuerint consequuti; ille tamen numquam è domo prodiit, sed privatim, vel in Sacello Pontificio Deo gratias egit, piasque preces exhibuit.

Vexillum hostibus ereptum, quod Comes *Talenius* Poloniæ Regni à Secretis Romam

F pertulit, solemni ritu oblatum fuit *Innocentio* in ipso Sacello Pontificio. Illudque suspendi jussit in Basilica Vaticana. Alterumque similiter vexillum postmodum Romam allatum, misit ad ædem sacram Lauretanæ Virginis, ibique solemnitate incredibili exceptum fuit, & marmoreâ inscriptione donatum, ut erga

Vexill. Turcarum Romam perlata.

(*a*) Ex Thesibus in Processu Canonizat. pag. 386.

Deiparæ præsidium, & Christiani nominis tutelam, grata & perennis extaret memoria.

Venetorum triumphi.

Nec minores hoc anno Veneti retulerunt triumphos. Venetos jam adjuverat *Innocentius* Triremibus Pontificiis, item Etruscis, & Melitensibus, & duabus Reipublicæ Genuensis. *Leucata* expugnata, *Nicopoli* in Achaja, tota *Peloponneso* capta, Respublica Christiana omni prorsus metu soluta est.

Præcipua in Angliam Pontificis cura.

Ejus tamen pristina cura in Anglia versabatur, quam in sinum antiquæ Matris, Romanæ scilicet Ecclesiæ, recipere flagrantissime concupiebat. Hoc illi solatium Deus reservaverat, ac tandem obtinuit, ut *Carolus II.*, qui vivens Fidem Catholicam palam profiteri non potuit, moriens tamen eam juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fassus fuerit. Felicius tamen id præstitit *Jacobus II.* illius Germanus Frater, & in Regno Successor (*a*), quod contigit anno 1685. Nam ipse, vivente adhuc Fratre, & Fide, & moribus palam Catholicus fuit. Ad Regnum vero assumptus avitum, eamdem servavit Fidei puritatem; publicoque Decreto, quod edidit die 14. Aprilis anni 1687., cavit, ne vis inferretur alicui ad credendum, & ut Religio libera esset, impium abolevit Decretum Reginæ *Elisabeth*, quo usque ad illam diem tenebantur omnes Religionem ejurare Romanam. Quosdam etiam Catholicos ad munera publica accivit, quod tot ab hinc annis nunquam evenerat. Nuncius item Apostolicus receptus fuit *Ferdinandus de Abdua* Archiepiscopus Amasiensis magna Anglici Populi admiratione, ac frequentia.

Quam in Fide Catholica redivivam conspexit.

Quid egerit Jacobus II. pro Fide Catholica.

Et prima vice, quum Regem adivit, publicis honoris, & gratulationis officiis (ita eodem jubente Rege) ubique est prosequutus. Paria vicissim *Innocentius* munificentiæ, & comitatis argumenta exhibuit erga Comitem de *Castelmene*, quem *Jacobus II.* Oratorem in Urbe suum designaverat.

Oritur Jacobus III

Rependit misericos Deus Regis pietatem, data ei Prole mascula die 20. Junii 1688., tota gestiente Christianorum Republica, ut in ditissimis illis Regnis vera saltem servaretur Religio apud legitimos Successores. Is est *Jacobus III.*, qui procul ab iisdem avitis Regnis, forti ferens animo Britanniæ sibi subjectæ inconstantiam, Romæ adhuc degit exemplar pietatis, & Fidei.

Lætitiâ gestiens Summus Pontifex de iis, quæ in Anglia tam prosperè eveniebant, ortum novi Regis denunciavit in Consistorio, lacrymansque præ gaudio ter orationem abrupit. Sed maximo mœrore affectus fuit, quum repente, nimiumque celeriter immutatam audivit Angliæ faciem, & Catholicorum lætitiam. Anno namque 1688. *Jacobus II.* a suis derelictus, & à rebellibus oppressus, atque in Galliam secedere coactus, cessit Duci

Jacobus II ex Anglia pulsus.

A *Arausiensi*, qui postquam Brittanos ad rebellionem incitaverat, fretus eorum auxilio, qui a fide Regis defecerant, injustè Regnum invasit.

Palatinatus reconciliatur Ecclesiæ Romanæ.

Alibi tamen meliores fructus invenit ejus Pastoralis sollicitudinis. Palatinatus ob mortem *Caroli* Electoris, qui in superstitione Lutherana prole carens masculinâ decessit, devolutus est ad *Philippum Gulielmum* Neoburgensem, qui Deo adjuvante Religionem suscepit Romanam.

Schismatici error abjurante.

B Fama Innocentii excitati Schismatici Orientales, *Blasius* Archiepiscopus *Samacensis* ad mare Caspium obedientiam professus Romanæ Sedi, 20. Aprilis anni 1682. Operarios mitti rogat ad instructionem Christianorum, qui sub Turcarum torpebant dominio. *Mandrinus* Episcopus *Samautrensis* anno 1683. Prædicatores mitti petit, & Doctores ad docendum rudes Armenos veram Catholicæ Ecclesiæ Romanæ fidem, quam cupiunt, & volunt profiteri, abjurato Schismate, & erroribus Ar-C menorum (*c*) *Euthimius* Archiepiscopus Tyri hoc ipsum efflagitat dicto anno 1683., abjuratis Græcorum erroribus, spondetque fidelitatem, & obedientiam summo Pontifici *Innocentio XI.*, ejusque Successoribus canonicè electis; hoc ipsum denique postulat *Joseph* Patriarcha Chaldæorum, atque *Ignatius* Patriarcha Antiochenus, aliique Orientales Episcopi (*d*).

Legationem excipit Regis Sciami.

Instituto Gallorum Sacerdotum Collegio, plures misit ad ultima terrarum confinia, ut D remotissimos Sciami, & Tunchini habitatores Legem Christi edocerent; Præterea an. 1688. Legationem quamdam Regis *Sciami* publicè excepit; atque aliquos neo Christianos Romam deductos a P. *Zachardo* Gallo Societatis Jesu Sacerdote. Eos more patrio indutos, & munera afferentes *Sciami* Regis, postquam propriis sumptibus, & Congregationis *de Propaganda Fide* diu aluisset, pluribusque vicissim muneribus decorasset, tamdem dimisit studio ac comitate incredibili.

Refert inter Beatos Thuribiū Mongroveum.

E Ut Indos vero in gremio servaret Ecclesiæ Matris, eosque ad Catholicæ Fidei cultum eo magis excitaret; *Thuribium Mangroveum* Archiepiscopum Limensem inter Beatos retulit.

Errores Quietistarum.

Michael Molinos eorum author.

Novis interea calamitatibus angebatur Pontifex ex impia Quietistarum Secta. Hujus Author Sectæ *Michael Molinos* Celtiber Romam venerat, atque eousque pervenit ejus impudentia, ut Romæ ejus iniqua dogmata promulgaverit. Habitu incedens presbyterali, F Sacerdos enim erat, illoque modesto, atque humili, adeò externam pietatem præferebat, ut moribus irreprehensibilis, severus, ac sanctus haberetur. Ad eum viri, & fæminæ undequaque conveniebant. Fæminas tamen primo loco decepit, deinde viros etiam seduxit

in

(*a*) Le Pere d' Orleans revolutions d' Anglet. Vol. 3. pag. 380. & 383. (*b*) Act. Consist. . . . anni 1682. & 1683. Palat. in Vita Innocent. XI. tom. 4. Venuti Numism. Roman Pontif. (*c*) Act. Consistor. ubi supra. Venuti Numism. Roman. Pontif. in Vita Innoc. XI. Palat. ubi suprà.

in privatis congressibus. Hæc ejus errorum erant principia, seu summa capita nempe. *Animam debere semper in contemplatione perfistere, ut Deo adhærere possit. Deinde quiescere oportere, prorsusque negligere, ac despicere, quidquid corpori acciderit. Ideoque, si quid corpus operaretur, nec pœnâ, nec præmio dignum esse, dum Anima Deo adhærens nullam in externis operibus sibi partem usurparet. Proindeque, quodcumque etiam venereum commercium à peccati labe alienum esse propter Animæ, ac mentis in Deum elationem.*

Insana hæc doctrina ad 68. iniquas propositiones protendebatur. Quas omnes tamquam impuras, libidinosas, sacrilegas, & blasphemas damnavit Innocentius XI. die 28. Augusti 1687., & Constitutionem adiecit suam, qua eas damnavit in ejus Bullario impressam (*a*).

Damnatur a Pontifice.

Lectæ fuerunt illæ iniquæ voces in Templo S. Mariæ Super Minervam, præsentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & supremis rerum ad Fidem spectantibus Quæsitoribus, & nonnullis Curiæ Præsulibus, universo præterea adstante Populo, præsente vero, & audiente eodem *Molinos*, qui in habitu pœnitentis stabat in suggestu: Postquam ille suos scelestos mores, & scelestiores opiniones publicè execratus esset; Severa illi pœnitentia imposita fuit: ad carcerem perpetuum damnatus, vitam vixit, ut ajunt, verè pœnitentem. Cardinalis *Cybo* nomine Summi Pontificis, & Sanctæ Inquisitionis decreto per Epistolam Circularem certiores fecit omnes Episcopos, ut vigiles essent in eorum Diœcesibus, ne iniqua hæc dogmata forte alicubi dispersa radices agerent.

Nonnulli alii ejus iniquitatis participes, & Sectatores ab eodem Sanctæ Inquisitionis Tribunali pariter damnati fuerunt, quos inter quidam fuit *Antonius Maria de Leonibus* ex Comensi Diœcesi, qui ulterius progressus, pacem à Christo relictam verbis illis *pacem meam do vobis*, ajebat in sola quietis oratione consistere. Superfluam esse Confessionem Sacramentalem, si quietis oratio præcesserit; per hanc Animam uniri Deo, & Deum fieri, aliaque horrenda evulgabat, quæ eamdem pœnam, idemque supplicium subierunt.

Antonius Leoni, aliique pariter damnati.

Sed huic invictæ constantiæ, atque Apostolici animi magnitudini, pares undequaque emergebant sollicitudines, similesque temporum calamitates. Initio sui Pontificatus edixerat *Innocentius* omnibus Principum Oratoribus, idque suis literis iisdem Catholicis Principibus confirmaverat; Immunitatem eorumdem Oratorum ad Juris Gentium sanctionem se velle circumscribere, ac coercere. Cæterum se ferre non posse abusum quotidie magis gliscentem, quod non modo ipsorum Legatorum ædes, sed quandoque etiam dictarum ædium vicinia, & quidem longo intervallo, forent Asyla latronum, atque hominum perditorum. Justitiam, quam ipse palam profitebatur, se velle omnino exercere, atque unicuique tribuere. Id vero alio pacto assequi non poterat, nisi lictoribus, aliisque justitiæ administris liber pateret aditus per compita, & vias obambulandi, ut contumaces insequi, eosque in vincula possent conjicere.

Nova cum Galliarum Rege diffidia.

Circa immunitatem Oratorum.

Huic postulato, licet initio reclamarent Principum Oratores, deinde tamen omnes assentiti sunt, ne viderentur in Urbe Roma velle de Papæ Jurisdictione disceptare, vel nectere impedimenta justitiæ. Similis porro suberat spes *Ludovicum XIV.* insignem æquitatis cultorem, fore assensu suo Pontificis vota probaturum. Morte enim Ducis *Destræi* Gallici Oratoris, qui mense Januario anni 1686. Romæ obierat, novus ad S. Sedem designabatur Legatus. At vero *Innocentius* nimio forsan ardens justitiæ zelo quum asperius, quam par esset, sententiam suam Regi aperuisset, illique palam edixisset, ut a novo mittendo Oratore abstineret, si Romæ asylorum abusui vellet insistere; Id profecto in causa fuit, ut his de rebus, aliisque fortasse Rex indignatus responderit = *a Legati missione abstinere non posse, ne obsequio erga Sanctam Sedem deesse videretur. Legatum vero suum nihil ab jure suo cessurum fore circa asylorum privilegia* = ac sine cunctatione Dominum de *Bavmanoir* elegit, nuncupatum Marchionem de *Lavardino*, quem suum ad Pontificem Oratorem dixit.

Ingenti militum stipatus numero *Lavardinus* Romam perrexit, & licet in itinere certior fuisset factus, quod in conspectum Papæ venturus non esset, ut postea probavit eventus, incœptum tamen iter absolvit. Quot mala inde evenerint, satis est exploratum: Maxima utrimque rerum perturbatio, & mutua officiorum vicissitudo penitus est abrupta.

Comes de Lavardino Romam petit.

Gravissima hæc jurgia fortasse ad concordiam reduci poterant, si flecti potuisset Innocentius ad concedendum Breve *eligibilitatis*, ut dicunt, ad Electoratum Coloniæ favore Cardinalis de *Furstemberg*. Cardinalis hic, qui a Fide Cæsaris defecerat, quique rebelles Hungariæ in domum Austriacam concitaverat; idcirco Galliarum Regi erat amicissimus; eidemque Regi maximè intererat, virum hunc sibi intimum, & rebus suis fautorem ad illam Ecclesiam, Principatumque admoveri. Galliæ votis semper obstitit Innocentius, ne Cæsaris inimicum extolleret, neve bello præbere faces, atque in Germania discordiam fovere videretur.

Papa negat Bullas eligibilitatis favore Cardinalis de Furstemberg pro Electoratu Coloniæ.

Interea tamen rebus omnibus domi, forisque compositis, solius Galliæ concordiam desiderabat Pontifex, cum cæteri Christiani Principes reverentia, & amore illum prosequerentur. Apud Indos, & ubique Terrarum summa Religione colebatur tamquam Christi Vicarius, & Petri Successor. Ægrotare inte-

Papæ ægrotatio.

(*a*) Quæ incipit -- Alias Nobis.

rea incœpit mense Junii anni 1689. Quidam Regius Administer, gratum putans Pontifici officium exhibere, ultro illi obtulerat Patrocinium sui Regis erga *Livium* ejus Nepotem, cunctamque illius Familiam. Innocentius tamen acriter respondit. = *Se neque domum, neque Familiam habere, quia sæculi sejunctus molestiis, totum se Dei servitio mancipaverat.* =

Eumdem *Livium* Nepotem suum paternâ benedictione munivit, eique ut domui suæ benè præesse posset, liberalitatem in pauperes, quam semper exercuerat, non intermittendam commendavit; Onere adjecto solvendi centum millia scutorum ad Pias causas, quas ipse præscripsit. Cui Nepos munificè respondit; Hospitiique Sanctæ Gallæ, cujus illi administrationem contulerat, curam, & patrocinium commemoravit. Pius iste locus magnis Familiæ Odescalchæ beneficiis etiam ante Pontificatum collatis, præcipuè subsistit.

Pauperes ibidem quacumque affluentes excipiuntur, atque omni juvantur officio humanitatis. Hanc illi hæreditatem reliquit, nec obulum quidem illi præbuit, licet supra decies centena millia nummorum maximo ejus studio, & parsimonia in Apostolicum ærarium invexisset. Tantam auri vim sedulò collegerat, ut assiduis belli Turcici indigentiis occurreret, atque æs alienum, quo Camera Apostolica premebatur, imminueret.

Magnam auri vim re inquit Cameræ Apostolicæ

Quamplura etiam Ecclesiastica Sacerdotia, & quidem ditissima conferre distulerat, ut congrua posset substentatione augere nonnullos egregios Viros, quos ad Sacræ Purpuræ honorem admovere decreverat. Decem denique Sedes vacuas reliquit in Sacro Purpuratorum Patrum Collegio. Uti enim ab hoc dignitatis fastigio ambientes repellere solebat, ita hac in re matura diuturnitate utebatur, longaque meditatione, & consilio; jam verò duabus enunciationibus Cardinales creaverat 43. Quorum 27. promovit die 2. Septembris anni 1686. eodem die, quo Buda in Hungaria in Cæsaris potestatem redacta est, non sine Innocentii XI. prophetico quodam, ut nonnullis visum est, instinctu. Quum enim illis diebus Roma anceps esset, & paveret de belli Turcici eventu, tota Urbs mirata est, quod Pontifex illismet diebus tantam præbuisset occasionem lætitiæ, & promotionem promulgasset, atque eo magis mirata est, quando iis, qui sibi de eadem tam celebri promotione gratulabantur, respondebat Pontifex = *nequaquam de tali promotione, sed de Christiani nominis dilatatione gaudendum esse* (*a*). Obstupebant omnes, verborumque vim, & sensum ignorabant; donec insequentibus diebus per Tabellarios nunciata est celebris victoria, & *Budæ* in Cæsaris potestatem receptio.

Et plura ditissima Beneficia vacantia.

Et decem Cardinalatus vacantes.

Lento, ac diuturno languore jam Pontifex deficiebat. Gravissimis doloribus afflictabatur. Duos enim calculos insolitæ magnitudinis pluribus ab hinc annis in renibus enutrierat. Occupaverant hi omnem utriusque renis cavitatem. Innocentius verò maximos inter cruciatus dicere solebat = Domine auge dolorem, sed auge patientiam = Quinquaginta ferè diebus, ad quos tristis hæc infirmitas protracta est, frequentius pœnitentiæ Sacramentum iterabat, alternis etiam diebus Sacram Synaxim accipere non destitit, quotidiè vero sacrum audiebat. Die autem 5. Augusti monitus, quod ad extremum vitæ suæ vocabatur; lætior visus est, & consueto hilarior, nec ullam in venarum pulsu turbationem animadvertit celebris ejus Medicus *Lancisius*. Sequentibus diebus ritè sacris munitus Cardinalem *de Colloredo* majorem Pœnitentiarium, pluresque Ordinum Generales adstantes voluit, qui sacras Psalmodias, piasque preces repetebant. Ipse vero easdem iterabat languidâ voce, atque intermissâ. Die demum 12. prædicti mensis Augusti anni 1689. obiit ætate annorum 77.

Papæ mors.

Ut mortis ejus rumor invaluit, statim pio tumultu festinavit Populus ad Quirinale Palatium; additæque sunt excubiæ, ne Cadaver in frusta scinderetur. Clamabant enim omnes, atque avidissimè petebant = Reliquias Papæ Sancti = Ejus vestimenta sibi divisere Magnates; Linteola, stragulumque ejus aspersa sanguine præ veneratione item sunt distributa. Postridie translatum fuit ad Vaticanam Basilicam solita funebri pompâ, locatumque in Cappella Sancti Sixti, licet stipante magna militum copia, tamen bis, atque iterum immodica pietate fuit expoliatum fermè ad nuditatem; novisque vestibus superindutum illud abstulerunt Custodes, atque intra ferreos cancellos ejusdem Cappellæ servarunt tribus sequentibus diebus, quibus de more patuit expositum. Justa exequialia peracta sunt à Cardinalibus ab eo creatis, *Livio* etiam Odescalchio ejus Nepote interveniente. Laudes verò illius recensuit *Emmanuel de Schelestrat* Custos Bibliothecæ Vaticanæ, Vir eruditissimus, eleganti quam habuit oratione.

Car-

(*a*) Ex Testibus in Processu Canoniz. pag. 386.

Cardinales numero LXVII. , qui Comitiis Innocentii XI. interfuerunt, nomine recensentur.

EPISCOPI CARDINALES AB URBANO VIII. CREATI. A

1 Franciscus Barberinus Episcopus Ostiensis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius. Romanus.
2 Uldericus de Carpineo Episcopus Portuensis. Urbinas.
3 Julius Gabriellius Episcop. Prænestinus, & Episc. Reatinus. Romanus. B
4 Virginius Ursinus Episc. Tusculanus. Romanus.
5 Cæsar Facchinettus Episcopus Albanus, & Episcopus Spoletanus. Bononiensis.
6 Hieronymus Grimaldus Episcopus Sabinus, & Archiepiscopus Aquensis. Genuensis.

PRESBYTERI CARDINALES EJUSDEM URBANI VIII.

7 Carolus Rossettus Tituli S. Laurentii in Lucina Episcopus Faventinus. Ferrariensis. C

INNOCENTII X.

8 Nicolaus Ludovisius olim de Albergatis Tituli SS. Quatuor Coronatorum Archiepiscopus Bononiæ. Bononiensis.
9 Alderanus Cybo Tituli Sanctæ Pudentianæ Episcopus Æsinus. Massensis. D
10 Benedictus Odescalcus Tit. S. Honuphrii Comensis. Summus Pontifex renunciatus.
11 Laurentius Raggius Tituli S. Petri ad Vincula Episcopus Tarentinus. Genuensis.
12 Joannes Franciscus Paulus Gondi de Retz nuncupatus. Archiepiscopus Parisiensis. Tituli S. Mariæ supra Minervam. Gallus.
13 Aloysius Homodeus Tituli S. Alexii Legatus Urbini. Mediolanensis. E
14 Petrus Otthobonus Tituli S. Marci. Venetus.
15 Franciscus Albicius Tituli S. Mariæ in Via. Cæsenas.
16 Carolus Pius Tituli S. Joannis, & Pauli olim Ferrariæ Episcopus. Ferrariensis.

ALAXANDRI VII. F

17 Flavius Chisius Tituli S. Mariæ de Populo Archipresbyter S. Joannis in Laterano, Signaturæ Justitiæ Præfectus, & S. R. E. Bibliothecarius, Senensis.
18 Hieronymus Bonvisius Tituli S. Hieronymi Illyricorum Archiepiscopus Lucæ. Lucensis.
19 Antonius Bichius Tituli S. Mariæ Angelorum Episcopus Auximanus. Senensis.
20 Jacobus Franzonus Tituli S. Sabinæ Episcopus Camertinus. Genuensis.
21 Petrus Vidonus Tituli S. Calisti Episcopus Laudensis. Cremonensis.
22 Gregorius Barbadicus Tituli S. Thomæ in Parione Episcopus Patavinus. Venetus.
23 Paschalis de Aragonia Tituli S. Balbinæ Archiepiscopus Toletanus. Hispanus.
24 Hieronymus Boncompagnus Tituli SS. Petri, & Marcellini Archiepiscopus Bononiæ. Bononiensis.
25 Alphonsus Litta Tituli S. Crucis in Hyerusalem Archiepiscopus Mediolani. Mediolanensis.
26 Nerius Corsinus Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Episcopus Arretinus. Florentinus.
27 Carolus Bonellus Tituli S. Anastasiæ. Romanus.
28 Cælius Piccolomineus Tituli S. Petri in Monte aureo Archiepiscopus Senarum. Senensis.
29 Carolus Carafa Tituli S. Praxedis. Neapolitanus.
30 Palutius Albertonius de Altieriis Tituli Basilicæ XII. Apostolorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius. Romanus.
31 Joannes Nicolaus de Comitibus Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ Episcopus Anconitanus. Romanus.
32 Jacobus Philippus Ninus Tit. Sanctæ Mariæ de Pace. Senensis.
33 Julius Spinula Tituli Sancti Martini in Montibus Episcopus Sutrinus, & Nepesinus. Genuensis.
34 Innicus Caracciolus Tituli S. Clementis Archiepiscopus Neapolis. Neapolitanus.
35 Joannes Delphinus Tituli S. Salvatoris in Lauro. Venetus.

CLEMENTIS IX.

36 Jacobus Rospigliosius Archipresbyter Sanctæ Mariæ Majoris Tituli S. Sixti. Pistoriensis.
37 Emmanuel Theodosius à Turre ab Arvernia Bullionæus Tituli Sancti Laurentii in Panisperna. Gallus.
38 Ludovicus Emmanuel Portocarrero Tituli S. Silvestri. Hispanus.
39 Carolus Cerrus Diaconiam Sancti Adriani in Titulum Presbyteralem obtinens, Epi-

ſcopus Ferrarienſis. Romanus.
40 Lazzarus Pallavicinus Tituli S. Mariæ in Aquiro. Genuenſis.

Clementis X.

41 Camillus de Maximis Tituli S. Bartholomæi in Inſula. Romanus.
42 Gaſpar de Carpineo Tituli S. Mariæ in Tranſtiberim Vicarius Papæ Generalis. Romanus.
43 Cæſar Deſtræus Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio. Gallus.
44 Domnus Bernardinus Guſtavus Adolphus de Baden Durlacenſis Tituli S. Suſannę. Germanus.
45 Petrus Bonſius Tituli S. Euſebii Archiepiſcopus Narbonæ. Florentinus.
46 Joannes Everardus Nidardus Tituli S. Cæciliæ. Hiſpanus.
47 Frater Vincentius Maria Urſinus Tituli S. Sixti Archiepiſcopus Sypontinus. Romanus.
48 Fridericus Columna, olim de Baldeſchis Tituli S. Anaſtaſiæ. Peruſinus.
49 Franciſcus Nerlius Tituli S. Matthæi in Merulana Archiepiſcopus Florentiæ. Florentinus.
50 Hieronymus Gaſtaldus Tituli S. Joannis, & Pauli Archiepiſcopus Beneventanus. Genuenſis.
51 Alexander Creſcentius Tituli Sanctæ Priſcæ Epiſcopus Recinetenſis. Romanus.
52 Galeatius Mareſcottus Tituli SS. Quirici, & Julittæ Legatus Ferrariæ. Romanus.
53 Bernardinus Roccius Tituli S. Stephani in Monte Cælio Epiſcopus Urbevetanus. Romanus.
54 Marius Albericius Tituli S. Joannis ante Portam Latinam. Neapolitanus.
55 Fabritius Spada Tituli Sancti Chryſogoni. Romanus.
56 Frater Philippus Thomas Hovvardus de Nortfolcia Tituli S. Mariæ Super Minervam, Protector Regni Britannici. Anglus.

Diaconi Cardinales Innocentii X.

57 Franciſcus Maidalchinus Sanctæ Mariæ in Via Lata primus Diaconus. Viterbienſis.
58 Fridericus de Haſſia Darmſtad, Diaconus Sanctæ Agathæ, Protector Nationis Germanicæ, & Regnorum Aragoniæ, & Sardiniæ. Germanus.
59 Carolus Barberinus Diaconus Sancti Cæſarei, & Vaticanæ Sancti Petri Baſilicæ Archipresbyter. Romanus.
60 Decius Azzolinius Diaconus Sancti Euſtachii. Firmanus.

Alexandri VII.

61 Paulus Sabellus Perettus Diaconus Sancti Angeli in Foro Piſcium. Romanus.

Clementis IX.

62 Sigiſmundus Chiſius Diaconus S. Coſmæ, & Damiani. Senenſis.
63 Nicolaus Acciajolus Diaconus S. Mariæ in Coſmedin. Florentinus.
64 Bonaccurſius Bonaccorſi Diaconus Sanctorum Viti, & Modeſti Legatus Bononienſis. Maceratenſis.

Clementis X.

65 Felix Roſpiglioſius Diaconus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano. Piſtorienſis.
66 Hieronymus Caſanate Diaconus Sancti Adriani; Præfectus Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. Neapolitanus.
67 Petrus Baſadonna Diaconus Sanctæ Mariæ in Domnica. Venetus.

In prima Cardinalium promotione, quam Innocentius XI. enunciavit die 1. Septembris anni 1681. ſexdecim in Sacro Cardinalium Collegio Purpuratos Patres adſcripſit. Eorum vero nomina hæc ſunt.

1 Ioannes Baptiſta Spinula Romanæ Urbis Gubernator. Genuenſis.
2 Antonius Pignattellus Archiepiſc. Neapolis. Neapolitanus.
3 Stephanus Brancatius Secretarius Sacræ Congregationis Concilii. Neapolitanus.
4 Stephanus de Auguſtinis Archiepiſcopus Heracleæ, & Papæ Datarius. Forolivienſis.
5 Franciſcus Bonviſius Archiepiſcopus Teſſalonicenſis, & Nuncius ad Cæſarem Apoſtolicus. Lucenſis.
6 Savus Millinus Archiepiſcopus Alexandriæ, & Nuncius ad Hiſpanos. Romanus.
7 Fridericus Vicecomes Archiepiſcopus Mediolani. Mediolanenſis.
8 Marcus Gallius Epiſcopus Ariminenſis. Novocomenſis.
9 Flaminius Taja Sacræ Rotæ Romanæ Decanus.
10 Joannes Baptiſta de Luca Papæ a cognitionibus, & a ſupplicibus libellis. Venuſinus.
11 Frater Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædicatorum, & Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter. Romanus.

Fra-

12 Frater Laurentius Brancati Ordinis Minorum Conventualium, Cardinalis de Lauria nuncupatus. Neapolitanus.
13 Urbanus Sacchettus Auditor generalis Cameræ Apostolicæ. Florentinus.
14 Joannes Franciscus Ginnettus Thesaurarius generalis Cameræ Apostolicæ. Veliternus.
15 Benedictus Pamphilius. Romanus.
16 Michael Angelus Riccius Secretarius Sacræ Congregationis Indulgentiarum. Romanus.

A





I.

JOANNES BAPTISTA SPINULA dictus Cardinalis Sanctæ Cæciliæ Patria Genuensis, Familia satis clara ob insignes affinitates, maximasque divitias; Pater ejus *Joannes Comes Pezzuolæ*, ut rebus suis domesticis incumberet, in Hispaniis degebat, ubi sanguinis propinquitate Primates illius Regni, ac præ cæteris Marchionem *de los Balbases* conjunctos habebat. Matriti igitur hunc filium suscepit die 21. Septembris anni 1615. Ideòque *Joannes Baptista* ab Hispaniarum Rege Civitate donatus, & tanquam nationalis, plura obtinuit Sacerdotia in Hispaniis, atque in Regno Neapolis. Possedit in Diœcesi Tarentina Ab-

A batiam S. Petri, divitemque pensionem in Episcopatu Mazzaræ, ac post mortem *Julii* Cardinalis Spinula, cui *Joannes Baptista* ex Fratre Nepos erat, successit in Archiepiscopatu Mateolæ, quem idem ejus Patruus possederat; deindè ad Genuensem Archiepiscopatum translatus est, ubi strenuam navavit operam Ecclesiæ inserviens, ac Patriæ; non
B sine tamen aliquali offensione, animique molestia, propter publicas salutationes, ritusque cæremoniales inter Magnates servandos.

Hinc statuit Ecclesiam dimittere, auxiliumque implorans, atque officia prædicti Marchionis *de los Balbases* consanguinei sui, Ro-


mam


mam advenit, Cesaris Oratorem, alterumque Regis Catholici Fautores habuit, abdicatoque Genuensi Archiepiscopatu sub *Clemente X.* à secretis dictus est Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium. Deindè sub *Innocentio XI.* electo Præsule *Bevilacqua*, ad munus Nuncii Apostolici ad injicienda pacis consilia inter Catholicos Principes occasione Conventus *Noviomagi in Geldria* habendi; Joannes Baptista eidem *Bevilacqua* sufficitur in munere Gubernatoris Urbis, in quo diù perstitit laudabiliter: Donec die 1. Septembris anni 1681. ab eodem *Innocentio XI.* inter Presbyteros Cardinales relatus est Titulo *S. Agnetis*, quem postea immutavit in alterum *Sanctæ Cæciliæ*, ex quo Cardinalis dictus est *Sanctæ Cæciliæ*, licet postea ad alium ascenderit Sanctæ

A Mariæ Transtiberim. Negocium gerente eodem Marchione *de los Balbases* ejus consanguineo, Regias conciliavit Nuptias inter *Carolum Secundum* Hispaniarum Regem, & *Mariam Aloysiam* Aurelianensem.

Congregationibus interfuit Sacræ Consultæ, Episcoporum, & Regularium, & Visitationis Apostolicæ. Bononiæ de Latere Legatus renunciatus prudentiæ, & Justitiæ Canones, quos diù Urbis Gubernator servaverat, diligenter explevit.

B Comitiis adfuit Vaticanis pro electione Alexandri VIII., Innocentii XII., & Clementis XI.. Postremo podagra laborans, gravisque ætate, ac meritis occubuit die 4. Januarii anni 1704.





Iō Iacobi de Rubeis Fo... Romæ ad Templ S.M. de Pace cum Priu. S. Pont.

II.

ANTONIUS PIGNATTELLUS Neapolitanus natus est die 13. Martii 1615. in Basilicata Regni Neapolitani Provincia, atque in Feudo, quod dicunt *Spinazzolæ*, quod hæc nobilissima Familia possidebat. Pater illi fuit *Pignattellus* Minervini Princeps; Mater verò *Portia Caraffa Andriæ* Ducis filia. Romam missus prima posuit literarum tyrocinia in Collegio Romano apud Patres Societatis Jesu. Morum verò integritate, atque innocentia, cæteris anteivit. Anno ætatis vigesimo, sedente *Urbano VIII.*, inter Curiæ Præsules adscriptus, ac Pro-Legatus Urbini est renunciatus. Hinc in Insula Melitensi Inquisitor, deindè vero Gu-

A bernator Viterbii, & totius Provinciæ Patrimonii: postremo Nuncius Apostolicus Florentiam est allegatus.

In Pontificatu *Alexandri VII.* Regni Poloniæ, Nuncius Apostolicus eligitur. In altero *Clementis IX.* Pontificatu ad Cæsarem abiit eodem munere ornatus Nuncii Apostolici. Regnante demum *Clemente X.* exiguum laboribus præmium Episcopatum *Aletii* in Agro Hy-

B druntino obtinuit: Indè verò a Secretis dictus est Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & postremo eodem favente Pontifice Præfectus datus est cubiculo Apostolico. Hoc in munere confirmatus fuit ab ejus

Suc-

Succeſſore *Innocentio XI.*, qui die 1. Septembris 1681. eum inter Presbyteros Cardinales recenſuit. Deinde ad Epiſcopatum Faventiæ, ac paulo poſt ad Legationem Bononiæ eum admovit. Tandem translatus eſt ad Archiepiſcopatum Neapolitanum; atque in omni Magiſtratu Juſtitiæ amplificandæ Paſtorali ſollicitudine incubuit. Interfuit Comitiis *Alexandri VIII.*, poſt cujus mortem ipſe Summus Pon- A tifex electus fuit, *Innocentius XII.* appellatus.

Satiſque ſit ejus vitam irrequietam, atque otii inſolentem, dum privatim egit, commemoraſſe. Majora ſuperſunt commemoranda, quum eum ad Supremi Apoſtolatus apicem conſpiciemus aſſumptum, in quo Eccleſiæ, B fideique Catholicæ incremento maximoperè ſtuduit.



III.

STEPHANUS BRANCATIUS vetuſto clarus ſanguine, & magnis animi dotibus. Gens enim Brancatia licet Neapoli in varias familias diſtincta, tamen inter Proceres illius Regni adnumeratur, & ſpectatiſſimæ nobilitatis de- A core, ubique divitiis, & dignitatibus, ubique titulis, clariſſimiſque affinitatibus coruſcat. Quinimò generoſa hæc ſoboles quatuor ab hinc ſæculis in Galliam etiam propagata paribus eo in Regno claruit divitiis, paribuſque enituit affinitatibus.

Stephanus Brancatius. Neapoli natus est anno 1618. ex *Carolo Brancatio*, & *Marianna Ostria*: Patruum verò habuit *Franciscum* Brancatium septimum hujus Familiæ Cardinalem; ipse vero octavus fuit in hac Gente, qui Sacra Purpura honestaretur. Eodem Patruo promovente, *Stephanus* Romam venit, postquam Literarum studia naviter exegerat. Munere Gubernatoris functus fuit in variis Ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus, ac præcipuè Perusiæ in Pontificatu *Innocentii X.*, à quo designatus fuerat Inquisitor Insulæ Melitensis, sed dum Neapoli Navim conscenderet, ut ad illam Insulam accederet, audita nedùm morte dicti Pontificis, sed etiam creatione *Alexandri VII.*, Romam iterum accersitur, & ad Magnum Etruriæ Ducem Nuncius Apostolicus allegatur; qua Legatione munificè, prudenterque procuratâ, ad aliam Venetæ Reipublicæ admovetur. Indè verò Romam revocatus Secretarius dicitur Sac. Congregationis Concilii, quod munus, etsi difficillimum, feliciter tamen, optimèque administravit. Tandem die 1. Septembris 1681. inter Cardinales recensetur sub Titulo *Sanctæ Mariæ de Pace*. Indè Episcopus dicitur Viterbiensis, & Tuscanensis, quem Episcopatum idem *Franciscus* Cardinalis Brancatius ejus Patruus obtinuerat. Mirifica ibidem posuit pietatis, & liberalitatis monumenta: Cathedralem Sancti Laurentii munifice instauravit, & in nitidiorem formam redegit; sacrarium ditavit pretiosa supellectile. Sed dum majora parabat; obiit vix anno emenso sui Cardinalatus, die nempè 8. Septembris anni 1682., atque in eadem Ecclesia sepultus est Sancti Laurentii cum hac Epigraphe.

D. O. M.
STEPHANI BRANCACCII
NEAPOLITANI
IN APOSTOLICÆ SEDIS OBSEQVIVM
VARIIS MVNERIBVS
ANNOS VLTRA QVATERDENOS PERFVNCTI
FRANCISCI MARIÆ CARDINALIS BRANCACCII
VITERBIEN. ET TVSCANEN. EPISCOPI
EX FRATRE NEPOTIS
IN VTRAQVE CATHEDRA SVCCESSORIS
CVIVS ANIMI MAGNITVDINEM
PRVDENTIAM LENITATEM
FAMA TESTATVR
HVIVS BASILICÆ IPSIVS MVNIFICENTIA
NITIDIOREM IN FORMAM TRANSLATÆ
SACRARIO PRETIOSA SVPELLECTILE DITATO
OPTIME MERITI
AB INNOCENTIO XI. P.O.M. PVRPVRA DECORATI
POSTMODVM SOLIS CVRSV VIX EXACTO
SPE MVNDI DELVSA
E VIVIS EREPTI VI. ID. SEPTEMBRIS
A PARTV VIRGINIS ANNO MDCLXXXII.
AB EIVS NATALI LXIV. ANIMA COELVM POSSIDET
CINERES HIC VRNA CONDVNTVR.



STE-



STEPHANVS S.R.E. PRESB. CARDINALIS
DE AVGVSTINIS FOROLIVIENSIS CREATVS
DIE I. SEPTEMB. MDCLXXXI.
Obyt die 21 Marty 1683

Ioseph Passarus pinx. *Ia. Blondeau sculp.*

IV.

STEPHANUS DE AUGUSTINIS Forolivii natus est die 2. Februarii anni 1614. ex *Bona Mente de Augustinis*, & *Lucretia Paulutia* Patriciis Foroliviensibus. Avunculum habuit *Franciscum* Cardinalem *Paulutium*; cujus ope insignes ejus animi dotes claruere. Prima literarum rudimenta posuit in Patria, deindè Bononiæ severioribus incubuit disciplinis, ibique postquam utriusque Juris Lauream est assequutus, ad Patriam remeavit. Canonicatu insignitus fuit illius Cathedralis; sed paulo post ipso promovente Avunculo Cardinali, Bononiam mittitur munere donatus Assessoris Generalis totius Legationis, quam tunc gerebat *Petrus Aloysius* Cardinalis Caraffa. Magistratum gessit fide, ac laude singulari. Ideo sedente *Alexandro VII.* Romam *Stephanus* accersitur, & variis Magistratibus adjicitur. Cubicularius enim Pontificis, ejusque Eleemosynarius renunciatur; pauloque post Canonicatum in Basilica S. Petri adeptus est. Inde ad majora Romanæ Curiæ officia admotus, Congregationibus adscriptus fuit Visitationis Apostolicæ, & Fabricæ Divi Petri. Sub *Clemente IX.* à Secretis supplicum Libellorum assumptus est, & plurimis Præsulum Romanę Curiæ cœtibus iterum adjectus est. Inde Archiepiscopus dicitur Heracleæ; demum eve-

cto ad Apostolatus fastigium *Clemente X.*, in iisdem muneribus antea laudabiliter gestis confirmatur. Sedente vero *Innocentio XI.*, Datarius est renunciatus, atque in hac prima Cardinalium enunciatione facta die 1. Septembris anni 1681. Presbyter dicitur Cardinalis *Tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam*, quem titulum jam obtinuerat dictus Cardinalis *Paulutius* ejus Matris Germanus Frater. Vix decem, & octo mensibus in dignitate Cardinalis supervixit; obiit enim die 21. Martii 1683. anno ætatis suæ septuagesimo.

Civitas Forolivii de tanti viri civis sui jactura ingemiscens, maximos illi paravit honores, & in ejus memoriam novam Portam aperuit, Romanam scilicet, quæ Flaminia dicitur, & duplicem Inscriptionem, & statuas tam eidem *Innocentio XI.* Creatori, quam *Stephano de Augustinis* ab eo promoto posuit. Inscriptiones ita in perenne monumentum sunt excul-ptæ.

INNOCENTIO XI. P. O. M.

QVOD INTER PVRPVRATOS PATRES
A SE PRIMVM RENVNCIATVM
STEPHANVM DE AVGVSTINIS
PRÆNOBILEM HVIVS VRBIS PATRITIVM
ADSCRIPSERIT
PLVRIMAQVE ALIA TOTI VRBI CONTVLERIT
S. P. Q. FOROLIVIENSIS
VT OPTIMO PRINCIPI QVANTVM
SVORVM CIVIVM CORDA PATENT
OSTENDERET
PORTAM HANC APERVIT
ANNO CIↃIↃCLXXXVII.

Altera vero Inscriptio in sinistra parte exculpta hæc est.

STEPHANVS DE AVGVSTINIS
SVMMIS PONT.
ALEX. VII. CLEM. IX. ET X.
OB EGREGIAM PRVDENTIAM INTEGRITATEM
ATQVE ANIMI FORTITVDINEM
ACCEPTISSIMO
IN VNO ELEEMOSYNARII SECRETI MVNERE
OMNIBVS FERE PONTIFICATVS NEGOCIIS
ADHIBITO
A SANCTISSIMO INNOCENTIO XI.
STATIM IN DATARIVM ADSCITO
MOX INTER PVRPVRATOS PATRES ADSCRIPTO
VT TANTI CIVIS QVAM IN ANIMIS GESTANT
PRÆ OCVLIS SEMPER EFFIGIEM HABEANT
MARMOREVM HOC SIGNVM
S. P. Q. FOROLIVIENSIS POSVERVNT
ANNO CIↃIↃCLXXXVII.

Nec minus Capitulum illius Cathedralis simile perennis memoriæ monumentum extulit. Statuam enim illi erexit super Portam Ecclesiæ illius majorem cum simili eleganti Inscriptione.


Romæ verò sepultus fuit in Ecclesia Sancti Philippi Nerii, quam dicunt Sanctæ Mariæ in Vallicella propè sepulcrum ipsius Avunculi sui Cardinalis Paulutii cum hoc Elogio.

D. O. M.

STEPHANO DE AVGVSTINIS
PATRITIO FOROLIVIENSI
TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
QVI A FRANCISCO CARD. PAVLVTIO AVVNCVLO
ROMAM ACCERSITVS
INTEGRITATIS DOCTRINÆ PRVDENTIÆ
ET MODERATIONIS
MAGNAM BREVI FAMAM ADEPTVS
AB ALEXANDRO VII. PRIMVM
MOX AB VTROQVE CLEMENTE IX. ET X.
INTIMIS AVLÆ MINISTRIS ADNVMERATVS
IN PRÆCIPVIS VRBIS CONGREGATIONIBVS
ET ARDVIS QVIBVSCVMQVE NEGOCIIS
ADHIBITVS
DEMVM
INNOCENTII XI BENEFICENTIA DATARIVS
AB EODEM PVRPVRAM
ET VIGILANTER ADMINISTRATI MVNERIS
PROEMIVM TVLIT
OBIIT XXI. MARTII MDCLXXXIII.
ÆTATIS SVÆ LXIX.
CARDINALATVS II.
ABBAS BONAMENTES DE AVGVSTINIS
EX FRATRE NEPOS
SS. BASILICÆ VATICANÆ CANONICVS
SINGVLARIS IN SE AMORIS
BENEFICENTIÆ MEMOR
POSVIT



FRAN-




V.

FRANCISCUS BONVISIUS tertius hujus prænobilis Familiæ Cardinalis Lucæ in Etruria, natus est die 17. Maii 1626. ex *Vincentio Bonvisio*, & *Maria Gabbriella* Patritia itidem Lucensi, atque ultima hujus Familiæ superstite. Emensis in Patria feliciter studiis sub *Josepho Laurentio* celebri illius ævi Literarum Professore; Romam indè accersitur ab *Hieronymo* Cardinali *Bonvisio* ejus Patruo, quo promovente Cubicularius efficitur *Alexandri VII.*, & Canonicus Lateranensis Basilicæ. Indè inter Curiæ Præsules adscriptus, variisque perfunctus Magistratibus socius datur Cardinali *Chisio* Galliam petenti ad componenda molestissi- A ma dissidia, quę Romanum Pontificem inter, & Christianissimum Regem exorta erant. Romam reversus à Secretis dictus est Congregationis Aquarum. Tandem Coloniam Agrippinam Nuncius mittitur Apostolicus, & Archiepiscopi Tessalonicensis titulo decoratur. Hoc etiam munere laudabiliter exacto, ad Sarmatas mittitur Nuncius Apostolicus, ubi Religioni amplificandæ, & S. Sedis authoritati B promovendæ sedulam navavit operam. Postremo ad Cæsarem mittitur; ubi cum pluribus annis moratus fuerit, suamque promotionem avidè expectaret; morę tandem impatiens, quod eam tamdiù *Innocentius XI.* differ-

fer-

ferret, datis Literis *Flavio* Cardinali *Chiſio* expreſsè miſſionem ſuam rogavit, edixitque ſe quam primum Legatione infecta diſceſſurum.

Sed Cardinalis *Chiſius* prudentia fretus, & amicitiæ fœdere, quo eum proſequebatur, Literas non exhibuit *Innocentio XI.*, imò acriter reſcripſit eidem *Bonviſio*, eumque admonuit, ne intempeſtivè Pontificem irritaret. Quievit *Bonviſius*, laudavitque conſilium Cardinalis *Chiſii*, donec die 1. Septembris 1681. inter Cardinales refertur tituli *Sancti Stephani in Monte Cælio*. Deindè Archiepiſcopus Lucenſis efficitur, & Congregationi adſcribitur Sacri Concilii Tridentini, & Conſultationis ſuper Statu Eccleſiaſtico. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.*, quo ægrotante anno ſalutis 1700., aliquibus ipſe diebus mortem præceſſit Pontificis. Obiit enim die 25. Auguſti anni 1700. ætatis ſuæ 74., ſepultuſque eſt in Metropolitana Lucenſi in tumulo, ubi cæteri illius Reipublicæ Antiſtites conditi ſunt.





SAVVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
MILLINVS ROMANVS
CREATVS DIE
I. SEPTEMBRIS MDCLXXXI.
Obijt die 10 Februarij 1701 hora noctis sexta.

Iosep Passarus Pinxit — *[illegible] Farjat Sculp*

Dominicus de Rubeis Heres Io Iacob. de Rubeis formis Romę ad Templum S M de Pace cum priu. S P. et Sup perm

VI.

SAvus Millinus Romæ naſcitur die 4. Julii anni 1644. ex *Mario Millino*, & *Junipera Capponi* Patritia Florentina. Familia Millina inter Primates, & vetuſtiſſimas Romæ adnumeratur. Hinc *Savus* liberali, ac ſanguinis nobilitati congrua educatione inſtitutus, ad omnia ſe præbuit idoneum. Statum Eccleſiaſticum amplexus eſt, ad quem capeſſendum mores ejus, & ſtudia ad id aptè quæſita impellebant. Sub *Alexandro VII.*, & ſub *Clemente IX.* & *X.* minora, non levia tamen, Præſulis munera prudenter obivit. Indè ab eodem *Clemente X.* à Secretis primum dictus eſt Congregationis Boni Regiminis, mox Archie-

A piſcopus Alexandriæ, poſtmodum vero ad *Carolum II.* Hiſpaniarum Regem Nuncius Apoſtolicus miſſus eſt.

Plena negocii, ac periculi erat Legatio; quia Galliarum Rex *Ludovicus XIV.*, pluribus elatus victoriis, nova ſemper in ipſam Hiſpaniarum Monarchiam moliebatur diſcrimina. Novas etiam in Romanum Pontificem querelas nectebat; Jura Regaliæ in Epiſcopatibus
B vacantibus ultra antiquas metas extenderat, atque ultra Lugdunenſis ſtatuta Concilii extulerat. Has *Innocentius XI.* querimonias, aliaſque diſſidiorum cauſas Principibus nunciaverat Chriſtianis, ac præcipuè Catholico

Regi. Hinc operosa *Millino* Provincia fuit, quam tamen prudentia gessit singulari. Incitare etiam non destitit Catholicum Regem ad auxilium Cæsari præstandum penè Turcarum armis oppresso: quod tamen Hispanus Rex vel distulit, vel minus dedit, utpotè Galliarum armis distractus.

Utcumque tamen Millinus gratissimam nedum Pontifici, sed etiam ipsi *Carolo II.* Legationem absolvit. Nam præter prudentiæ, fideique, ac probitatis, quas possidebat, dotes, magnificus etiam erat, ac splendidissimus. Sumptus enim in grandi supellectilis apparatu, in comitatus pompa, in largitionibus effusissimis adeò supra solitum extulerat, ut nedum divitem prænobilis Familiæ censum imminuerit, sed & ipse magno æris alieni pondere obstrictus fuerit. Eum tandem Purpura decoravit *Innocentius XI.* hac die 1. Septembris 1681. ac ei contulit titulum *S. Mariæ de Populo*, à quo die 10. Februarii 1701. gradum fecit ad alterum *Sancti Petri ad Vincula*. Hunc ex Hispania redeuntem pluribus adscripsit Cardinalium cœtibus, nempè Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & sacræ Consultationis. Illi deindè contulit Episcopatum Urbevetanum, quo in munere Pastoralis sollicitudinis monumenta reliquit; non sine tamen suæ valetudinis detrimento. Aeris enim expertus insalubritatem, annuente Pontifice, ad Ecclesiam Sutrinam, & Nepesinam translatus est. Ibi pari sollicitudine Ecclesiasticæ disciplinæ, cultuique Divino amplificando enixè incubuit: Donec mortis cogitatione pressus quotidie magis, ipse sibi vivens sepulcrum posuit, atque inscriptionem sequentem.

D. O. M.

SAVVS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS MILLINVS
QVEM ALEXANDER VII. CLEMENS IX. ET X.
ROMANA IN AVLA CLARIS MVNERIBVS
DECORAVIT
POST OBITAM DECENNIO
PONTIFICIAM IN HISPANIA LEGATIONEM
SACRA PVRPVRA
ET ECCLESIA VRBEVETANA
AB INNOCENTIO XI. DONATVS
QVAM AB ALEXANDRO VIII.
DIMITTENDI FACVLTATE OBTENTA
AD SVTRINAM ET NEPESINAM
EXINDE VALETVDINIS ERGO TRANSLATVS
AB INNOCENTIO XII.
TANDEM VERA MORTIS PHILOSOPHIA EDOCTVS
INANEM MVNDI GLORIAM
VAPORIS INSTAR TRANSIRE
ÆTERNAM VNICE PERMANERE
HVIVSQVE AMORE ILLECTVS
DVM MORTEM
QVÆ AD CONCVPITAM FELICITATEM
ADITVM RESERAT
PRÆSTOLATVR
SEPVLCRALEM HVNC LAPIDEM EREXIT
IN TITVLVM SVÆ AGNITIONIS ET SPEI
ANNO DOMINI MDCLXXXIX.

Ipse vero cum Comitiis adfuerit Alex. VIII., & Innoc. XII., obiit die Jovis X. Februarii anni 1701.



FRI-



VII.

FRIDERICUS VICECOMES Mediolanensis natus est die 4. Decembris anni 1617., ex Comite *Carolo* Quæstore Magistratus Ordinarii, & Thesaurario Generali, & ex *Francisca Perona*.

A Cum parem Fridericus insignibus ejus Natalibus nactus esset educationem, artesque omnes liberales, atque omnia Literarum studia emensus esset, Laurea doctorali in Accademia Ticinensi ornatus fuit. Primicerius in-

de assumitur in Metropolitana suæ Patriæ Ecclesia. Locum pariter in Collegio Jurisconsultorum est assecutus, qui nonnisi Patriciis illius Civitatis confertur; Romam inde venit Advocatus Consistorialis; & deindè Rotæ Romanæ XII. vir renunciatur. Demum Successor datur *Alphonso* Cardinali *Litta* in Archiepiscopatu Mediolanensi. In hac verò prima *Innocentii XI.* enunciatione factus est Presbyter Cardinalis tituli *Sancti Alexii*.

A

Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.*, in cujus Pontificatu decessit die 7. Januarii 1693. In eadem Metropolitana Mediolanensi sepultus est, tumuloque hoc breve Elogium adjectum est.

FRIDERICVS CARDINALIS VICECOMES
ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
OBIIT VII. IDVS IANVARII MDCXCIII.





MARCVS S.R.E. PRESB. CARDINALIS GALLIVS.
NOVOCOMENSIS. CREATVS. I. SEPTEMBRIS.
MDCLXXXI.
Obyt die 24. Iuly 1683.

Io Batta Gaulli Pinx. — Io Blondeau Sculp.

Io Iacobi de Rubeis Formis Romæ ad Templ. S. Mariæ de Pace cũ Priu. S. Pont.

VIII.

MARCVS GALLIVS Novocomensis Francisci Ducis Alviti filius Agnatus *Ptolomæi* alterius Cardinalis *Gallii* à Pio IV. creati, quique celebris fuit sub nomine Cardinalis Comensis. Hæc nobilis Familia clarissimis fulget affinitatibus Neapoli, Romæ, & Mediolani. Ubique eximiis etiam affluit divitiis. Ipse verò sub *Alexandro VII.* Præsul effectus, plurimisque functus muneribus, Præfectus Marchiæ Anconitanæ renunciatur. Indè Coloniam Agrippinæ Nuncius Apostolicus allegatur; donec Romam revocatus, munere Vicesgerentis decoratur, & Consultoris Sancti Officii, nec multo post Episcopus Ariminensis dictus,


A vigilantissimi Pastoris curas omnes obivit. Iterum Nuncius Apostolicus Neapolim mittitur, iterumque sine causa, quæ in vulgus patuerit, revocatus à *Clemente X.* ad sui Gregis custodiam Ariminum rediit, ubi majora semper præstitit Religionis, & Christianæ pietatis specimina. Anno 1672., quo Terræmotu concussa Civitate, ac penè disjecta, precibus, alimonia, atque auro subvenit egentes. Tan-
B dem *Innocentius XI.* hac læta die 1. Septembris 1681. eum Purpura decoravit, atque inter Præsbyteros Cardinales recensuit titulo conlato Sanctæ *Pudentianæ*.

Curas iterum Episcopales exercuit assidui-

iate,

tate, & labore singulari. Dum vero ab *Innocentio XI.* Bononiæ Legatus designabatur, ictu Apoplesiæ correptus obiit die 24. Julii 1683. Congregationem de Propaganda Fide ex Asse A hæredem instituit, ut Catholica in dies augeretur Religio, atque Evangelii Ministri, & Fidei Præcones alerentur in qualibet Orbis parte.





IX.

FLAMINIUS TAYA nobilis Senensis anno natus 1600. studiis in Patria amœnioribus emensis, totus deindè incubuit Jurisprudentiæ.

Ad quam exercendam Romam venit in munere Advocati. Pluribus gessit annis hoc genus Officii non sine laude; donec evecto ad Apostolatus apicem *Alexandro VII.* suorum Civium fautore, & Promotore assiduo, locum nactus est inter Advocatos Consistoriales, deindè verò XII. vir Rotæ Romanæ est renunciatus. Mox Regens Pœnitentiariæ effectus. Hæc munera honoris, & lucri plena plurimis gesta sunt annis à *Flaminio* integritate, ac fide

A singulari. Senior tandem, quem Decanum dicunt, in ipso Rotæ Romanæ Tribunali emersit. Ideoque, ut fieri solet in numerosis Cardinalium enunciationibus, volens *Innocentius XI.* aliquem ex eodem Tribunali ad Cardinalitiam dignitatem evehere, *Flaminium Taya* elegit. Extremam ipse agebat ætatem, erat enim octogenarius, ideòque mortis potiùs, quam honorum cogitatione tactus, re-
B nuebat sincerè novam inire dignitatem. Effusis propterea precibus, ac penè lacrymis rogabat Pontificem, ut à proposito resiliret. Prolixum hac de re, plurimisque refertum allegationibus exaravit supplicem libellum

quo

A quo plurimam ostentando eruditionem, quam verè ab hac dignitate abhorreret, patefaciebat, ut ex sequenti constat epistola.

BEATISSIME PATER.

Clementia S. V., quæ semper pronis oculis meam respexit umilitatem, experimento majori animum benefaciendi exhibere haud poterat, quam Purpuræ promotione. Magni animi vestri in eo celsitudo exuberat, quod hominem omninò immeritum exaltare dignemini. B *Centum oppido Linguæ mihi essent pernecessariæ, ut gratiarum immensitatem agnoscerem, testatamque facerem: Verum cum unam habeam, & quidem inofficiosam, modestiam eligo, quæ meritò declinet errores, quos contingere valet senilis ætas, quæ jam uno supra octoginta annorum pondere premitur, cum ad reddendam rationem villicationis meæ, ad supernum evocet Tribunal, à curis revocat humanis: Propterea humilis exposco, si cum humillima gratiarum actione, adjuro vos pro salute animæ meæ, ne* C *irascatur S. V. si à vestro prudentissimo aberrando decreto, purpura abstineam. Infelicissimum namque ego me existimabo, si voluntati meæ vis inferatur. Exclamabo quotidiè cum Propheta:* Funes ceciderunt mihi in præclaris Psalm. 15.

Humili sorte contentus, cur specie honoris in laqueum incidam sollicitudinis? Audias Beatissime Pater senem decrepitum, verba repetentem D. Gregorii Nazianzeni in Concilio Constantinopolitano I., & exaudiat. D Non in eum virtutis gradum perveni, ut virtutem absque mercede colam. Laborum præmium mihi date, non quod aliqui possint suspicari, sed quod mihi tuto postulare licet, diuturnis laboribus nos levate, ac recreate. Moneat vos hæc Canities: alium subrogate, qui pro nobis vexetur vobis timido, ignaro: in dies moriente non opus est sene. Lassus sum &c.

Placet S. V. mercedem aliquam labori rependere? Onus oneri non imponet in hoc residuo dierum meorum, permittat, ut sarcinas colligam E *pro transitu ad vitam æternam. Non turbetur cor vestrum, neque irrideant me homines docti, indoctique. Si enim Theologi propositum meum damnaverint auctoritate* D. Thomæ *22. quæst. 23. dicentis* Moyses, & Hieremias considerantes insufficientiam propriam non recusabunt pertinaciter officium, quo digni erant ex gratia Dei *item D. Augustini Epi. 81., qua Monacis suadet.* Ne Ecclesiasticæ dignitates, aut elevatione avida suscipiantur, nec blan- F diente desidia respuantur: sic inter ignem, & aquam medii incedant non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. *Redarguam eos ejusdem D. Thomæ, aliorumque Sanctorum, ac D. Scripturæ auctoritate. Teste namque eodem Angelico* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 1., & 2. Triplici impedimento potest recusari officium prælationis, scilicet propter impedimentum devotæ contemplationis, dulcis affectus, & spiritus exultationis. *En ergo multiplex exceptio regulæ quamvis mihi non congruæ concordat Petri Damiani* opus 21. *Monachum laudans, qui Abbatiam respuerat, ipseque Nicolaum II. rogavit, ut Episcopatu se cedere permitteretur, petitionem suam pluribus comprobans exemplis, & argumentis. Divinum tandem proferamus eloquium;* cavete à curis hujus sæculi Matth. 6. Christus fugit in Montem, cum Judæi vellent Regem eum *constituere* Jo. 6. *Hieronymus vero defectum annuens incapacitatis meæ ita pungit, & urget eum, qui cognita inhabilitate non se abdicat Lucæ 9. serve nequam, quare non* dedisti pecuniam meam ad mensam, & illam cum usuris exegissem? *Pro deliberatione mea Origenes tandem consurgat* homil. 21. dignitatem repudians suæ saluti consulit; nam num. 21. Peccavit Populus, & Dominus jubet Principes Populi stare contra solem, velut pro Populo rationem redditurі: sufficit mihi pro meis argui delictis, quid mihi necesse est pro alienis sistere coram sole, ante quem nihil potest abscondi:

His satisfactum puto Theologis, quibus super omnes deferendum. Canonistis modò satisfaciam allegantibus Cod. in scripturis 8. quæstion. 1. Locus regiminis sicut desiderantibus est denegandus, ita fugientibus est offerendus. *Objiciendo Concilium Aurelianense 5. Can.* 11. Nullus invitus ordinetur Episcopus, *legistis, qui argumento electionis factæ à S. V. me non immeritum arguunt Legem adducentibus* 3. 7. *Præsens ff. de muneribus, & honoribus, in qua dicitur:* Potest quis invitus ad dignitates, & honores eligi, quia Reipublicæ interest benemeritis honores, & præmia conferri Leg. penul. ff. de Offic. Prætoris. Interest enim Reipublicæ probatos viros non cedere honori, *eosdem ad suas distinctiones non solum remittam, sed tit. 36. Codicis redarguam.* Ne quis liber invitus actum recipere, & gerere cogatur.

Politicis, & Historicis 2. Pol. 7. Aristotelis dicentis; etiam nolentes ad Magistratus gerendos adigi debere, nam si boni sint, officio suo ritè fungentur, *& Bodini 4. de Republica cap. 1. exemplo Gordiani, & Claudii, aliorumque, qui coacti clavum subire Regiminis cum Platone Lib. 1. de Republica occurram;* si virorum bonorum extaret Civitas, in ea laudabiliter non imperandi gratia pugnaretur, ut nunc certatur regnandi cupiditate, ibique pateret, re vera legitimum Principem non sui ipsius, sed ejus, qui sub ipso est, commoditatem respicere: *concordat* Dion. *Lib. 36.* Potest ab idoneo recusari Magistratus; si sint idonei ad Regimen. *Inter prophanos plura habes exempla eorum, qui dignitatibus abstinuerunt, ad quas fuerant vocati, apud Cassanæum* Catalogo Gloriæ Mundi part. 1. cons. 90. *Inter sacros Arnulphus Metensis, Formulphus Cisterciensis, Diodatus Ancortrivensis; Gaudobertus Tefonensis, Lambertus Florentinus, Nonus Antiochenus, Ammonius, Abbas Grego-*

rius

rius Nazianzenus, aliique, qui dignitatibus abstinuerunt, alii, qui sibi membra mutilaverunt, ut illis impares apparerent. Marcum Evangelistam Dei electum post fidem susceptam (*Hieronymus scribit*) pollicem sibi amputasse, ut Sacerdotio reprobus efficeretur, sed & Antonium Anacoretam, ne fieret Episcopus, lævam sibi auriculam ferro præcidisse, Rodigin Lib. 6. C. 4.

A

Sapientibus usque modo cum satisfecerim B. Pater, vulgum modo pacare superest mussitantem, à quo accusor, quod vitam duxerim semper in Rota; modo Rota ipse agar volubili anxius recusandi: Respondeo vota mea fuisse semper ad quietem longe ab aulæ strepitu secedendi, Populo ipsi non incognita: occasio sola expectabatur, quæ venit, & quia in Purpur. tantò gravior, & venerabilior. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? 5. *Cantic.* 3. *Inclina B. Pater aures tuas ad preces meas, lacrymas suscipe hominis morientis; Romæ namque, & reliquo in Orbe viri haud desunt timorati pleni virtute, qui me fortiores, sapientiores gradum teneant Apostolicum. Quæso ne me provoces, turbes;* honores namque (*ajt Eusеb. Nerimberg. Lib.* 2. *C.* 81. *de art. voluntatis*) pessimi sunt morum arbitri, merito diffamantur, quod mutant mores, qui invariabilis sui virtutisque sequester velit esse, oderit ambitiosa, suam amet mediocritatem: altissima rerum omnium virtus odit alta, amat modum, qui omnia moderatur. *Mea sorte contentus, ascensum non desidero; quæcumque*

B

mutatio mortem accelerat, capite jam ingressus sepulcrum, si urnam pede pulso, regrediar quomodo, ut novam personam induam in Orbis theatro? Exaudi Domine exaudi preces clamantis, gratias suscipe, quas mihi erga te præparavit Sinesius Epis. 105. Gratiam habeo Solomensibus, quod tantorum me dignentur, quantorum ipse me incapacem cognosco. Cæterum non hoc loco considerandum est, an illi magna largiantur; verum etiam an à me suscipi possint. Meipsum autem explorans invenio non congruere Sacerdotii dignitati. Metuo, ne factus arrogans, admittensque honorem, ab utroque aberrem: à Philosophia quidem deficiens; Sacerdotio autem, dignitati ejus non satis faciens. *Humillimas solvo grates S. V. ob honorem mihi collatum; verumtamen tanto oneri me imparem agnoscens, abstineo, ne morum*

C

jacturam faciam, quietis, animæque salutis. Transivimus per ignem, & aquam, & induxit nos in refrigerium Proverb. 65. acerbitatem laboris dulcedo quietis recipit, & asperitatem vitæ gaudium post certamen coronæ, & *Pedes osculor Sanctissimos B. V.*


Flaminius de Taya.

Spe tamen quacumque ad recusandum sublata, rejectam Purpuram, ita jubente Pontifice admisit, die 1. Septembris anni 1681. sub

D

titulo *Sanctæ Mariæ de Pace*, sed illam vix integro gestavit anno, ut præviderat. Obiit enim die 5. Octobris anni 1682. ætatis suæ octogesimo secundo, sepultusque est in Ecclesia ejus Titulari Sanctæ Mariæ de Pace.





X.

JOANNES BAPTISTA DE LUCA Venuſinus maximum Juriſprudentiæ lumen, ſi noſtra hæc ſæcula Papinianos non ferunt, aut Modeſtinos, aut Labienos; tamen ipſe monſtravit, quod aliquis hiſce temporibus emerſerit acutiſſimi vir ingenii, qui omnigenam Legalem facultatem præclaro rationis, atque ingenii lumine, & aſſidua veritatis inveſtigatione tractaverit. Alter ætatis noſtræ Cujacius rectè ille exiſtimatur; minor quidem eruditione, atque in Accademica Palæſtra, & in Cathedra; ſed in foro, & in praxi valdè utilior; in methodo tamen qua Philoſophico, ſolidoque ratiocinio cuncta diſponit, ac dirigit, certè par. Vivens ab obtrectatoribus ſuis vexatus fuit, & modo etiam ab iis, qui allegationibus, & falſa ſapientiæ imagine delectantur: traducitur, quod ſit in allegandis Doctoribus nimis parcus, nìmiſque ingenii ſui fidens videatur, ſed homo ſapiens, qui ſemper à Forenſibus Rabulis, & Leguleiis abſtinuerat, benè noverat has allegationes ad oſtentationem congeri, atque expiſcari, non verò ex neceſſitate; ideòque oneroſam hanc Doctorum farraginem neglexit, ſed ex penetralibus Juriſprudentiæ veritatem propoſitionum indagabat, ſæpè diſtinguendo, legali ratione philoſophando, æquivoca detegendo. Mos iſte

fuit antiquis illis Romanæ Jurisprudentiæ luminibus, qui non exemplis, sed tantum rationis authoritati inhærentes eamdem fundarunt Jurisprudentiam. Allegationes tamen quæ ad rem omninò facerent non omisit; sed verè quæstioni idoneas, & necessarias.

Hæc de ejus scriptis delibasse opus erat, quia majorem ille certè ex ejus Libris gloriam adeptus est, quam ex Cardinalitia dignitate. Venusii *Jo. Baptista* natus est humilibus quidem, honestis tamen Parentibus anno 1614., & quæ in Patria sua humaniora studia desiderabantur, hausit in propinqua Civitate Salerni; ut vero Legali facultate imbueretur, Neapolim venit, & ut animo proposuerat, impensam Jurisprudentiæ navavit operam. Ad hanc vero facultatem adeò intentum animum adjecerat; ut & in adversam inciderit valetudinem, & medicorum consilio in Patriam remeare adactus sit. Ibi viribus recreatus, quum mors evenerit Episcopi Venusini, unanimi illorum Canonicorum sententia, Vicarius Capitularis electus est.

Biennio vix elapso, Romam venit anno 1645., qui erat ætatis suæ trigesimus primus. Sub Clientela Cardinalis *Ludovisii* maximè profecit in omni Doctrinarum genere, crevitque in hominum existimatione. Pro eadem familia Ludovisia Assessor etiam fuit renunciatus. Munus Advocati obire cæpit, & brevi eximium inter eosdem Advocatos nomen adeptùs est, semperque retinuit.

Cæterum labentis suæ Familiæ unicus superstes, cum vitam in studiis penitus attrivisset, decentesque divitias cumulasset pro sui alimonia, reliquum vitæ suæ Literario otio, & mortis cogitationi donare decreverat. Hinc sacris initiari, & Sacerdos fieri voluit, atque, ut statuerat, Deo, & sibi vivere incæpit; sed evecto ad Apostolatum *Innocentio XI.*, ne tantus vir Curiæ deesset Romanæ, Auditoris primum, mox etiam supplicum libellorum Secretarii munere eum decoravit. Urbis expectationi abundè respondit; & munere functus est maxima cum integritate, ac Justitia. Quare in prima *Innocentii XI.* Cardinalium enunciatione in S. Senatum invectus est sub titulo *S. Hieronymi Illyricorum*; sed emerita dignitate non diù frui licuit; ætate enim, laboribus, curisque confectus obiit anno 1683. mœstitia, ut ajunt, concepta, quod *Innocentius XI.* eum redarguerit, quod propriam opinionem aliquibus in casibus exposuerit, tanquam Oraculum Papæ. Cæterum graviter indoluit Pontifex audita èjus ægrotatione, & morte. Ut enim insigni excellebat doctrina, ita, & prudentia, & integritate, & morum severitate verè erat irreprehensibilis, adeò ut Summus Pontifex graviora Pontificatus negotia, cum ipso semper communicaverit.

Obiit die 5. Februarii 1683. Romæ sepultus in Ecclesia *Spiritus Sancti* nationis Regni Neapolis cum hoc Elogio.

D. O. M.
IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS
AB INNOCENTIO XI. ELECTVS IN CARDINALEM
OB EXIMIAM IN OMNI IVRE PERITIAM
INTEGRITATEM IVSTITIAM
ATQVE ERVDITIS VOLVMINIBVS
STABILEM FAMAM
MORIENS FACVLTATES RELIQVIT ECCLESIIS
ET PAVPERIBVS
SIBI OPVLENTIAM VIRTVTVM
PATRIMONIVM AD IMMORTALITATEM
OBIIT V. FEBRVARII ANNO SALVTIS MDCLXXXIII.
ÆTATIS SVÆ LXIX.





XI.

FR. RAIMUNDUS CAPISUCCHUS Romanus Patrem habuit *Paulum Capisucchium* Marchionem *Poggi Catini*, & *Monteri*, Matrem vero *Hortensiam Marescotti*: Ex istis Patritiæ Gentis Parentibus Romę natus est Fr. *Raymundus* die 5. Novembris anni 1615., ac *Cammilli* nomen in Baptismate sortitus est. Nomen hoc immutavit anno ætatis suæ XIV., quo Religionem ingressus Fratrum Sancti Dominici, cujus habitum induit die 8. Junii 1630. adeò profecit in studiis philosophicis, & Theologicis, nec non in omni genere eruditionis, ut nedum Orator gravis haberetur, sed in maximis totius Ordinis controversiis ejus consilium ab aliis exquireretur.

Anno 1650. ab *Innocentio X.* assumitur ad munus Secretarii Sac. Congregationis Indicis; anno vero 1653. Examinator Episcoporum; sequenti tandem anno Magister efficitur Sacri Palatii Apostolici; sed alternante fortuna, vel alienâ percussus invidiâ, tempore *Alexandri Septimi*, de quodam Libro incautè, ut dictum fuit per ipsum approbato, accusatur. Pronis auribus criminationem excepit Romanus Pontifex, eumque ab Officio removit, & quemdam Fratrem *Hyacinthum Libelli* inti-

mum suum in tam nobili Magisterio illi suffecit.

Magno tulit animo infortunium *Capisucchius*, atque ad Cœnobium, & ad pristinum vitæ Religiosæ institutum lætus libensque redit, sed omnium fermè vocibus, ac querimoniis certior factus ipse Pontifex de innocentia *Capisucchii*, speciosis illum titulis præferre voluit cæteris Confratribus, & ad Cathedras invitavit Episcopales, quas modestissimè recusavit. Mortuo *Alexandro VII.*, *Clemens IX.* Episcopatum illi obtulit Nucerinum in Umbria, sed incassum, quia Officiis incumbens pietatis, otiumque præferens religiosum, ac litterarium, oblatam quoque respuit dignitatem.

Die vero 1. Februarii 1673. *Clemens X.* Magisterium illi restituit S. Palatii Apostolici, ob translationem dicti Patris *L'belli* ad Archiepiscopatum Avenionensem.

Munus jampridem benè gestum, optimè indè explevit. Donec die 1. Septembris anni 1681. ab *Innocentio XI.* inter Presbyteros Cardinales relatus est, dato illi titulo *Sanctæ Mariæ Angelorum*, quem postea dimisit alio assumpto *Sancti Stephani in Monte Cœlio.* Decem supervixit annis inter Purpuratos Patres. Comitiis cum adfuerit *Alexandri VIII.*, obiit die 22. Aprilis anni 1691., dum Comitia habebantur pro electione *Innocentii XII.* Congregationibus adscriptus erat examinis Episcoporum, S. Inquisitionis Indulgentiarum, Rituum, Indicis Librorum prohibitorum, & Reliquiarum. Conditus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Porticu in sepulcro majorum, quod ipse ex marmore, nitidisque adjunctis Mausolæis ornaverat. Hanc ibi inscriptionem ipse adjecerat.

D. O. M.

PVRPVRA INFVLIS
EX INCLITA FAMILIA CAPISVCCA
PRÆCLARIS VIRIS
ROBERTO S. R. E. PRESB. CARD.
TITVLI S. CLEMENTIS
AB VRBANO II. CREATO ANNO CIƆXCVII.
PETRO S. R. E. PRESBYTERO CARD.
ET APOST. SEDIS IN VMBRIA LEGATO
SVB CALISTO II. ANNO MCXXII.
IOANNI ROBERTO S. R. E. TIT. S. CÆCILIÆ
PRESB. CARD. AB HONORIO II. CREATO
ANNO MCXXVI.
IO. ANTONIO TIT. S. PANCRATII
PRESB. CARD. A PAVLO II. CREATO
ANNO MDLV.
EPISCOPO LAVDENSI SIGNATVRÆ GRATIÆ
PRÆFECTO
PAVLO SAC. ROTÆ DECANO
EPISCOPO NEOCASTRENSI
PAPÆ VICARIO
ALIISQVE NOBILIBVS MVNERIBVS
CVMVLATA LAVDE PERFVNCTO
EMERITA PVRPVRA AB IMPORTVNA MORTE
PRÆREPTO
ANNO ÆTATIS SVÆ LIX.
ET HVMANÆ SALVTIS MDXXXIX.
RAYMVNDVS CAPISVCCHIVS
ORDINIS PRÆDICATORVM
S. R. E. TIT. S. STEPHANI IN MONTE CÆLIO
PRESBYTER CARDINALIS
MAIORIBVS SVIS DE APOSTOLICA
SEDE OPTIME MERITIS
POSVIT ANNO DOMINI MDCLXXXV.

Cor ejus translatum fuit in Cappellam Sancti Dominici Ecclesiæ S. Mariæ super Minervam, in qua duplex Epigramma marmore insculptum à suis Confratribus appositum fuit.

Plures edidit Libros Capisuccus, inter quos:

Resolutiones morales.
Vita B. Joannis Chisii.
Selectæ Scholasticæ Morales, Dogmaticæ quæstiones ad mentem Divi Thomæ resolutæ.
Sermones habiti in Sacello Pontificio.
Lucubrationes pro Tribunali Sac. Inquisitionis.

Mortem ejus universo nunciavit Ordini Prædicatorum *Fr. Antonius Cloche* ejusdem Ordinis Magister Generalis sequenti encyclica Epistola data die 28. Aprilis 1691.

Flebile nuncium ad vos, hæc Epistola defert, cum Emin. Card. Capizucchi mortem vobis significat; nihil deerat, quod virum omnibus numeris absolutum efficere posset. Certabant in eo nobilitas, doctrina, Religio, dignitas, ut nulla cæteras superaret, & quælibet emineret. Nec vero ingentibus dotibus à natura comparatis, assiduum studium laborque defuit, ne eum meliorem, aut majorem natura, quam virtus effecisse videretur. Vix in Conventu Minervæ professus audita Philosophia, & Theologia, in quibus mirum quos profectus fecerit, mox utramque in Collegio de Urbe in eodem Conventu Minervæ per annos plures docuit; sed erat ad majora natus, quam ut diù in scholarum umbris delitesceret; primum Secretarius Indicis ab Innocentio X., ac simul Episcoporum Examinator creatus est anno 1650., deindè Magister Sacri Palatii ab eodem Summo Pontifice anno 1654. institutus, præclarum Officium dotibus omnibus, quibus officio ipso major videbatur, decoravit, atque tam inter hujus muneris indefessos labores egregiis operibus Rempublicam Litterariam locupletavit, ac ab Innocentio XI. anno 1681. cum ingenti totius Ordinis, Orbisque lætitia inter Romanæ Ecclesiæ Purpuratos Patres cooptatus, ac simul unus ex Generalibus Purpuratis Inquisitoribus in universa Christiana Republica instituitur, aliis etiam Congregationibus adscriptus.

Qua verò in eminentissima dignitate, Fide, integritate, Religione, Majestate se gessit, quo animo Catholicam Fidem in sacris Congregationibus, consultationibus, consiliis, decisionibus defendit, ac propagavit? Sed nihil magnum diù durare potest, suus est felicitati quamvis eximiæ terminus præfixus; summa cadunt, eaque Lege, qua orta sunt, omnia tandem occidunt: ætate igitur grandævus, scili-

cet 76. annorum, quos inchoaverat, sed major meritis, hoc anno 1691. die 22. Aprilis, quę Dominicæ in Albis fuit, receptis prius cum magno pietatis sensu Sacramentis, longaque peroratione domesticam Familiam ad Dei obsequium, virtutemque hortatus, quæ omnium lacrymas elicuit, tandem omnibus jacturam tanti viri deflentibus, cum occidente Sole pręclarissimum Religionis sydus occubuit.

Fuit vir planè excelso animo, quem nec adversa frangerent, nec prospera nimium extollerent, omnibus, cujuscumque fortunæ casibus semper major, ac vanitatis rerum vitæque fragilitatis ita memor, ut etiam in prospera senectute de vicina, ac veluti properante morte præsagus sæpius loqueretur.

Indoluit tota Religio nostra Dominicana Romæ agens, quod præclarissima vox illa conticuerit, quod altera Capitis nostri corona ceciderit, & triplex illud vinculum, quo Religio Sanctæ Sedi, ac Romanæ Ecclesiæ singulariter jungebatur, rescissum fuerit: Neque minor eamdem Religionem toto Orbe propagatam etiam in dissitis, remotisque longè nationibus dolor afficiet, quam primum ad eam hoc triste nuntium pervenerit cum eadem omnibus Nobis dolendi causa sit. Nos aliquid equidem de concepto dolore remisimus, cum supremis saltem obsequiis morientem prosequi licuerit; & obscuratam in Feretro Purpuram osculari. Sed hoc etiam à Nobis Fratres clarissimi solatium capi volumus, ut nedum communia, & quæ Religio jubet, ipsi justa persolvantur; sed & quisque majori ardore animi si quid eluendum supersit, sacrificiis, aliisque precibus ipsum absolvere conetur. Valete Fratres, & obversante ante oculos ea fragilitatis humanarum rerum imagine, discite, ac sæpius in mentem revocate transire omnia, nosque aliquando transituros. Vivat quisque nostrum, ut jam Mundo mortuus, qui se moriturum non ignorat.





XII.

FR. Laurentius Brancati Cardinalis *Lauria* nuncupatus, nomen *Joannis Francisci* in Baptismate sortitus fuerat. Honestis, licet pauperrimis Parentibus natus est die 10. Aprilis anni 1612. ex *Marcello Brancati* Neapolitano Causidico, & *Dorothea Serubbia*. Patria illi fuit Lauria, dicta etiam Lauræa, quæ Pagus est Provinciæ Basilicatæ Episcopo Policastrensi in spiritualibus subjectus. Is. Episcopus post quam *Joannes Franciscus* in studiis humanioribus adoleverat, Clericalem illi contulit Tonsuram anno ejus xv., servitiumque assignavit Ecclesiæ Sancti Jacobi cum certo stipendio, ut sic facilius in eadem Civitate studia benè cœpta naviter prosequeretur; sed quum in adversam valetudinem inciderit, atque morbus gravissimè urgeret, votum nuncupavit Divo Francisco, Seraphicum induendi habitum, si superviveret. Hinc voti compos factus, inter Minores Conventuales admissus fuit die 2. Julii anni 1630.; anno verò sequenti 1631. expleto probationis anno, abdicatoque *Joannis Francisci* nomine alterum *Fr. Laurentii* assumpsit, votisque illius Ordinis se solemniter obstrinxit.

Ut verò sapientia, & consilio in dies proficiebat, Romam advocatur in Cœnobium Sanctorum Apostolorum, atque in Collegium

S. Bonaventuræ erectum à *Sixto V.* Emenso studiorum curriculo Laurea doctorali insignitur, & titulo Magisterii; ut verò alios edoceret, Neapolim missus est, ibique plures per annos præcepta exposuit Philosophiæ frequentissimis Auditoribus. Indè Florentiæ biennio Theologiam docuit; at verò Ferrariæ triennium non absolvit, ob bellum, quod tunc ardebat Venetos inter, & Barbarinos. Postremo summa cum laude Bononiæ docuit.

Sed crescente in dies sui nominis existimatione, Romam iterum advocatur, & Secretarius Generalis, & sui Ordinis assistens renunciatur, cum titulo Provincialis Hyberniæ. Triennio in hoc munere exacto, Guardianus eligitur Romani Conventus, ubi quum per annum præfuisset, invidia pressus aliorum, Albanum secedere coactus est; Ibi Librum composuit magni tunc habitum, cui nomen *Commentaria doctrinæ Scoticæ*, eamdemque doctrinam authoritate S. Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Conciliorum interpretabatur, subtilique explicatione illustrabat. Hujus operis laudatorem invenit præ cæteris *Fabium* Cardinalem Chisium, qui postea Pontificatus apicem ascendit sub nomine *Alexandri VII.* Hinc *Fr. Laurentius* Romani Archigymnasii Theologus assumitur, quo in munere alium Librum edidit, cui titulus = *Epitome Sacrorum Canonum*.

Sed evecto ad Apostolatum dicto Cardinali Chisio, statim Consultor S. Inquisitionis *Fr. Lauria* nuncupatur, & Congregationi Sacrorum Rituum adscribitur. Indè examinator Synodalis, atque Episcoporum, & Præfectus Collegii de Propaganda Fide renunciatur; maximâ cum laude difficillimis hisce muneribus perfunctus est. Gravissimis in rebus eum persæpè consulebat *Alexander VII.*, nec verò dumtaxat in quæstionibus Theologicis, aut Dogmaticis, sed in controversiis etiam inter Sanctam Sedem, cæterosque Catholicos Principes intercedentibus.

Negocium præ cæteris suscepit Episcopatuum in Lusitania vacantium, quorum electionem enixè efflagitabat Lusitanus Orator, licet ab Hispanis mordicus oppugnatam. Consilium Lauriæ Lusitanis favebat, & quia maximè Dei servitio congruebat, Auctor erat Pontifici, ne diutinam vacationem Ecclesiæ illæ paterentur; inclinabatque, ut electio fieret à Romano Pontifice, omissa etiam Regia nominatione; Lusitanus verò Orator adnuebat. Licetque concordia, invidia ubicumque gliscente, iniri non potuerit; attamen Lusitaniæ Rex adeò probavit consilia *Lauriæ*, ut ei pensionem annuam duorum millium aureorum exhibuerit, quam licet iterum oblatam constantissimè recusavit. Hinc existimationem etiam sibi conciliavit ipsius Regis Catholici, cujus Orator *Petrus Aragonius* parem Regio nomine pensionem obtulit *Lauriæ*, vel Episcopatum Regiæ nominationis, sed incassum, quia simili semper modestiâ Regias respuit elargitiones.

Propterea apud Pontificem majori in dies pollebat gratia, & authoritate; & licet mors intervenerit *Alexandri VII.*, qui maximi Lauriam faciebat; parem tamen existimationem est assequutus apud *Clementem IX.*, qui illum aliis titulis auxit, & Congregationi adjecit Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum. Gratissimus verò fuit *Clementi X.*, quem in minoribus etiam habuit amicum, & familiarem; & dum à Secretis esset Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, ad eum crebro, ac perurbanè conveniebat.

Grandem tamen auri vim ipse congesserat non tam ex multiplici munerum suorum proventu, quam ex librorum lucro, quos in dies edebat. Hinc suo ære, maximaque impensa penè à fundamentis instauravit Basilicam SS. XII. Apostolorum, Monasterium auxit, Bibliothecam ditavit, ut inscriptio testatur, & statua illi à Confratribus erecta in secundo claustro, ut perenne grati animi monumentum extaret.

Anno tandem ætatis suæ septuagesimo ab *Innocentio XI.* Presb. Cardinalis pronunciatur die primo Septembris 1681. sub *titulo S. Augustini*; pluribus adscriptus fuit Congregationibus, & Sanctæ Sedis Bibliothecarius effectus est. Interfuit Comitiis *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.*, in cujus Conclavi cœperat ægrotare: Obiit die 30. Novembris 1693. Titulum *S. Augustini* die 1. Decembris 1681. in alium immutavit *SS. XII. Apostolorum*.

Idem Cœnobium SS. Apostolorum ex Asse hæredem instituit. In cujus Ecclesia sepultus est, cum hac brevi nota, quam ipse sibi paraverat.

OSSA
FR. LAURENTII BRANCATI
DE LAURIA

Quam tamen Confratres ejus hæredes auxerunt adjectis titulis, & dignitatibus ab ipso possessis, in hanc, quæ sequitur formam (*a*).

OSSA FR. LAURENTII
PRESBYTERI CARD. BRANCATI DE LAURIA
MIN. CONVENT.
BIBLIOTHECARII APOSTOLICI
BASILICÆ ISTIUS PRIUS TUT ELARIS
POSTEA TITULARIS
ORATE PRO EO

Libros plures evulgavit. Nempè:

Epitome Canonum omnium &c. usque ad Alexandrum VII. Romæ 1659.
De Operationibus Dei in prædestinatione, reprobatione, & Gratia actuali Romæ 1687.
De Oratione Christiana contra Quietistas, & errores nuper invectos Michaelis Molinæi.
Concordia Evangeliorum.
Commentaria Doctrinæ Scoticæ.

Com-

(*a*) Vide vitam hujus Card. Romæ impressam Typis Bernabò anno 1693.

Commentaria in tertium Librum Sententiarum in Tom. IV. de virtutibus in genere &c.
De Beatitudinibus, Gratia habituali, Gratiis gratis datis, & specialiter de Miraculis Volum. V. Romæ 1682.
Commentaria in IV. Lib. Sententiarum, in quibus de Sacramentis in genere, & in specie Romæ 1633.
Disputationes duæ erutæ ex Commentariis, una A *de Decretis Ecclesiæ, altera de proponente legitimè res Fidei.*
Oratio Laudis ad SS. Trinitatem Romę 1695.
Oratio ad Jesum Christum, & ad omnes Cives cęlestes Romæ 1688.
B *Index Alphabeticus rerum, & Locorum omnium ad Annales Card. Baronii opus Posthumum. Romæ 1694.*



VRBANVS S.R.E PRESBYTER CARDINALIS
SACCHETTVS FLORENTINVS CREATVS
DIE I SEPTEMB MDCLXXXI.
Obijt die 6 Aprilis 1705.

XIII.

URBANUS SACCHETTUS Florentinus Romę tamen natus est die 13. Maii anni 1640., quo hæc nobilis Familia pluribus ab hinc annis domicilium invexerat. Patrem habuit *Marchionem* Matthæum, Matrem vero *Cassandram* A *Ricasoli de Rucellais*. Ipse etiam ex Fratre Nepos erat *Julio* illi Cardinali *Sacchetto*, qui in duobus Conclavibus omnium ferè Cardinalium suffragiis, bis Pontifex visus est, nunquam tamen emersit, pluriumque spem fe-

fefellit. Emensis in Collegio Romano Litterarum studiis; ex eo indè eductus Jurisprudentiæ, Historiæ, multiplicique eruditioni intentum animum adjecit; demum lustrandi Europam causa, Galliam, Belgium, Germaniam, totamque Italiam, una cum Marchione *Joanne Baptista* ejus germano Fratre peragravit. Francofurti interfuit coronationi *Leopoldi I.* Imperatoris, & antequam Romam reverteretur, in Universitate Pisana Doctoratus insignibus ornari obtinuit.

Ut Romam pervenit, referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis addictus est ab *Alexandro VII.*, à quo Prothonotarius dictus de numero Participantium, mox Præses Cameræ Apostolicæ, deindè ejusdem Cameræ Clericus renunciatur, & Præses viarum. Exindè generalis Armorum Commissarius eligitur. Sub *Innocentio verò XI.* Auditor Generalis ejusdem Cameræ renunciatur, & ab ipso, die 1. Septembris anni 1681. Diaconus dici-

A tur Cardinalis *S. Nicolai in Carcere Tulliano*; hanc Diaconiam in aliam prius *S. Mariæ in Via Lata*, & deindè in presbyteralem titulum immutavit *S. Bernardi*. Ab eodem *Innocentio XI.* Episcopatum obtinuit Viterbiensem post mortem *Stephani Cardinalis Brancacci*. Hanc tamen Ecclesiam diù retinere non potuit, ob ejus afflictam valetudinem; Idcircò Episcopatum dimisit pingui reservata pensione

B scutorum bis mille, quorum medietatem ex singulari Apostolico Indulto in Nepotem ex Fratre suum *Marchionem Matthæum* transmisit, licet sæcularem, & Conjugatum. Abbatiam etiam possedit Sancti Hilarii in Æmilia.

In Congregatione adlectus fuit Sacræ Consultationis, Propagandæ Fidei, Viarum, Rituum, & Episcoporum, & Regularium. Apoplexia demum correptus occubuit anno 1705.

C die 6. Aprilis. In Ecclesia sepultus S. Joannis Florentinorum, atque in Avito Sacello Sanctissimi Crucifixi.






XIV.

JOANNES FRANCISCUS GINNETTUS Veliternus, die natus est 12. Decembris anni 1626. ex *Joanne Ginnetto*, & *Laurentia Toruzzia*. Ex Fratre Nepos fuit alterius Cardinalis *Martii Ginnetti*, quo promovente impubes Romam venit, omnibusque incubuit humanis, sacrisque studiis. Sub *Alexandro VII.* inter Referendarios primum relatus Signaturæ Justitiæ, deindè Cameræ Apostolicæ Clericus effectus fuit, postremo ad Ærarii, seu ut dicunt, Thesaurarii Generalis munus electus est; Plures per annos Magistratum administravit fide, ac prudentia singulari. Eum tandem *Innocentius XI.* Diaconum Cardina-

A lem *S. Mariæ de Schala* renunciavit, & pingui Archiepiscopatu Firmano in Picæno decoravit. Decem per annos vigilantiâ Pastorali, prudentia, ac mansuetudine Divino Cultui amplificando incubuit. Studio etiam perenni temporali illius Diœcesis utilitati consuluit; Pontes extruxit, vias aperuit, flumina erumpentia, agrosque inundantia compescuit. Diaconiam *S. Mariæ de Schala* dimisit, optans
B alteram *S. Angeli in Foro Piscium*. Die vero 28. Novembris 1689. ad alteram gradum fecit *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano*. Anno demum mortuus est 1691. die 18. Septembris. Congregationibus adscriptus erat Rerum Con-

ſiſtorialium, S. Concilii Interpretum, Sacræ Conſultationis, & Rituum. Comitiis interfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.* ſepul- A tus eſt in Eccleſia S. Andreæ de Valle in ſepulcro majorum, & in nobili, ac Gentilitio hujus Familiæ Sacello.





X V.

BENEDICTUS PAMPHILIUS Romanus *Innocentii X.* Summi Pontificis ex Fratre Pronepos, filius vero *Camilli Pamphilii* Ducis S. Martini, & *Olimpiæ Aldobrandiniæ* Principis Rossani. Ex his clarissimis Genitoribus ortum habuit Benedictus die 25. Aprilis anni 1653., studiis deditus humanioribus, præsertim verò Musas omnes coluit, tanta facilitate, ac lepore, ut sæpè etiam ex tempore versus funderet. Clericali militiæ nomen dederat, & inter Præsules Romanæ Curiæ fuerat cooptatus, sine magna tamen honorum aviditate. Quum enim ditissimum suæ Paternæ substantiæ censum possideret; ita ex sola tempo-
A ris diuturnitate, dignitates expectabat, quæ defuturæ non erant. Affinitates enim, quibus junctus erat totius Italiæ nobilitati, & recens magni Patrui Pontificis maximi memoria, quoscumque honores pollicebantur.

Haud aliter profecto contigit. Etenim die prima Septembris, hujus anni 1681. *Innocentius XI.* in monumentum grati animi, & in restitutionem, ut dicunt, Rubri Galeri, quod
B ipse ab illius Propatruo *Innocentio X.* receperat, illum inter Diaconos Cardinales recensuit.

Ditissimum illi contulit Prioratum Romanum ad Religionem Hierosolymitanam perti-

nen-

nentem, qui nuper per obitum Cardinalis *Sigismundi Chisii* vacaverat. *Alexander VIII.* qui ab eodem *Innocentio X.* inter Cardinales relatus fuerat, Legationem illi contulit Bononiensem. Ab *Innocentio XII.* Archipresbyter dictus est Sanctæ Mariæ Majoris, quem postea commutavit in alterum Sancti Joannis in Laterano, ubi præclara coruscant beneficia ab eodem Propatruo Magno eidem Basilicæ collata in illius Templi instauratione.

Portam Sanctam aperuit hujus Ecclesiæ sæculari anno 1700. Protector fuit Confraternitatis Sanctissimi Crucifixi prope Ecclesiam Sancti Marcelli. Protector etiam Collegii Clementini tamquam novum Germen Aldobrandinæ Gentis, à qua fundatum, auctumque fuerat nobile illud Gymnasium; huic pio operi duorum aureorum millia contulit pro Ædificii reparatione, & incremento. Congregationibus adscriptus erat Sac. Concilii Tridentini, Rerum Consistorialium, Episcoporum, & Regularium, Fabricæ Sancti Petri, Propagandæ Fidei, Rituum, Indicis Librorum prohibitorum, fuitque Signaturæ Gratiæ Præfectus, & primus Cardinalis in Ordine Diaconorum. Fuit etiam Bibliothecarius S. R. E. post mortem Cardinalis de Lauria.

Comitiis adfuit Alexandri VIII., Innocentii XII., Clementis XI., Innocentii XIII., & Benedicti XIII., obiitque in Conclavi Clementis XII. die 20. Martii anni 1730. ætatis suæ 77., maximas ex ejus parsimonia pecunias coacervaverat. Sepultus est in Ecclesia ejus gentilitia S. Agnetis in platea Agonali. Diaconiam obtinuerat *S. Mariæ in Porticu*, ex qua die 30. Aprilis 1685. ad alteram ascenderat *Sancti Cæsarei*; & demum die 22. Decembris 1693. illam optavit *S. Mariæ in Via Lata*.





XVI.

MICHAEL ANGELUS RICCIUS Romanus humilibus, honestis tamen ortus Parentibus, novum cum Cardinali *Taja* humilitatis præbuit exemplum. Ipse enim, qui a confessionibus erat *Innocentii XI.*, variis primum Urbis muneribus donatus fuit; præsertim vero a Secretis fuit S. Congregationis Indulgentiarum. Cardinalis inde ab eodem Pontifice renunciatus fuit; sed animo ille revolvens religiosum suæ anteactæ vitæ institutum, fractamque corporis valetudinem, instantem æternitatem, & novissima cogitans; enixis idcircò oravit precibus Pontificem, ut a sententia recederet; prolixamque, & ipse epistolam, pluribusque munitam Doctorum auctoritatibus exaraverat, qua constans propositum, & sincera ejus recusatio patefiebat, ut sequenti patet Epistola.

A

BEATISSIME PATER.

MAlexandri Axioma cum esset considerandum non quid, & quantum Donatori, sed Donantis Majestati elargiri conveniat; Regio animo equidem S. V. in Cardinalem creando consuluit; ita summo rubore, meam ego inhabilitatem recogitans, ea confusione obruor, ut certent adhùc pari marte, admiratio magni-*

B

tudi-

tudinis tuæ, ac dolor infirmitatis meæ. Hinc post humilem gratiarum actionem (SS. Pater) pro honore mihi collato obsequens exposco, ut inclines aurem tuam mihi verba facturo ad salutem animæ meæ justitiæ synderesi, & ne cum S. Gregorio Nazianzeno redarguar Orat. 2. de Theolog. Terreni sunt, rebusque terrenis implicati, ipsam quoque ignorantiam suam ignorantes. Quis enim 2. Reg. 7., quis ego sum Domine Deus. Et quæ Domus mea, qui adduxit me hucusque.

Votum sanè S. V. in promotione mea cum inquiro, geminum arguo: bonum publicum, & præmium reddere labori meo qualicumque. Quoad primum à recto caderem, ni vobis imperfectiones meas aperirem, quæ finem impediunt à Sanctitate Vestra præfixum; teste namque D. Thoma 1. *quæst.* 79. *art.* 3. Conscientia dicitur accusare, vel excusare testificari, instigare, litigare, in quantum Judicamus, cognoscimus aliquod bene, vel male fecisse, & agendum, vel non agendum.

Animum ego vel corpus perquiram, semper inutilis apparebo. Animus namque Cardinalis, qui membrum dicitur corporis Pontificii, ejusque coadjutor, à quo universus regitur Orbis, virtutibus debet præfulgere moralibus, & intellectualibus in gradu eminenti; puta scientia, & sapientia non tam pro consilio, quàm pro judicio controversiarum, quæ dietim consurgunt. Dabo vobis pastores secundum cor meum, ut possint vos scientia, & doctrina &c. propterea concludit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. Quilibet tenetur ea scire, quæ ad ejus statum pertinent: *sunt istæ virtutes adeo Rectori necessariæ, ut ad regimen non assumeretur David, priusquam illuminante Spiritu Sancto, scientiæ dono illustraretur. Ita Salomon in exordio Regni sui, cæteris posthabitis sapientiam quæsivit. Prius Dominus posuit verba in ore Prophetæ, quam constitueret eum super Reges, & Regna. Hierem.* 1.

Quoad Moralia; qui non est propheta (teste D. Thoma 3. *p. quæst.* 4. 41. *art.* 3.) *in virtutibus moralibus indignè sumit officium Prælationis. Fortitudo in eo requiritur; ne in arduis timore concutiatur.* Deus, & Moyses dicunt Josue, qui debebat regere populum, confortare, & esto vir robustus. *Succedet temperantia, qua cupidinem moderetur.* Divitiæ hujus sæculi præcipuæ non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum 1. *tom.* 6 *num.* 17. *Justitiam amare debet, ut ad recta semper declinet. Deus justitiam tuam Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Ecce in injustitiam regnabit Rex, & Principes injustitiam* præferunt *Isach.* 32. *prudentia non sit destitutus propter agibilia.* Non vocabitur ultra 15., qui insipiens *est Princeps, convenientibus tandem in eo cæteris virtutibus, quas recenset Apostolus.* Oportet Episcopum irrepræhensibilem esse, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, *&c.* . *Esto itaque, Beatissimè Pater, quod ex divina largitate virtutes assequutus essem intellectuales speculativas; deficientibus moralibus, quæ nobiliores, cum illæ gradum teneant solum, quia in intellectu resideant nobis venerabiles gratià finis, ex quo bonum opus. Morales vero bonum faciunt operantem. Indulgeat S. V., si electioni factæ cum S. Ephrem lib. de Doctrina varia respondeam:* Prælatus consideret singulorum subditorum mensuras, memor illius (*Matth.* 13.) alios dare fructum centesimum, ut unusquisque in suo ordine placeat Deo.

Agrum inspiciat S. V. infructiferum, ex quo nunquam fructum habebis centesimum. Non ergo in altissimis me colloces. Satis namque usque modo fuit mihi fructus trigesimus ob quem Deo non odiosus. At in purpura sexagesimus ipse à culpa, & odio non eximit. Hoc fundamento cum S. Christ. Episcopatum renuisset accipere, lib. 3. de Sacerdotio *sequentibus se excusat.* Quis artem, quam nescit, ut medicinam, aliis etiam rogantibus aggrediatur tractare ostendere nimiam de se conceptam esse opinionem. Dominus jubet, ut qui turrim est ædificaturus, prius vires suas expendat, quis ignarus militiæ patietur se magni exercitus Ducem generalem constitui &c. *Quomodo ergo gradum conscendam, in quo doctrina eminens exigitur prudentia similis, virtus exemplaris; dum doctrina pauper, prudentia exiguus, omni virtute alienus?*

Vires corporis ea caducitate laborant, quod non nisi per Abbecedarium recenseri valeant infirmitates. Magni honores magnis oneribus alligantur. *Unde Hieronymus, & Joan. Chry. hom.* 29. *ad Romanos: verba illa* obedite Præpositis vestris *explicante:* nam, & ipsi vigilant pro actionibus vestris tanquam rationem daturi, innumeros labores, *curas, & pericula* complectitur. *Quæ vere Cardinali adaptantur S. R. E., cujus est Congregationibus adesse, Cappellis, Consistoriis, aliisque annualibus solemnitatibus: dietim audire Curiales, Principes visitare, visitari, quæ cum personaliter, & gravi cæremonialium observantia peragi debeant, ab ægro corpore non præstantur; quod cum Psalmista* 21. sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea; aruit tanquam testa virtus mea &c. *Verberante ergo conscientia ab ea dignitate recedi, quæ onus habet importabile.* Debet unusquisque intelligere infirmitatem suam *l.* 8. *ff. ad l. Aquilianam.*

Quod si honorem considerem ut præmium laboris, cum bonum respiciat privatum, à meo pendebit arbitrio, quod longo jam tempore ad requiem properans, dignitates abhorret. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam eligi eam *Psal.* 131. *Munera cum jam plura subjerim ex vestra clementia, atque Prædecessorum vestrorum, labori meo satisfaciunt abundè* sapiunt (*teste Ænea Sil-*

vio Com. 1. *c.* 4.) qui accepto, aliquo beneficio, vel mediocri cura valedicunt: ostendunt enim desiderium suum expletum esse. *Purpura eam mihi mutationem imponit, quam nunquam ambivi; teste namque Apostolo* 1. *cor.* 7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic: alius vero sic, Ephes. 4. & ipse posuit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Doctores, & Pastores ad consumationem sanctorum in opus Ministerii in ædificationem Corporis Christi. *Initiatus quidem clericatu, ad sæculum tamen redire non prohibeor. Conclusio sit semper me aborruisse sacerdotio ligari, ac votis, quæ in eo gradu clerici profitentur.*

Gemina ergo remora navim sistit obedientiæ meæ, inhabilitatis, altera repugnantiæ ad eum statum transeundi, qui perfectionem exiguam non habet.

Legitimæ vero sint excusationis causæ pro inhabilitate, Doctor solvat Angelicus, quo teste impedimenta omnia amovere debet electus, si in ejus sit potestate, & tunc obedire tenetur. At infirmitatem corporis mei non ego, nec S.V, amovere potest; legitima ergo excusatio.

Quoad repugnantiam transeundi ab uno ad alium statum, cum à libero pendeat arbitrio, Deus ipse vim haud facit. Voluntas etiam à Deo cogi non potest, & si possit ab illo de necessitate mutari operando in illa, sicut in natura; teste Angelico *l.* 2. *quæst.* 6. *ad C.* electiones enim humanæ subsunt Divinæ providentiæ tanquam causæ particulares *quæst.* 22. *art.* 2. *ad* 4.

Hisce concessis omnia removentur, quæ ab exemplo sanctorum, imo & magnatum sæcularium adducuntur, qui dignitates subire fulmine excommunicationis fuere compulsi. Supposita namque reclamantium habilitate, juste compelluntur, Ecclesiastici, salvo semper libero arbitrio. Sæculares ipsi quandoque compellentur, unde fæderato Cæsaris subdito (refert Surius) cum urgeat necessitas, & parvuli petunt panem, nec sit, qui valeat frangere eis Urgente necessitate: David manducat panes propositionis, quos licebat solis Sacerdotibus edere. 1. Reg. 21. Pugnant Macchabæi in sabbatho 1. Macch. vellunt Apostoli spicas *Matth.* 12. *lege cedente necessitati tam Sacris Canonibus c. nulli* 5. *d.* 19., *quam legibus prophanis, quoties penuria sit eorum, qui* Magistratum suscipiant, immunitas infringitur *leg.* 2. §. 2. *ff. de muner.*, *& honor.*

Hæc V. S. significare duxi, ut veniam assequar, dum gratiæ singulari mihi collatæ Purpuræ non acquiesco. Zelo namque ducor, ut vota sanctissima plena impleantur S. V., cujus pedes Beatissimos osculor.

Humil. atque Devotus Servus & Fil.
Michael Angelus Riccius.

Incassum tamen, quia illum inter Cardinales recensuit die prima Septembris anni 1681., eique Diaconiam contulit S. Mariæ in Aquiro, sed vix novem Menses supervixit Cardinalitia indutus veste. Obiit enim die 12. Maii sequentis anni 1682., maximus suo ævo Theologus, & Mathematicus *Riccius* est habitus. Librum composuit eximium, sub titulo = *de Maximis, & Minimis* = qui ab eruditis Viris *Gassendo, Slusio, Fabretto*, & Cardinale *Pallavicino* multoties commendatur. Comes *Laurentius Magalotti*, quum secretarius esset celebris Academiæ Florentinæ, quæ sub nomine = *del Cimento* = famigerata est, librum, cui titulus = *saggi di naturali esperienze* = recognoscendum, atque emendandum illi exhibuit. Sepultus est in Ecclesia S. Francisci ad Ripam Fluminis cum hoc elogio.

D. O. M.
MICHAELI ANGELO RICCIO ROMANO
TIT. S. MARIÆ IN AQVIRO
S. R. E. DIAC. CARDINALI
QVI EXCELLENTI DOCTRINA, AC ERVDITIONE
APUD EXTERAS ETIAM GENTES
MAXIMAM FAMAM ADEPTVS
MORVM INNOCENTIA
AC SVAVITATE MODESTIA
IN GRAVIORIBVS NEGOCIIS
GERENDIS PRVDENTIA
ANIMI MODERATIONE
ATQVE RERVM HVMANARVM CONTEMPTV
SVMMORVM PONTIFICVM AMOREM
AC EGREGIAM APVD OMNES OPINIONEM
SIBI COMPARAVIT
OB. AN. DOM. MDCLXXXII. ÆT. SVÆ LXIV.

Secunda Cardinalium Creatio facta ab Innocentio XI. die 2. Septembris Anni 1686. habet xxvii. Cardinales quorum nomina sequenti ordine recensentur.

1 Jacobus de Angelis. Pisanus.
2 Opitius Pallavicinus. Genuensis.
3 Angelus Maria Ranutius. Bononiensis.
4 Maximilianus de Kieimburg Archiepiscopus Salisburgensis. Germanus.
5 Verissimus de Alencastro Archiepiscopus Bracharensis. Lusitanus.
6 Marcellus Duratius: Genuensis.
7 Michael Stephanus Radziciovvski Archiepiscopus Gnesnensis. Polonus.
8 Marcus Antonius Franciscus Barbadicus Episcopus Corcyrensis. Venetus.
9 Carolus Stephanus Cicerus Episcopus Novocomii. Novocomiensis.
10 Leopoldus Kollonitz Archiep. Strigoniæ. Germanus.
11 Stephanus le Camus Episc. Gratianopolitanus. Gallus.
12 Joannes Goessen Episc. Gurgensis. Germanus.
13 Petrus Matthæus Petruccius Episc. Æsii. Æsinas.
14 Fr. Petrus de Salzar Episc. Cordubensis. Hispanus.

15 Guillelmus de Furstemberg Episcop. Argentoratensis. Germanus.
16 Horatius Matthæjus. Romanus.
17 Jo. Casimirus Denhoff. Polonus.
18 Don Joseph Saenz de Aguirre Ord. S. Benedicti Hispanus.
19 Leander Colloredus. Forojuliensis.
20 Fortunatus Carafa. Neapolitanus.

A

21 Dominicus Maria Cursius. Florentinus.
22 Joannes Franciscus Nigronus. Januensis.
23 Fulvius Astallius. Romanus.
24 Gaspar de Cavaleriis. Romanus.
25 Joannes Gualterius Slusius. Leodiensis.
26 Franciscus Maria Medices. Florentinus.
27 Raynaldus Estensis. Mutinensis.



Anna autem sedebat secus viam quotidie in supercilio montis unde respicere poterat de longinquo Tobia C XI
1109 R



XVII.

JACOBUS DE ANGELIS Pisis natus die 16. Junii anni 1611. ex *Francisco* Equite, & Priore Religionis Divi Stephani Civitatis Volaterranæ, & ex *Eleonora* Filia Marchionis *Prinzivallis de la Stufa*; cum decimum quartum attigisset annum, Romam in Collegio Clementino erudiendus traductus est; sed vix expletis Rethoricæ studiis, adversa pressus valetudine Pisas redire cogitur. Ibi reparatis viribus, omnibus disciplinis incubuit in celebri illa Universitate, & Laurea Doctorali in utroque jure fuit insignitus die 17. Iunii anni 1633. Mox iterum Romam veniens, studia naviter inchoata impensius prosecutus est, opitulante

A præ cæteris, atque opem ferente Marchione *De la Stufa* Avunculo suo, quo decedente *Jacobus* ex Asse illius hæres scriptus fuit. Hinc decentibus auctus divitiis inter Præsules Romanæ Curiæ relatus est in Pontificatu *Innocentii X.*, à quo nonnullarum Urbium Gubernator renunciatus est, scilicet Narniæ, Fabriani, Æsii, Fani, & Montis Alti; iterum sub *Alexandro VII.* anno 1657., quo tempore pe-

B stis per magnam Italiæ partem grassabatur, Narniæ Præfecturam est assequutus, deindè inter Presules Congregationis Boni Regiminis, nec multo post inter duodecim viros, qui in Tribunali Signaturæ Justitiæ suffragium ferunt, ad-

adſcriptus eſt; ſed ut Eccleſiæ Dei propius inſerviret, Urbini Epiſcopatus anno 1660. ab *Alexandro VII.* ipſi collatus fuit: Vigilantiſſimi Paſtoris adeò vices omnes explebat, ut nimiæ ſeveritatis notâ traduceretur. Hinc appellationes, hinc jurgia, & diſſenſiones haud leves. Quibus tandem percitus *Jacobus* Urbinatenſ. Eccleſiam liberè dimittit, abſque ulla vel minima penſionis reſervatione. Pro inventione corporis Divi *Creſcentini* illius Urbis Patroni, præcipuas preces indixit, omnemque curam adhibuit. Inventum poſtea inter plures Sanctorum Reliquias, recognitumque, & à ſordibus expurgatum decenti capſula recondidit, & authenticam ejus deſcriptionem, atque hiſtoriam Martyrii ejuſdem Sancti, ex manuſcriptis Urbinatis Eccleſiæ exaravit.

Romam iterum redux à Clemente IX. Urbis Viceſgerens declaratur: Quo in munere ſimiliter nimiæ auſteritatis nota traductus eſt; injuſtè tamen, verbo enim, & opere verum Chriſtiani hominis exibebat exemplar. Tandem à Clemente X. Secretarius deſignatur Congregationis Epiſcoporum, & Regularium; ſed obſtante *Palutio* Cardinali *Altierio* eo temporis rerum moderatore, & arbitro, qui alium ad illud munus deſtinaverat, nequidem novum munus adire potuit. Solita animi magnitudine, ac conſtantia ipſe tulit fortunæ vicem, otiumque in Chriſtianis operibus impendebat.

Evecto demum ad Apoſtolatum *Innocentio XI.* Eum plurium Locorum Piorum adminiſtrationi præpoſuit, & Congregationi adſcripſit Apoſtolicæ Viſitationis, item & Canonicum dixit Lateranenſis Eccleſiæ. Ac tandem in hac celebri promotione XXVII. Purpuratorum Patrum eum primo loco inter cæteros Cardinales Presbyterum Cardinalem recenſuit, titulumque attribuit *Sanctæ Mariæ in Ara Cœli*. Abbatia donatus Nonantulana, viſitationem explevit illius vaſtæ Diœceſis. Plures etiam alias viſitationes ex delegatione Apoſtolica abſolvit, domum nempè Lauretanam viſitavit, Archiepiſcopalem Urbini jam olim Sponſam ſuam, & Monaſterium Sancti Peregrini in Monte Apennino.

Multis feſſus laboribus, Piſas quandoque ſe conferebat. Quumque Comitiis adfuiſſet *Alexandri VIII.*, iterum Piſas remeavit. Iterumque ad nova Comitia vocatus *Innocentii XII.*, poſtea tertio Piſas rediit, indè Bargam Patriam ſuam, ubi luminibus penè captus occubuit.

Congregationibus adſcriptus fuerat Sacri Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Viſitationis, Indulgentiarum, & Rituum. Obiit die 15. Septembris 1695. Bargæ ſepultus in Eccleſia Fratrum Minorum Sancti Franciſci de obſervantia; ſed ut ipſe Cardinalis in ſuo Teſtamento caverat, *Joannes Philippus de Angelis* ejus ex Fratre Nepos corpus Jacobi Cardinalis Romam transferri curavit, in Eccleſiam ejus Titularem *Sanctæ Mariæ de Ara Cœli*, conditumque fuit in Sacello Sancti Petri de Alcantara ab ipſo Cardinali extructo, & ornato cum hac Epigraphe ab eodem Jo. Philippo appoſita.

D. O. M.
CONSTRVCTO SACELLO
IN HONOREM DIVI PETRI DE ALCANTARA
SEPVLCHRVM SIBI SVISQVE POSVIT
IACOBVS TITVLI S. MARIÆ DE ARA COELI
PRESBYTER CARDINALIS DE ANGELIS,
QVI NATVS ANNO MDCXI.
VIXIT NON SIBI, SED CHRISTIANÆ REIPVBL.
OB EXIMIAS VIRTVTES
RESQVE PRÆCLARE GESTAS
AB INNOCENTIO XI.
INTER CARDINALES ADSCRIPTVS MDCLXXXVI
PIE OBIIT IN ETRVRIA MDCLXXXXV.
CVIVS CADAVER HVC INFERRI CVRAVIT
MARCHIO EQVES ET PRIOR S. STEPHANI
IO. PHILIPPVS FRATRIS FILIVS
ANNO MDCCI.



Opi-



XVIII.

OPITIUS PALLAVICINUS nobilibus Genuæ naſcitur Parentibus die 13. Octobris anni 1632., paremque generis nobilitati educationem nanciſcitur. Romam imberbis adhuc advenit, in Caſtra ſe recipiens Eccleſiæ. Sub Innocentio X. inter Præſules Romanæ Curiæ adſcriptus, munus Gubernatoris plurium Civitatum ditionis Eccleſiaſticæ laudabiliter implevit. Indè Florentiam abiit munere decora- A tus Nuncii Apoſtolici, & hinc Nuncius pariter Apoſtolicus ad Sarmatas miſſus eſt. Tandem ab *Innocentio XI.*, dum *Opitius* Polonicam exerceret Nunciaturam, hac ſolemni promotione Presbyter dicitur Cardinalis tituli *Sancti Martini in Montibus*, & Congregationibus adſcribitur Sac. Concilii Tridentini Interpretum, Epiſcoporum, & Regularium, B & Propagandæ Fidei.

In-

Inter Zelatores maximam existimationem consequebatur. Primus ipse se subscripserat Decreto de abolendo Nepotismo. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.* A Romæ obiit ictu correptus Apoplexiæ die 11. Februarii anni 1700. ætatis suæ 69., sepultusque est in Ecclesia ejus Titulari *Sancti Martini ad Montes*.





ANGELVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
RANVTIVS BONONIENSIS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI.
Obijt die 27 Septembris 1689.

Io Iacobus de Rubeis Formis Romæ ad Temp. Pacis cum Priu. S. Pont.

XIX.

A ANGELUS MARIA RANUTIUS Bononienſis nobilibus ortus Parentibus, nempè *Marco Antonio* Porrettæ Comite, & *Diutia Albergati* die 19. Maii 1626. Sub iſtis Patriciæ Gentis Genitoribus Bononiæ prima poſuit Chriſtianæ pietatis rudimenta. Indè in Univerſitate Patavina Philoſophiæ, & Juriſprudentiæ ſtudiis incubuit, laureamque Doctoralem adeptus eſt. Mox iter fecit, inviſitque præcipuas Europæ Urbes, varias Populorum Leges, varioſque mores inveſtigavit; nedum Pariſiis, ubi aliquandiu perſtitit, externa didicit inſtituta; verum & Brittanniam peragravit, Daniam, Sveciam, Hollandiam, totamque Germaniam.

Tantis edoctus ſtudiis, longiſque peregrinationibus Romam venit cum *Comite Antonio* Patre ejus, qui tunc Senatus Bononienſis apud Romanum Pontificem publicus erat Orator. Præſulis inſtitutum arripuit ſub *Alexandro VII.* Urbini Pro-Legatus fuit, ibique Caſtrorum, Oppidorumque Commiſſarius Generalis ob belli ſuſpicionem à Duce Crequio B Regis Galliarúm Oratore diſſeminatam; hinc Camerini, indè Anconæ Gubernator eſt renunciatus: Anno demum 1660. Inquiſitor miſſus

eſt

eſt in Inſulam Melitenſem: Conſedit ibi uſque ad *Clementis IX.* Pontificatum, à quo titulo decoratus Archiepiſcopi Damiatæ, atque inter Epiſcopos ſolio aſſiſtentes adſcriptus, Nuncius allegatur in Sabaudiam; poſtremo ad Sarmatas, quos bello dilaniatos civili, atque à Turcis oppreſſos, ad concordiam reduxit; & ut in votis erat *Clementis X.* anno 1671. conciliatis Magnatibus inter ſe diſſidentibus, eos ad Regni, Fideique tutelam excitavit. Auro inſuper deficiente pro Belli contra Turcas alimonia, mille aureos donavit, & vaſa ejus argentea, ut pecunia conflaretur, & ut ejus exemplo, cæteros edoceret Eccleſiaſticos præſto fore Patriæ periculo. Hinc auri tanta vis collata eſt à Clero Poloniæ, ut Belli ſumptibus non defuerit.

Ab eodem *Clemente X.* Romam revocatus, Urbini Præſes efficitur, ut vices gereret *Palutii* Cardinalis *Altierii*, indè univerſæ Marchiæ Anconitanæ præficitur, poſtremo verò ad Fani Epiſcopatum admovetur anno 1678., ibi Cleri reformationi, & Diœceſis viſitationi ncubuit; Epiſcopium penè à fundamentis inſtauravit, Seminarium erexit, prædia Epiſcopalia cultu, atque impenſâ eximiâ fertiliora effecit.

A

Occaſione autem, qua Regi Galliarum nova proles orta erat, ipſe à Romano Pontifice electus fuit ad faſcias deferendas Duci Burgundiæ in cunabulis agenti. Indè in hac promotione diei 2. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales adſcriptus eſt. Pariſiis Nuncium ſuæ exaltationis accepit, cum pileolo rubro ab ipſo Rege Chriſtianiſſimo ſibi impoſito. Legatione abſoluta Fanum rediit, Archiepiſcopus Bononienſis deſignatus; ſed in eadem Fanenſi Civitate morbo correptus interiit die 27. Septembris anni 1689. dum Romam properare curabat, atque ad Comitia accedere, quæ ob *Innocentii XI.* obitum parabantur.

B

Nec pileum, nec titulum Cardinalatus adnexum nactus fuerat: item neque inter cœtus Cardinalium relatus fuit, quibus de more adſcriptus fuiſſet, ut cum aliis Purpuratis Patribus ſuffragium ferret. Sepultus eſt in Cathedrali Fanenſi dicto anno 1689. ætatis ſuæ 63.

C





X X.

MAXIMILIANUS GANDOLPHUS Comes de *Kieimburg* nobilissimæ in Styria familiæ. Suis à pueritia orbatus Genitoribus, liberaliter tamen est institutus. Ut studia literarum naviter prosequeretur, in Collegio Germanico Romam venit, ubi Theologiæ præ cæteris navavit operam.

Canonicatum insignis Ecclesiæ Salisburgensis vix pueritiam egressus adeptus est anno 1654. Hinc in Patriam redux quum magna polleret nominis celebritate, & meritis Avitæ Gentis, non multo post ad Episcopatum admovetur *Vallis Laventinæ* in Carinthia, &

A deinde ad Seccoviensem Ecclesiam in Styria.

Demum anno 1668. Archiepiscopus, & Princeps *Salisburgensis*, unanimi Canonicorum consensione eligitur. Is est tertius in ejus prænobili Familiâ, qui celsam hanc dignitatem obtinuerit. Hæreticorum hostis acerrimus Fidei puritatem propagavit, atque ab eadem
B fide aberrantes è suis finibus ejecit. *Leopoldo* Imperatori suppetias tulit in diuturno, quod contra Turcas gerebat, bello, eumque auro, copiisque adjuvit. Iterum in hæreticos insurgens, Lutheranos præcipuè expulit è sua ditione, Missionarios aluit, adhibuitque; novas

erexit Paræcias, eisque pios, ac doctos viros præfecit, ut Populus instrueretur, festisque diebus Christiana imbueretur doctrina.

Religionis fautor Augustinianæ quatuor propè Salisburgum hujus Ordinis Cœnobia erexit, pluresque alias fundavit Ecclesias, congruisque redditibus instruxit. Hinc virum tantis ornatum meritis, & à *Leopoldo* Cæsare com-

A mendatum *Innocentius XI.* inter Purpuratos Patres recensuit hac die 2. Septembris 1686. Paucis tamen mensibus supervixit, nec Romam venit, nec titulum, nec Galerum Cardinalitium assumpsit. Obiit enim die 3. Maii 1687. non minus de Ecclesia optimè meritus, quam carus Patriæ, Cæsari, & suis.





XXI.

VERISSIMUS DE ALENCASTRO Ulyssiponæ in Lusitania natus clarissimis, eximiisque Parentibus. Auream nactus educationem, magnam quoque adeptus est in Regno, & in Aula nominis celebritatem. Archiepiscopatu Bracarensi donatus, & Regni Primas ef- A fectus, mirifica sunt, quæ præstitit pro Cleri reformatione, & pro Gregis sibi commissi instructione, & ut in Ecclesiasticis disciplinis proficeret.

Hunc *Innocentius XI.* inter Presbyteros Cardinales recensuit die 2. Septembris anni 1686., ut

1686., ut viros præstantes, ex quacumque Orbis parte, ad hanc supremam dignitatem eveheret. Cum verò nunquam Romam venerit, nec pileum, nec titulum Cardinalatui adnexum est assequutus. Ulyssiponæ mortuus est die 12. Decembris anni *1692.*, in ejus Ecclesia sepultus Metropolitana.





MARCELLVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS DVRATIVS IANVENSIS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS M.DC.LXXXVI.
Obyt die 27. Aprilis 1710.

Iac. Blondeau Sculp.

Io. Iacob. de Rubeis formis Romæ ad Templum Pacis cum Priv. S. P.

XXII.

MARCELLUS DURATIUS Genuenſis, Patriciis ortus Parentibus, nempè *Cæſare Duratio*, & *Joanna Cerveti*. Cæſar ejus Pater fuit Dux Reipublicæ Genuenſis, quod munus etiam expleverat *Petrus* ejus Avus, & *Jacobus Proavus*. *Marcellus* verò natus eſt die 6. Martii anni 1630. In Univerſitate Peruſina, ſtudiis incubuit Literarum; lauream que Doctoralem in utroque jure adeptus eſt. Romam indè adveniens ſub *Alexandro VII.* Prothonotarius Apoſtolicus de numero Participantium efficitur, & Bononiam Pro Legatus mittitur, eo tempore, quo Cardinalis *Caraffa* Legati munere fungebatur. Mox pluribus Civitatibus

A præfuit Gubernator, Fani, Anconæ, Viterbii, Peruſii. Anno 1682. Viſitator almæ Domus Lauretanæ efficitur. Hinc Pro-Legatus Avenionenſis; & hinc ſub Pontificatu *Clementis X.* Archiepiſcopatu decoratus Chalcedonenſi, ad Luſitanos mittitur Nuncius Apoſtolicus. Ibi duodecim per annos moram trahens, Jura ſedis Apoſtolicæ ſedulo adſeruit, ac propagavit.

B Suppreſſerat ea tempeſtate *Innocentius XI.* quædam officia vacabilia, ac præ cæteris Secretariatus Apoſtolicos. Retrahebat ex iis *Duratius* majorem ejus annui redditus partem. Patienti tamen animo jacturam tulit, & immi-

nu-

nutum rei familiaris censum. Propterea pietate motus Lusitaniæ Rex divitem in Regno suo Episcopatum Eboracensem, vel grandem duorum millium aureorum pensionem ultro illi obtulerat. Utrumque tamen beneficium constanti rejecit animo *Duratius*, à Pontifice, cui inserviebat, unicè mercedem expectans. Anno 1685. ad Hispanos mittitur in eodem munere Nuncii Apostolici, ibique die 2. Septembris anni 1686. Presbyter Cardinalis renunciatus est tituli *S. Priscæ*, & Episcopatu donatus Carpentoratensi in Comitatu Venaissino.

Dum Matriti moraretur, fama percrebuit de morte Pontificis *Innocentii XI.*, dumque ille iter parabat, resque illius Legationis disponebat, Comitiis adesse non potuit *Alexandri VIII.*, Romamque advenit electione jam facta. *Alexander* vero *VIII.* ab Ecclesia Car-

A pentoratensi illum transferre voluerat ad Archiepiscopatum Ferrariæ, sed tanta reservata pensione favore *Petri* Cardinalis *Ottoboni*, ut à nova dignitate *Duratius* abstinuerit. *Innocentius* tamen *XII.* Ecclesiam illi contulit Spoletinam, quam nihilominus abdicare jussit, statim ac eum Bononiæ Legationi præfecit, conscientia renitente, ne Episcopum à sua Diœcesi removisse videretur. Legatione ve-
B rò absoluta, illum Faventiæ Episcopum elegit. Titulum *S. Priscæ* die 21. Februarii 1701. dimisit, atque alium obtinuit *S. Petri ad Vincula*.

Congregationibus adscriptus fuit Episcoporum, & Regularium; Sacri Concilii Tridentini, Ecclesiasticæ Immunitatis, & Rituum. Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.*, sub quo decessit die 27. Aprilis 1710.
C octogenarius.



Mi-



XXIII.

MICHAEL STEPHANUS RADZIEIOWSKI anno natus est 1645. in Comitatu *Radzieicovvice* nobili suæ Familiæ Feudo in Polonia. Patrem habuit *Hieronymum* Comitem in *Radzieicovvice* primis fulgentem Regni dignitatibus, Regalibusque Familiis consanguinitate propinquum *Michaelis Koributii*, & *Joannis Tertii* Poloniæ Regum. Matrem verò nactus est *Eufrosinam Eulaliam Comitissam in Tarnovv* Castellani Zaranoviensis filiam. Avum vero habuit *Stanislaum* Comitem in Radzieicovvice, & Lanicensem Palatinum; Aviam autem *Catharinam Sobieski* prædicti *Joannis Tertii* Poloniæ Regis germanam Sororem.

A Tantis editus *Michael* Parentibus, tamen ipse in maxima natus est egestate. Pater enim ejus omnibus fortunæ bonis proscriptus fuerat à Rege *Casimiro* propter suspicionem, quod ipse hostili Svecorum ingressui in Poloniæ fines favisset; sed à *Michaele Koributio*, & *Joanne III.* Poloniæ Regibus ab hac bonorum proscriptione solutus est. Michael vero nobili, ut par erat, imbutus educatione, non levem eruditio-
B nis messem, majoremque in rebus gerendis peritiam quæsiverat; sed ut magis in hisce studiis, & in Republica benè administranda proficeret, Patriam relinquens, Lutetiam Parisiorum advenit; pluribusque annis in Acca-

de-

demia Sorbonica verſatus eſt; indè Romam perrexit, ubi Lauream Doctoralem in utroque Jure eſt aſſequutus.

Sic ſtudiis emenſis Literarum, itineribuſque confectis in Patriam reverſus eſt. Dives multiplici Linguarum peritia, & ad ardua quæque Regni negocia maximè idoneus, Idcircò Canonicatu donatus Cracovienſi, graviſſimis in rebus adhibitus à Rege *Michaele Koributio Vvieſnovviski*, Palatinos inter ſe diſſidentes, civilique flagrantes odio, ad concordiam reduxit. Hinc evecto ad Sarmatici Regni faſtigium *Joanne III.*, qui Turcarum hoſtis, & inſectator egregius varias de immani gente victorias retulerat, *Michaelem noſtrum* affinem ſuum, ſed magis commendatione virtutis illi propinquum, ad *Chiovienſis* primum, deindè ad *Vvarmienſis* Eccleſiæ Epiſcopatum adlegit, eodemque tempore magnus Regni Cancellarius effectus eſt cum diſpenſatione, ut hæc duo munera incompatibilia in ejus *Perſona* ſimul poſſent ſubſiſtere.

Fama virtutis, ac pietatis, qua *Michael Radziciovvski* cuncta gerebat, ita apud exteras quoque nationes percrebuerat, ut *Innocentius XI.* gavîſus ſit precibus annuere Regis Poloniæ *Michaelem* nominantis; libenſque eum in Sac. Senatum invexit.

Idem *Joannes III.* Poloniæ Rex, ejuſque avunculus à *Vvarmienſi* Eccleſia ad Archiepiſcopalem *Gneſnæ* dignitatem eum tranſtulit. Pallium Archiepiſcopale à Nuncio Apoſtolico *Opitio Pallavicino* accepit. Galerum verò Cardinalitium, & titulum *S. Mariæ de Pace* ab *Alexandro VIII.* obtinuit, poſtquam ille Romam advenerat. Redux deindè in Patriam Viennam divertit, ubi cum *Leopoldo* Cæſare tractatum feliciter iniit, ut illa Moldaviæ pars, quæ Regno ſubeſt Polonico, Polonicis etiam Legibus uteretur, quam concordiam ita firmatam Polonicis retulit monumentis.

Patriæ reſtitutus jura propagavit Eccleſiæ, Miſſionarios pios, doctoſque aluit, cœnobia nonnulla à fundamentis erexit, præſertim in commodum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, redditibuſque ditavit idoneis; ſacris ſupellectilibus Eccleſias auxit, & ut Regi ſuo ſuppetias ferret in bello Turcico, non ſemel vaſa argentea Nuncio detulit Apoſtolico, ut ex iis pecunia conflaretur.

Sed jam infauſta mors evenerat *Joannis III.* Poloniæ Regis, ideoque *Michael* totius penè Reipublicæ moderator, & arbiter in hoc difficili Interregno cuncta gerebat: non tamen adeò à partium ſtudiis remotus, ut nullam declinaret in partem. Victus enim ſive ſuaſionibus, ſive precibus *Abbatis de Polignac* Oratoris Regis Galliarum, omnia favore Principis de *Contii* proſperè diſponebat. Hinc multiplicati Contradictores, & Candidati; hinc ſciſſæ fluctuantis populi ſententiæ; ubique tumultus, & diffidia, ac fermè armis omnia miſcebantur; dies aderat 16. Maii anni 1697. electioni novi Regis decreta; ſub dio, & in campis, ut ſolet Populus ille martialis, multitudo penè incredibilis convenerat. Non pauci in armis erant, pluresque illius Regni optimates magnum inſtructi militis numerum collegerant. Inclamabant, profitebanturque exteri candidati electioni velle palam obſiſtere. Aliquem ex Palatinis, & ex Ordine Patriciorum ad Regni faſtigium eſſe evehendum.

Res erat ad ultimum penè diſcrimen adducta, & ne civili ſanguine arva maderent, in aliud tempus Regni Comitia dilata ſunt à Cardinali Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Regni Primate. Nunquam tamen *Principis de Contii* patrocinium depoſuerat. Spes adhuc illi ſupererat, vel auro, vel armis (ubi precibus, ac ſuaſionibus vincere non poterat) ſuffragia acquirere. Incaſſum tamen, quia gliſcente in dies civili diſcordia, novus emerſit Contradictor cæteris præſtantior. *Auguſtus* hic fuit Saxonum Dux, & Elector, qui fretus armis fœderatorum Principum, fretus potentia, & Regio ſanguine in novis Regni Comitiis diutius, quam par erat, protractis, Rex omnium votis eſt inauguratus.

Moleſtè quidem id tulit Cardinalis Archiepiſcopus, & Regni Primas, qui etiam electo Regi, habenaſque Imperii moderanti, & verbo, & facto ſæpius contraire non deſtitit. Cæterum Regni felicitati ſemper ſtudens, Divinique Cultus incremento, nil ferè cogitabat, præſtabatque, quod Eccleſiæ decorem, vel Regni proſperitatem non præferret; hinc meritis onuſtus, laboribuſque confectus, vivere deſiit die XI. Octobris anni 1705. ætatis ſuæ ſexageſimo, ſepultuſque eſt in Eccleſia ejus Metropolitana Gneſnenſi.



XXIV.

MARCUS ANTONIUS FRANCISCUS BARBADICUS Patricius Venetus die natus est 6. Martii 1640. ex *Augustino* Barbadico, & *Clara*, itidem Barbadica. Agnatus erat *Gregorio Barbadico* ab Alexandro VII. inter Cardinales relato, quique Ecclesiis laudabiliter præfuit Bergomensi, & Patavinæ. Ab istis spectatissimæ nobilitatis, eximiæque pietatis majoribus piè, ac liberaliter *Marcus* est institutus. Idem *Gregorius* Episcopus Patavinus, & sanctitatis memoria celebris, inter Canonicos illius Cathedralis *Marcum* adhuc adolescentem cooptaverat. Ipse vero Christianis virtutibus præstans quotidiè magis, ad Episcopatum admovetur Corcyrensem. Qua occasione orta controversia inter eum & *Barbonum Maurocenum* Venetum Maris Præfectum, propter ritus cæremoniales, publicasque salutationes occasione victoriæ à dicto *Mauroceno* de Turcis relatæ; cum res ad concordiam perduci non potuerit, jussu Veneti Senatus *Barbadicus* in Patriam revocatur, omnibusque avitis, & Ecclesiasticis Bonis proscribitur. Ille vero Venetias pergens, satisque Senatus Imperio paruisse putans, si easdem Venetias appulisset, vix Patriam revisit, quum subito discessu Romam perrexit. Ibi ad pedes *Innocentii XI.* provolutus suarum adversita-

tum seriem humili, fidentique animo exposuit; tantamque sibi apud eum gratiam conciliavit, ut in hac Promotione diei 2. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales relatus fuerit sub *Titulo S. Susannæ*: Paulòque post ad Episcopatum admotus fuerit Montis Falisci. Plura ibidem visuntur adhuc ejus Pastoralis sollicitudinis, atque effusissimæ liberalitatis monumenta. Seminarium penè à fundamentis extructum, Episcopium instauratum. Tandem suæ reconciliatus Reipublicæ, non semel jura illius asseruit apud Sanctam Sedem. Titulum *Sanctæ Susannæ* die prima Julii 1697. immutavit in alterum *S. Marci*.

A

B

Congregationibus adscriptus erat S. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Propagandæ Fidei. Comitiis cum adfuerit *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.*, obiit die 26. Maii 1706. in sua Diæcesi, atque in Ecclesia Cathedrali Montis Falisci sepultus est.



Ca-



XXV.

Carolus Stephanus Anastasius Cicerus Novocomensis Episcopus, eximiusque *Innocentii XI.* Civis communem Patriam decoravit. Patrem habuit *Vincentium Cicerum*, *Matrem vero Luciam Triti* Patricios Novocomenses, ex quibus die natus est 26. Decembris anni 1618. Christianis à pueritia imbutus moribus, religionis officiis, piisque operibus inhærebat; studiis litterarum etiam incubuit solertia, & assiduitate singulari. Mediolani in literas incubuit humaniores, Philosophiam, & jurisprudentiam lustravit. Ticini verò Lauream Doctoralem adeptus est. Deindè sub *Innocentio X.* Romam venit, atque inter Curiæ Præsules adscriptus, nonnulla ditionis Ecclesiasticæ gubernia providè administravit. Mox in Urbem revocatus inter Præsules relatus est, qui in Congregatione Sacræ Consultationis suffragium ferunt.

Sed à Deo vocatus, Ecclesiæque impensius cupiens inservire, ad Episcopalem dignitatem evectus est; ac primum admotus ad Ecclesiam *Alexandriæ* statelliorum in antiquo Ducatu Mediolanensi. Mox ab *Innocentio XI.* ad Episcopatum translatus est Novocomensem. Hic quum plura ediderit pastoralis pietatis, vigilisque sollicitudinis specimina, & maximam consequutus fuerit existimationem,

ab *Innocentio XI.* inter Presbyteros Cardinales relatus est in hac solemni enunciatione diei 2. Septembris anni 1686. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii XII.* Demum meritis, atque annis gravis obiit die 22. Junii 1694. ætatis suæ 76. sepultus in Cathedrali Novocomensi cum hac Epigraphe.


A

D. O. M.
CAROLO CICERO
S. R. E. CARDINALI ALEXANDRIÆ

B

PRIMVM NVNC NOVOCOMII EPISCOPO
AB INNOCENTIO XI. P. M.
AD PVRPVRAM ASSVMPTO
LIBERALITATE IN PAVPERES
ZELO ET SVAVITATE REGIMINIS SPECTATISSIMO
COMES VINCENTIVS CICERVS
FRATRIS FILIVS POSVIT
OBIIT XXIV. IVNII MDCLXXXXIV.
ÆTATIS SVÆ LXXVI.





LEOPOLDVS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS À KOLLONIZ GERMANVS CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI.
Obyt die 20 Ianuary 1707

Ia. Blondeau Sculp.

Io Iacobus de Rubeis formis Romæ ad Temp Pacis cum Priu S Pont

XXVI.

LEOPOLDUS KOLLONITZ eximiæ in Germania Nobilitatis, die natus eſt 24. Octobris anni 1631. Egregiam nactus à pueritia educationem, militiæ nomen dare decreverat: Ordinem ſuſceperat Equitum Hieroſolymitanorum, atque in Inſula Melitenſi plures per annos conſedit inter Equites illius Ordinis, & ſub illius vexillo navalibus adfuit expeditionibus, quæ quotannis in Turcas fiunt; ſed feliciter de ſententia decedens, mutatoque conſilio, Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit. Hinc anno 1665. Epiſcopus Nitrienſis primo, inde Colocenſis renunciatur. Demum anno 1695. ad Archiepiſcopatum transfertur A *Strigoniæ*, & Hungarici Regni Primas efficitur. Hæreticorum inſectator aſſiduus, in Bello Turcico ſumma ope Cæſari opitulatus eſt. In ſeceſſionibus Populi Hungarici, conſtans in fide erga Cæſarem, contumaces repreſſit, præcipue publicis concionibus, & ex ſuggeſtu Populum excitando ad obedientiam, & pacem; propterea eidem *Leopoldo* Cæſari adeo carus, ut illi a ſanctioribus conſiliis fuerit. B Eum ad preces ejuſdem Imperatoris *Innocentius XI.* in Purpuratorum Patrum Collegium cooptaverat in hac celebri Promotione die 2. Septembris anni 1686. Mortuo eodem Pontifice, Romam venit, ut Vatica-

tica-

ticana celebraret comitia. Ab *Alexandro VIII.* noviter electo, Titulus ei collatus est *S. Hieronymi Illyricorum*. Congregationibus insuper adscriptus fuit Rituum, & Propagandæ Fidei. Præterea comitiis adfuit *Innocentii XII.*, A & *Clementis XI.* Tandem ætate gravis, laboribusque confectus obiit Viennæ in Austria die 20. Januarii anni 1707. ætatis suæ 76., & in Ecclesia Patrum Societatis Jesu sepultus est.





XXVII.

STEPHANUS LE CAMUS ex nobili Familia apud *Pictones*, *seu Pictavienses* in Gallia (*a*) die natus est 24. Septembris anni 1632. Ateneris annis ita se pietatis officiis, sacrisque studiis dediderat, ut gravis incessu, moribusque severus videretur. Quinimò peracto scientiarum cursu tanta loquendi facilitate insectabatur abusus in Ecclesiasticam disciplinam irreptos, ut ipse nimiæ austeritatis nota traduceretur. Aliis suspecta erat suæ vitæ institutio, & uti infecta erroribus Jansenismi evulgabatur. Hinc vel zelo, vel invidia apud A *Julium* Cardinalem *Mazzarinum* insimulatus, exilio mulctatus est. Ille in Occitaniam aufugit, Hospitio receptus, & Patrocinio fretus Principis *de Contii*, qui pro Christianissimo Galliarum Rege Provinciam administrabat. Stephanus vero eo magis Dei Cultui addictus Religioni Chartusianorum nomen dedit. Quo tandem factum est, ut ipse Cardinalis *Mazzarinus* noscens hominis verè Apostolici ardens studium, illum in Regis gratiam restituerit, atque indè ad Archiepiscopatum admoverit Gratianopolitanum in Delphinatu. Veterem vitæ

(*a*) Hist. Præsidum Parlamenti Parisiensium.

tæ Institutionem in nova dignitate prorsus adhibuit. Assiduus vitiorum osor, rigidus abusuum objurgator, propositionibus Cleri Gallicani Parisiis congregati anno 1682. subscribere noluit. Regi, Regiisque administris constans restitit in controversiis contra Sanctam Sedem suscitatis super Jure Regaliarum. *Ludovico XIV.* palam edixit eum injustè agere, si immunitatem Ecclesiæ imminueret, quam incliti ejus Antecessores servaverant. Hinc *Stephanus* iterum Regi invisus, iterumque tenax propositi, nunquam à consilio, nec à solita libertate loquendi abstinuit. *Innocentius XI.*, qui viros quærebat virtute præditos, hunc licet Regi suspectum inter Presbyteros Cardinales retulit sub titulo *Sanctæ Mariæ Angelorum*; & Congregationibus adscripsit

A Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Propagandæ Fidei; atque in Concione in Consistorio habita idem Pontifex eximiis præsertim laudibus extulit *Stephanum Camusium*, & *Josephum de Aguirre*. Hoc tamen mirandum est, quod statim ac *Camusius* inter Purpuratos Patres adscriptus fuit, in Regis gratiam receptus est. Frater enim ejus, qui primus erat Præses in Camera Computorum, *Stephanum* impulit ad Regem omni obsequii genere percolendum. Inceptam tamen

B severitatem retinuit, & Diœcesim Gratianopolitanam vigilantissimus Pastor emendavit. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.* Die tandem obiit 12. Septembris anni 1707. ætatis suæ 75.




IOANNES S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS GOESSEN GERMANVS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI
Obyt die 19. Octobris 1696.

XXVIII.

JOANNES GOESSEN in Belgio natus anno 1610., Austriacæ Domus addictus fuit auspiciis. Hinc in Aula Cæsaris claruit nominis celebritate, & peritia in tractandis Reipublicæ arcanis; pietate etiam, & studio Religionis cæteris anteivit. Pro Leopoldo Cæsare Orator gravis maximis Legationibus functus est. Anno 1664. victis, profligatisque Turcarum copiis propè Oppidum *Sancti Gothardi* in Hungaria, ipse cum Barbaris pacem A iniit honestissimis conditionibus. Mox Ecclesiæ institutum arripuit, & ejusdem Cæsaris beneficio ad Episcopatum Gurcensem evectus est. Iterum ad Conventum Noviomagensem in Geldria missus, pacem cum Gallis pepigit votis omnium expetitam. Cæsar propterea urgere Pontificem non destitit, donec *Joannes Goessen* ad Cardinalatus honorem eveheretur. B Hunc igitur *Innocentius XI.* inter Presbyteros Cardinales retulit. Ab *Alexandro VIII.*

titulum obtinuit *Sancti Petri in Monte Aureo.* Romæ munus etiam implevit Oratoris Cæsarei ; ibi Apoplexia correptus obiit die 19. Octobris anni 1696. sepultus est in Ecclesia Minorum S. Francisci Cappuccinorum magna S. R. E. Cardinalium, nec non Nationalium A frequentia. Testamentum condiderat in Episcopatu Gurgensi, in quo plura Legata ad pias causas conscripserat, præsertim verò 25. mille ducatos aureos legavit pro erectione Hospitalis in Pannonia.





PETRVS MATHÆVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS PETRVCCIVS ÆSINAS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS M.DC.LXXXVI.
Obijt die 5. Iulij 1701.

Io Iacob de Rubeis formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Pri...

XXIX.

PETRUS MATTHÆIUS PETRUCCIUS Æsinas die natus est 20. Maii 1636. ex *Joanne Baptista Petruccio*, & *Aurelia Stella* nobilibus illius Civitatis familiis. Ista Petrucciorum Familia, quæ Æsii consedit, ex altera Senensi, & præclarâ gente hujus cognominis ortum duxisse contendunt eruditi, & ex publicis documentis judicatum fuisse ferunt salutis anno 1691. (*a*). Hinc eodem Gentilitio Stemmate utitur; hinc etiam evecto ad Cardinalitiam dignitatem *dicto PetroPetruccio*, Civitas Senensis eum, ejusque Familiam suum civem esse declaravit.

A B

Piissimam *Petrus Matthæjus* nactus est educationem. Ipse vero ad vitam verè Christianam vocatus omnibus Religionis officiis inhærebat, & studia hujus vitæ instituto maximè idonea prosequebatur. Laurea donatus est doctorali in Universitate Maceratensi; & Genitore orbatus ab adolescentia in pio proposito magis perseverans, studiis Literarum impensius incubuit, aliosque docuit rudimenta Religio-

(*a*) Palatius in vita hujus Cardinalis Tom. 4.

ligionis Christianæ, imò & subtiliter docuit dogmata etiam Theologica.

Licet filius unicus esset Matris suæ, & ultimum suæ Familiæ germen, anno tamen 1661. solo sibi Patrimonio sacro constituto pro sui alimonia, Congregationi S. Philippi Nerii nomen dedit. Eodem anno Sacerdotali Charactere fuit insignitus; Missæ sacrificium quotidiè nisi adversa valetudine præpeditus offerebat. Sacræ eruditioni adeò incubuit, ut Concionator gravis extiterit, adeòque carus *Alderano* Cardinali *Cybo* Episcopo Æsiensi, ut de renunciando ejus favore Episcopatu sæpius cogitaverit.

Brevi Matrem etiam amisit; hinc delata eidem tota Patris, ac Matris hæreditate, illam in pauperes distribuit, solo sibi reservato Patrimonio sacro. Anno 1679. Præpositus superior dictæ Congregationis Sancti Philippi renunciatus fuerat; hinc nedum interno societatis incremento ferventius, ac feliciter incubuit; sed etiam totius Populi utilitatibus studuit, & in concionando, & in Confessionibus audiendis totus fuit.

Fama tantarum virtutum permotus *Innocentius XI.* secum animo constituerat, *Petruccium* ad majora provehere. Quare anno 1681. illum licet invitum ac reluctantem ad subeundum Patriæ suæ Episcopatum adegit. Pietatis officia non deseruit. Residuum Paternæ substantiæ Patrimonium, nempè sacrum, quod sibi constituerat, in pauperes, & in Ecclesiarum ornatum impendit; Cleri reformationi consuluit, & verbo docuit, & exemplo. Diœcesim lustrabat assiduè, Confessiones ferventius audiebat. Hinc idem *Innocentius XI.*, ut parem meritis mercedem impertiretur, die 2. Septembris anni 1686. illum inter Cardinales recensuit sub titulo *S. Marcelli*, Æsino gestiente Populo, ut ex inscriptione in Arcu Portæ Prioralis, marmori aureisque Literis incisa patet.

PETRO MATTHÆIO PETRVCCIO
CARDINALI AMPLISSIMO
PATRITIO MERITISSIMO
PATRI OPTIMO
IN ÆTERNI MONVMENTVM OBSEQVII
REGIA CIVITAS ÆSIVM POSVIT
ANNO MDCLXXXIX.

Plures Italico sermone edidit Libros, ut verum fatear non omnino utiles, & elegantes.

A Nempè = *La Vergine Assunta* = *La Contemplazione Mistica* = *Il tutto in niente* = *Poesie Sagre* = *Epistole* = Ex iis (quos utinam non edidisset) graves *Petruccio* turbæ ortę sunt. Eodem namque tempore ii prodierunt in lucem, quo impii *Michaelis Molinos* errores damnati sunt, & S. Inquisitionis Congregatio illos ejusdem labis infectos duxit. Hinc publico Inquisitionis Decreto inter prohibitos relati sunt; hinc sui nominis maximam *Petruccius* jacturam subiit. Illam tamen reparavit feliciter ob eximia, quæ præbuit, humilitatis

B specimina. Primus enim ipse illos damnavit, petiitque, ut eraderentur, & comburerentur; idcircò in gratiam restitutus Pontificis, facultas illi data fuit liberè regrediendi ad suum Episcopatum. Parum tamen ibidem substitit, & Romæ ut plurimum versatus est.

Demum tædio affectus anteacti infortunii, studioque anhelans privatæ vitæ, anno 1696. Episcopatum in manibus Pontificis liberè dimisit. Pontifex verò duorum millium aureo-

C rum pensionem motu proprio Cardinali assignavit. Licentiam pluries petiit ad suam redeundi Congregationem Sancti Philippi, & Cardinalatum dimittendi, sed frustra.

Ipse verò moribus, atque omni vitæ genere verè pius, Religiosum, in sæculo degens, servavit institutum. Communem mensam cum suis Familiaribus, & sibi inservientibus habebat; eodem prorsus modo, quo inter sui Ordinis Confratres utebatur. Jejuniis, vigiliisque pallebat. Congregationibus præsto

D erat, quibus erat addictus; præsertim verò à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium sæpè adhibitus in visitationibus explendis Apostolicis, vigilantiam verè Pastoralem adhibuit.

Hinc Visitator missus in Provinciam Sancti Severini adeò Cleri reformationi, & Populi saluti incubuit, ut curarum pondere pressus objerit die 5. Julii anni 1701. visitavit etiam Confraternitates, & Xenodochia S. Spiritus in Saxia, & Confraternitatem Sanctissimæ An-

E nuntiationis. Congregationibus adscriptus erat S. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, de Propaganda Fide, Indicis, Rituum, Visitationis Apostolicæ, & Status Regularium. Comitiis adfuit Alexandri VIII., Innocentii XII., & Clementis XI. obiitque septuagenarius dicto die 5. Julii 1701.



XXX.

FR. PETRUS DE SALAZAR die natus est 29. Aprilis anni 1626. Familia *de Salazar* celebris, atque antiquissima est in Hispaniis, præsertim vero in Regno Granatensi.

An autem Frater Petrus ex hac nobili Gente descenderet, in dubium revocatur; ex humilibus enim, & pauperibus Parentibus natus erat. Piam tamen ab adolescentia nactus est educationem, & Religionem ingressus est Beatissimæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Eximiam ibi comparavit existimationem; & Secretarius electus est sui Superioris Generalis. Hinc nedum maximas in ea Religione assequutus est dignitates, quas magna

A

cum laude gessit; sed etiam apud Primates Regni, & in ipsa Regis Aula authoritate viguit, & nominis celebritate. Ejusdem Catholici Regis Concionator renunciatus est; deindè promoto ad munus Præsidis Castellæ *Fratre Assenzio*, qui fuit insignis ejus Protector, & in Ordinis Generalatu Antecessor; idem *Frater Petrus* in hac suprema dignitate illi suffectus est. Sæpè *Carolus II.* Hispaniarum Rex

B

ejus consilio utebatur in Theologicis quæstionibus.

Ejusdem Regis beneficio ad Episcopatum prius *Salmaticensem*, deindè ad *Cordubensem* admotus est. Anno demum 1686. ad preces

ejusdem Regis *Innocentius XI.* illum inter Presbyteros Cardinales retulit sub titulo *Sanctæ Crucis in Hyerusalem*.

Romam veniens, ut Comitiis adesset *Alexandri VIII.*, Regius Hispaniarum Orator fuerat designatus, Regiumque Diploma secum adferebat, sed Dux *de Medina Cœli*, qui tali munere Hispanici Oratoris Romæ fungebatur, tantum adnixus est, ut ipse in Officio perstiterit. Re igitur infecta redivit *Salazar* ad suum Cordubensem Episcopatum. Iterum Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, sed in altero Conclavi *Clementis XI.* Romam non venit ob longos itineris labores.

Congregationi adjectus fuerat Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Examinis Episcoporum. Obiit demum in sua Diœcesi die 15. Augusti anni 1706. octogenarius.





XXXI.

GUILLELMUS DE FUSTEMBERG Germanus die natus est 4. Decembris anni 1629. ex *Egone Friderico* Comite de Fustemberg, & *Francisca Elisabeth* Comitissa *de Montrechier*. Frater erat Germanus *Ferdinandi de Fustemberg*, qui anno 1663. Episcopatum Argentoratensem obtinuerat (*a*).

Hæc vero præpotens, ac perillustris Familia, nedum in Vestphalia sedem habet, ex qua alter *Ferdinandus* descendit, qui anno 1661. Episcopus Monasteriensis, & Paderbonensis renunciatus fuerat; sed etiam in Svevia viget

A cum dignitate Principis Romani Imperii, & cum Statu libero, & cum titulo Landgraviatus (*b*) Ex hac Svecica Familia opibus, & affinitatibus clarissima suam traxit originem *Guillelmus*, qui Canonicus primum dictus Coloniensis, & Salisburgensis, ab Aula Cæsaris secedens, cui in suspicionem venerat, intimus
B fuit Consiliarius, & amicissimus Bavarici Electoris Coloniæ.

Graves indè calamitates perpessus est, & ab adverso *Leopoldi* Cæsaris animo exagitatus. Accusatus enim fuit Rebelles excitasse in Hungaria,

(*a*) Cursius in Annal. Sveviæ.

(*b*) Idem Cursius in Annalibus Sveviæ Henningenhus in Genealog. German.

garia, eisque in Domum Austriacam, suppetias tulisse. Hinc capite mulctati sunt, Comes de *Sdrino*, Marchio *de Frangipanis*, & Comes *Nadasti*. Tum quæstio constituta in eumdem *Guillelmum*; & publicè inquisitus, Decretoque Cæsareo proscriptus est. Ipse tamen perfugium quærens apud eumdem Electorem Coloniensem, Author fuit fœderis à dicto Electore initi cum Christianissimo Galliarum Rege. Quin imò opem, & auxilium invenit ipsius *Ludovici XIV.*, qui omnibus *Guillelmum Fustembergium* Officiis prosequutus est.

Mortuo *Ferdinando* Episcopo Argentoratensi, ipsi *Guillelmus* in Sede Episcopali suffectus est. Redditibus insuper Ecclesiasticis abundè ditatus in Gallia. Idem Elector Coloniensis *Maximilianus Bavaricus* Guillelmum sibi elegerat in Coadjutorem in Electoratu; incassum tamen, quia confirmationem Apostolicam obtinere non potuit. Hinc à Rege Galliarum nominatus die 2. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales relatus est ab Innocentio XI., tituloque *Sancti Honuphrii* fuit insignitus.

Anno 1688. mortuo Maximiliano Electore Coloniæ, instante præ cæteris Galliarum Rege, idem *Guillelmus* à Capitulo Coloniensi Elector fuerat designatus; sed hæc nova molimina in irritum quoque cessere; *Innocentius* enim *XI.* nunquam animum induxit ad concedendum Breve, quod dicunt *eligibilitatis*, ne novus daretur Cæsari inimicus, neve bellorum motus augerentur; & frustra per Regios Galliarum Administros Pontificis constantia tentata est, qui *Josepho Clementi Bavarico* mortui Electoris Fratri vacantem dignitatem attribuit, licet novem dumtaxat Canonicorum suffragia obtinuisset, tresdecim vero *Guillelmus le Fustemberg* (a).

Guillelmus interea spem sibi omnem sublatam videns, in Galliam confugit. Novis ibi cumulatus beneficiis, tranquillam, & periculorum expertem vitam egit. Quinimò majora semper Regis beneficia expertus, plura obtinuit Monasteria in Commendam, ut ajunt, redacta, inter quæ divitem Abbatiam *S. Germani*.

Comitiis adfuit Alexandri VIII., electioni etiam supervixit Innocentii XII., & Clementis XI., sed eorum Comitiis non adfuit. Demum die obiit 10. Aprilis anni 1704. ætatis suæ 75.



Ho-

(a) Brietius in Annalibus Anni 1671. & seqq.



Horatius S. R. E. Presb.
Card. Mattheius Romanus.
Creatus die II Septembris MDCLXXXVI
Obyt die 18. January 1688

Io Iacobus de Rubeis Formis Romæ ad Templum Pacis cum Privil. S. P.

XXXII.

HORATIUS MATTHÆJUS Romæ natus est die 15. Martii anni 1622. ex Patriciis, primæque nobilitatis Genitoribus, nempè ex *Duce Ludovico Matthæjo*, & *Laura de Frangipanis*. Agnatus erat duobus illis magni nominis Cardinalibus, *Gaspari* nempè *Matthæjo* ab Urbano VIII. inter Purpuratos relato, alterique *Hieronymo* Cardinali *Matthæjo* à Sixto Quinto creato.


Avitæ generis nobilitati parem Horatius nactus est educationem, sub Patrum Societatis Jesu disciplina. Ordinique Ecclesiastico addictus, sub Innocentio X. inter Signaturæ Referendarios cooptatur. Civitatibus præfuit

A Urbis Veteris, & Camerini. Deindè inter duodecim viros relatus est, qui in Signatura Justitiæ suffragium ferunt.

Clemens X., cui *Horatius* consanguinitate propinquus erat, & *Palutius* Cardinalis *Altierius* Nepos Pontificis ad maximos honoris gradus illum promovere meditabantur. Interea Prolegatus effectus est Avenionensis; posteà

B plures per annos XII. Vir in Tribunali Rotæ Romanæ justitiam administravit integritate, ac laude singulari. Ad sacræ Purpuræ honorem idem *Clemens X.* illum promovisset, si diutius vixisset; sed quod ipse præstare non potuit, *Innocentius XI.* effecit; & in hac celebri pro

motione anni 1686. inter Presbyteros Cardinales eum retulit sub titulo *Sancti Laurentii in Pane, & Perna*. Dignitas tamen Cardinalitia, eodem tempore, quo data fuit illi, erepta simul visa est. Paucis enim elapsis mensibus ab ejus promotione, interiit die 18. Janua- A rii 1688. Adscriptus erat sacris Congregationibus Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis, & Rituum. Romæ sepultus est in Ecclesia Sancti Francisci ad Ripam Tyberis in sacello hujus domus Gentilitio, atque in sepulcro Majorum.



Jo-



XXXIII.

JOANNES CASIMIRUS DENHOFF Polonus die nascitur sexta Junii anni 1649. ex nobilibus Genitoribus; ejus enim Familia Feudo decorata est in Polonia cum titulo Comitatus. Pietati impensè addictus, studia Homini Ecclesiastico, & Sacerdoti idonea assiduè coluit. *Joannes III.* Poloniæ Rex, ut *Innocentium XI.* ad fœdus in Turcas ineundum magis impelleret, hunc egregium virum Romam allegavit, qui & subsidia retulit maxima, & ipse *Denhoff* Pontificis gratiam sibi conciliavit. Hinc Romæ suum elegit domicilium, & Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Mira semper pietate claruit. Ægrotos visitabat assiduè,

A eisque in Hospitali Sancti Spiritus in Saxia propriis manibus ministrabat. Quare idem *Innocentius XI.* Præceptorem ejusdem Hospitalis, quem Commendatarium dicunt, eum renunciavit die 6. Julii 1680. Indè ad Cesenatensem Episcopatum elatus est.

Nova dignitas superaddita, non modo mores pristinos non mutavit, verum etiam id profecto effecit, ut ejus humilitas, atque animi demissio ab omnibus cognoscerentur. Hinc
B idem Pontifex avidus virtutis quæsitor, & promotor, hac celebri die 2. Septembris anni 1686. illum inter Presbyteros Cardinales retulit sub titulo *S. Joannis ante Portam Latinam*;

nam; sed ob ejus semper adversam valetudinem, Ecclesiam Cesenatensem dimisit. Quidquid habuit, pauperibus attribuit, quod superfuit, post ejus obitum Patribus Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii ejusdem Civitatis Cesenatensis reliquit (*a*) Inter Fratres Discalceatos Sanctissimæ Trinitatis Urbis sibi sepulcrum elegit. Congregationibus adscriptus erat Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Examinis Episcoporum, Propagandæ Fidei, & Rituum. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, & *Innocentii* XII. Die vero 20. Junii anni 1697. occubuit, fessus magis laboribus, quam ætate. Annum enim agebat 49. Romæ sepultus est in Ecclesia *S. Caroli ad quatuor Fontes*, ejusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum, postquam ejus Cadaveri justa exequialia soluta fuerant in Ecclesia *Sancti Philippi*; tumuloque hoc additum fuit sepulcrale Elogium.

A

B

C

D. O. M.
IOANNES CASIMIRVS DENHOFF
POLONICÆ NOBILITATIS DECVS
IOANNIS III. REGIS AD INNOC. XI.
PRO FOEDERE IN TVRCAS ALLEGATVS
OB VIRTVTVM SPLENDOREM
SANCTI SPIRITVS PRÆCEPTOR
S. R. E. CARDINALIS
CÆSENÆQVE ANTISTES
A PONTIFICE IPSO RENVNCIATVS
INTER DISCALCEATOS SANCTISSIMÆ TRINITATIS
CVIVS OPE AC TVTELA
IN POLONIAM INDVCTVS
TVMVLARI MANDAVIT
OBIIT DIE XX. IVNII ANNI MDCLXXXXVII.
ET SVÆ XLIX.
IN PERPETVVM GRATITVDINIS SIGNVM
PP. MONVMENTVM POSVERE



Dom-

(*a*) Ita ex Diariis Candidi Cassini Cæremoniarum Palatii Apostolici Magistri.



XXXIV.

A Domnus Joseph Saenz de Aguirre Patria Lucronensis, natione Hispanus die nascitur 24. Martii anni 1629. Feracis ingenii vir, assiduique laboris, virtutem habuit hæreditariam; inter majores enim suos recensebat *Michaelem de Aguirre* (a) insignem Jurisconsultum, aliosque egregios viros de Literarum Republica optimè meritos. Ipse verò, ut studiis impensius incumberet, inter Benedictinos Cassinenses Monachus adscribi voluit. Pietate, morum integritate, & scientiæ desiderio cæteris anteibat. Hinc sui Ordinis Confratribus bis Præpositus fuit, dignitate Abbatis *Sancti Vincentii* ornatus in Civitate Salmaticensi. Pauloque post in eadem Civitate, atque in celebri Salmaticensi Universitate publicus in facultate Theologica Lector est renunciatus. Præses etiam Generalis Hispanicæ Congregationis Sancti Benedicti, omnia gessit, ut disciplinæ Monasticæ consuleret, ut B redditus augeret Ecclesiæ, ut privilegia, & Jura totius Ordinis assereret. Consiliarius præterea fuit, & à Secretis Sanctæ Inquisitionis in Hispaniarum Regnis.

Tan-

(a) Nicolaus Anton. Bibliothec. Script. Hispan.

A Tantis distractus curis, suorum tamen studiorum eximia monumenta in lucem edidit. Quatuor enim ingentia volumina publici Juris fecit, cum titulo *Notitia Conciliorum Hispaniæ, & novi Orbis &c.* = aliosque Libros inferius recensendos evulgavit. Romam adveniens, edendisque Libris semper intentus, uni præsertim incubuit Libro, qui prodiit anno 1683. sub titulo = *De Cathedra Divi Petri* =, in quo Sanctæ Scripturæ, & Conciliorum testimonio fretus propositiones illas refellit, quas B edidit Clerus Gallicanus anno 1682., & quibus Sanctæ Sedis authoritas, & infallibile Papæ judicium in rebus Fidei impetebantur. Tantam ex his nactus est existimationem apud Romanum Pontificem, ut *Innocentius XI.* illum inter Presbyteros Cardinales retulerit sub titulo *Sanctæ Mariæ super Minervam*, eumque in Consistorio maximis laudibus cumulaverit. Congregationibus insuper illum adscripsit Sac. C Concilii Tridentini, Sancti Officii, & Indicis Librorum prohibitorum. Iis frequens intererat, & libertate dicendi Ecclesiasticâ utebatur. *Alexandro VIII.* proponenti in Consistorio *Tussanum de Fourbin* ad Cardinalatum promovendum, Cardinalis *Colloredus* apertè restitit, & solus *de Aguirre* eumdem Colloredum objicientem sequutus est, palam opponens Pontifici indecorum esse ad Cardinalatum evehere eumdem *de Fourbin* aversum, atque inimicum D authoritati Sedis Apostolicæ. Fuit etiam Protector Regni Siciliæ.

Interea fessus laboribus Romæ interiit Apoplexiæ ictu correptus die 19. Augusti anni 1699., scripto sibi hærede Monasterio Benedictinorum Cassinensi in Civitate Calaguritana. Mortem tanti viri lacrymis decorarunt Romæ Optimates, & funerum solemniis in Ecclesia peractis *Sancti Jacobi* Nationis Hispanicæ adesse voluit Regina Vidua *Joannis III.* inclyti Regis Poloniæ. Vivens sequentem sibi paraverat Epigraphen.

IOSEPH SAENZ DE AGVIRRE
NATIONE HISPANVS
PATRIA LVCRONENSIS
VITA PECCATOR
APPELLATIONE MONACHVS S. BENEDICTI
STVDIO THEOLOGVS
MISERATIONE DIVINA S. R. E. CARDINALIS
TITVLI SANCTÆ MARIÆ SVPER MINERVAM
PROTECTOR REGNI SICILIÆ
ORATE DEVM PRO EO
OBIIT DIE XIX. AVGVSTI ANNI MDCLXXXXIX.
MISERERE MEI DOMINE
QVIA PECCAVI SVPER NVMERVM ARENÆ MARIS.

Libri quos edidit Cardinalis de Aguirre.

Ludi Salmaticenses.
De Conciliis Hispaniarum, & Novi Orbis. Tom. 4.
De Philosophia Scholastica Tom. 3.
De Philosophia Morali Tom. 2.
De Theologia Scholastica juxta mentem S. Anselmi Tom. 3.
Defensorium Gersonis.
De Viatore Christiano in Patriam pergente.
De Cathedra S. Petri.



LEAN-



XXXV.

LEANDER COLLOREDUS FOROJULIENSIS in Gastro natus est *Colloredi* in Goritia die 25. Aprilis anni 1639. Pater ejus *Fabricius* Baro de Wals, Marchio *S. Sophiæ*, & Prior Lunigianæ, maximis in Aula *Ferdinandi II.* Magni Ducis Etruriæ muneribus fungebatur. Cæterum hæc prænobilis Familia insignibus claruit dignitatibus etiam in Germania, Domui Austriacæ fidelis semper & acceptissima. *Leander* vero *Colloredus*, qui tertiogenitus erat Patris sui, ut studia literarum prosequeretur, Pisaurum primo, indè, Romam venit. Moribus erat integerrimis, atque infixam animo Religionem impen- A se coluit. Hinc insciis, atque invitis ejus consanguineis in Congregationem Sancti Philippi Nerii se recepit. Theologiæ studio sollicitam navavit operam; Sacerdos renunciatus auditor erat assiduus sacramentalium Confessionum, crebro etiam ex suggestu ad Populum concionabatur. Annos supra 30., cum munus hoc obierit Concionatoris, nunquam fabulas intermiscuit, vel fucatam eruditionem, sed Christum prædicabat Crucifixum, B & in puritate Evangelii Christianam edocebat Doctrinam. Tota hinc in Urbe, & apud Purpuratos Patres nactus est existimationem. Præcipuè vero apud *Innocentium XI.*, qui, ut in

A in minoribus solebat, recreationis caussa inter Religiosos illos S. Philippi versari, maxime hinc cum Colloredo familiaritate utebatur. Illum primo admovit ad munus Examinatoris Episcoporum, & Consultoris in Congregatione Indicis Librorum prohibitorum. Deinde die 2. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales retulit *sub Titulo S. Petri in Monte Aureo*, quem die 7. Novembris 1689. in alium immutavit *SS. Nerei, & Achillei*. Maxima, qua Colloredus fulgebat, modestia oblatam prius respuit dignitatem, ut ex sequentibus patet epistolis Missis ad Cardinalem Cybo Secretarium Status = Eminentissime, & Rme Dñe Patrone Colendissime.

B *Personat undique summa benignitas D. N. R. P. erga personam meam in omnibus ineptissimam, præcipue in gradu tam excelso, cujus incapax fui a nativitate. Loqui mihi non datur, ubi Christi Vicarius manum imposuit. Veruntamen E. V. omittere non debeo, uti mei, ac totius Congregationis benignissimo Protectori, votum fuisse sancti mei Magistri, ac Patris, licet obsequentissimi erga Sedem Apostolicam, in hoc tamen Dignitatum articulo, eas constant issime recusare, mihique ex regula imposuisse eis abstinendi, quousque libertatis perfruar privilegio. Rogo itaque E. V. apud Sanctissimum intercedere, ut à tanto onere abstinere valeam mihi gravissimo, & Purpuratorum Collegio indecoro, si inter ipsos sederem. Flexis genibus preces renovo, ut mihi libertate restituta, animam subtraham jugo, quod cunctis prævalet, & præponderat. Quod si fiat, gratia erit singularis, & purpura major. Obsequens propterea, & humilis post osculum Purpuræ sum, ero.*

E. V.

Servus Humill. Devotiss. & Obligat.

Leander Colloredus.

Sed quo magis *Leander* humilitate certabat, tanto magis firmiorem reddebat Pontificis animum in ejus decernenda promotione. Spe itaque ad recusandum sublata, & inter Cardinales relatus idem servavit Religiosæ vitæ institutum. Palatium conduxerat ejus Congregationis ædibus conterminum, quo solum utebatur ad audiendas venientium salutationes, & negocia.

Cæterum exterius schalis, seu Ponticulis, ad id apte dispositis apud Confratres in Oratorio habitabat, vitam agebat prorsus Religiosam, & communi mensæ accumbebat. Edentibus illis quandoque inserviebat, habitu indutus sui Ordinis, solo Bireto retento Cardinalitio.

Evectus ab eodem *Innocentio XI.* ad munus summi Pœnitentiarii, bis in mense pænitentium confessiones audiebat, Apostatas redeuntes ad Catholicam Religionem suscipiebat, auro juvabat, & cuicumque opitulabatur. Morientibus etiam non vocatus aderat, & Cardinales præsertim extremum agentes diem, Christianis consolabatur colloquiis. *Innocentium* vero *XI.* toto infirmitatis tempore, & etiam in extremo mortis agone, verbo pavit divino, & sacramentis ritè munivit. In Comitiis Cardinalium, quibus adfuit, primum inter Zelatores locum habuit, trepidosque obiurgabat, aliosque in Partium studia divagantes in viam redire jubebat. C

Alexandro VIII. ad Cardinalitiam dignitatem *Tussanum de Fourbin* promoventi, palam restitit in Consistorio, objecitque indecorum esse S. Sedi, illum inter Purpuratos adscribere, qui propositionibus Cleri Gallicani contra eamdem S. Sedem subscripserat, quique ab judicio Papæ, de excommunicatione Comitis de *Lavardino*, ad futurum Concilium provocaverat. D

Congregationibus adscriptus erat Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Apostolicæ Visitationis, Examinis Episcoporum, Propagandæ Fidei, Status Regularium, Indicis Librorum prohibitorum, & Signaturæ Gratiæ. Comitiis cum adfuerit Alexandri VIII. Innocentii XII., & Clementis XI., Romæ occubuit die 11. Januarii anno 1709. ætatis suæ septuagesimo. E





FORTVNATVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS CARAFA NEAPOLITANVS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI.
Obÿt die 16. Ianuary 1697. Iac Blondeau Sculp.
Io Iacob. de Rubeis Formis Romæ ad Temp. S M. de Pace cum Priu. S.P.


XXXVI.

FORTVNATVS CARAFFA Neapolitanus anno natus est 1631. die vero 16. Februarii ex Patriciis, lectissimisque Genitoribus, *Hieronymo* nempè Principe Caraffa, & *Diana Victorii*. Gens Caraffa ubique Terrarum celebris strenuos & belli, & pacis artibus quotidiè edidit viros. Fratrem habuit Fortunatus *Gregorium* celebrem illum Hierosolymitanæ Religionis Equitem, qui per omnes honoris, bellicæque virtutis gradus ad apicem magni Magisterii anno 1680. evectus fuerat. Agnatus etiam erat *Petro Aloysio*, & *Carolo* Cardinalibus Caraffa, qui magnam in *Fortunati* educatione sollicitudinem adhibuerunt, præser- A tim vero adolevit sub cura *Simeonis* Caraffæ ejus Patrui, & Archiepiscopi Messanensis in Sicilia, sub quo Vicarius Generalis renunciatus, & universi Archiepiscopatus curam maxima sibi ex parte assumens, plura præstitit sedula Rei Sacræ procuratione, eximiaque prudentia. Anno verò 1676. mortuo Patruo Archiepiscopo Messanensi Neapolim rediit insigni exceptus opinione pietatis, & doctrinæ.

B Hanc etiam existimationem nactus est apud *Carolum II.* Hispaniarum Regem, ad cujus preces inter Presbyteros Cardinales adlectus est ab *Innocentio XI.* hoc die 2. Septembris anni 1686. Pileolum illi detulit purpureum

Octavius Belmontius Melitensis Ordinis Commendatarius, qui Breve etiam attulit responsorium ipsius Romani Pontificis ad epistolas, quas Princeps *Roccellæ*, ac *Boteræ* Fortunati Cardinalis Nepos ad eumdem Pontificem dederat. In hoc Brevi ipse *Innocentius XI.* eximiis novum candidatum efferebat laudibus, ut sequentia indicant verba = *Cæterum Cardinalis ipsius virtutes tam multæ, ac tam præclaræ sunt, ut in dies magis gaudeamus in excelso eas ad aliorum imitationem constituisse* =

A similique *Fortunatum* laude cumulavit, in alia quam magno Magistro Ordinis Hierosolymitani ejus Germano Fratri conscripsit, epistola. Titulum obtinuit *SS. Joannis, & Pauli*. Anno 1687. Episcopus Aversanus electus est, ubi zelo Religionis effulsit, caritate in pauperes, & morum integritate. Comitiis adfuit Alexandri VIII., & Innocentii XII. Demum re-
B pentina morte correptus, Sacramentis tamen munitus Ecclesiæ, obiit in sua Diœcesi die 16. Januarii 1697.



XXXVII.

DOMINICUS MARIA CORSI Florentinus die natus est 18. Aprilis anni 1635. Patrem habuit *Joannem* Senatorem, & *Gajacii* Marchionem in Regno Neapolitano, Matrem vero *Virginiam Vitelliam*. Ab his illius Civitatis Patriciis Genitoribus piè, ac liberaliter institutus, deindè Romam adveniens ad acriorem palestram transiit sub *Laurentio Corsi* Romani Pontificis Præsule domestico, ejusque Patruo. Studiis emensis Jurisprudentiæ, vix tamen adolescentiam egressus, sub *Alexandro VII.*, inter Referendarios adscriptus Signaturæ Justitiæ, & Prothonotarius effectus de numero Participantium, brevi Urbini Pro-Le- A gatus renunciatus est. Variis deindè præfuit Civitatibus Gubernatoris munere decoratus, & præsertim Civitati Firmanæ. A *Clemente X.* inter Clericos Cameræ Apostolicæ relatus est, deindè ad munus adlectus est Præfecti, seu ut dicunt, Commissarii Generalis Pontificiæ Militiæ; demum Auditor Generalis Cameræ Apostolicæ ab *Innocentio XI.* est renunciatus.

Virum hinc tantis optime functum muneribus idem *Innocentius XI.* in hac celebri pro- B motione inter Cardinales retulit, Diaconumque renunciavit *Sancti Eustachii*. Nec multo post eum Æmiliæ de Latere Legatum dixit. In Provincia administranda adeo publicè uti-


litati consuluit, ut vacante Ariminensi Episcopatu, tota Æmiliæ Provincia, quæ illum justissimum experta erat Legatum, vigilantissimum Pastorem habere concupiverit. Hinc omnium votis, & gestiente prorsus eodem *Innocentio XI.*, ipsi Ariminensi Ecclesiæ datus est Antistes.

Nosocomium ampliavit, novisque redditibus auxit. Sodalitates instituit in honorem Sanctorum, & præsertim Deiparæ Virginis. Plures coegit Synodos pro Cleri, & Ecclesiasticæ disciplinæ reformatione. Tria aureorum millia contulit pro ædificio Pontis lignei super flumen Savum, quod 10. milliariis Ravenna distat.

Diaconiam, quam in sui creatione adeptus fuerat, in titulum commutavit Presbyteralem *sub nomine S. Petri in Monte Aureo*. Comitiis adfuit Alexandri VIII., & Innocentii XII., sub quo decessit die 6. Novembris anni 1697. Congregationibus adscriptus erat Propagandæ Fidei, Sacræ Consultationis, & Fabricæ Sancti Petri. Sepultus fuit in Cathedrali Ariminensi, & laudes ejus recensuit in funere *Jo. Matthæus Gentilinus* Archipresbyter Sancti Viti. Liberalitatem in pauperes, quam vivens semper prætulit, in morte etiam testificatus est. Plura enim Legata pia fecit favore pauperum; sacras etiam supellectiles quibusdam reliquit Ecclesiis, pluresque dotes exsolvi jussit honestis nubendis Puellis; pro sepulcrali inscriptione hæc tantum verba jussit apponi.

OSSA DOMINICI MARIÆ
S. R. E. CARDINALIS CVRSII
EPISCOPI ARIMINENSIS
ET OLIM PER SEXENNIVM
ROMANDIOLÆ A LATERE LEGATI
OBIIT VIII. IDVS NOVEMBRIS MDCLXXXXVII.
ÆTATIS SVÆ LXIV.





XXXVIII.

JOANNES FRANCISCUS NIGRONUS Genuensis, Filius *Joannis Baptistæ* Patricii illius Civitatis, & *Placidiæ Gentili*. Fuerat jam Avus ejus Dux Reipublicæ Genuensis, quam etiam supremam dignitatem Frater ejus obtinuit. Ex his amplissimis Genitoribus die natus est 3. Octobris anni 1629., studiisque Litterarum in Patria emensis, in Civitate Perusii Lauream doctoralem adeptus est. Romam indè adveniens sub *Alexandro VII.* Prothonotarius de numero Participantium, & utriusque Signaturæ Referendarius renunciatur. Mox plurium admovetur Civitatum Gubernio.

Exeunte *Clementis IX.* Pontificatu ære suo no-
A bile Clerici Cameræ officium comparavit. Nil ultra vero est assequutus ab ejus Successore *Clemente X.* Donec evecto ad Petri solium *Innocentio XI.* Thesaurarius Generalis renunciatur in locum Cardinalis *Ginnetti*; atque in hac promotione diei 2. Septembris anni 1686. Sacro Purpuratorum Patrum Collegio adscriptus est, & Diaconus est dictus *S. Cæsarei*; die vero 2. Januarii 1696. inter Presbyteros receptus
B titulum obtinuit *Sanctæ Mariæ in Ara Cœli*. Ab ipso *Innocentio XI.* Bononiam mittitur de Latere Legatus. Ardens Justitiæ zelo severitate usus est in novo ejus regimine, adeout Magnates aversos habuerit, Plebem vero pa-

rum obſequentem. Abſoluta hinc Legatione ad Faventinum Epiſcopatum promotus eſt. Romæ Sacellum erigi curavit in honorem Sancti Franciſci in Eccleſia nominis *Jeſu*. Palatium, vineaſque, atque ædificia contermina defuncti Cardinalis *Montalti* pretio comparavit.

Congregationibus adſcriptus erat Propagandæ Fidei, Status Regularium, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Rituum, & Viſitationis Apoſtolicæ. Comitiis adfuit Alexandri VIII., Innocentii XII., & Clementis XI., ſub quo deceſſit die prima Januarii anni 1713. ætatis ſuæ octogeſimi ſecundi.





FVLVIVS EPISCOPVS OSTIENSIS
S.R.E. CARDINALIS ASTALLIVS ROMANVS
SACRI COLLEGIJ DECANVS
CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI.
Obijt die 14 Ianuarij 1721.

Io Batta Gaulli pin — *Ia Blondeau Sculp*

Io Iacobus de Rubeis formis Romæ ad temp Pacis cum Priu S.P.

XXXIX.

FULVIUS ASTALLIUS Romę natus eſt die 29. Julii anni 1655. præclaris Genitoribus, nempè Marchione *Tyberio Aſtallio*, & *Marchioniſſa Victoria Maidalchini*. Omnibus imbutus præceptis Chriſtianæ pietatis, atque eloquentiæ ſtudiis in Seminario Romano, vix adoleſcentiam egreſſus ſub Pontifice affine, & benevolo, ſcilicet *Clemente X.*, inter Præſules Romanæ Curiæ recenſetur. Statimque eximio muneri Clerici Cameræ admovetur, & Præfectus Archivorum dicitur.

Ab *Innocentio* vero *XI.* Commiſſarius, ſive Præfectus Militiæ Pontificiæ eſt renunciatus. Quo in munere adeo claruit Juſtitiæ, atque

A integritatis ardore, ut ipſi *Innocentio XI.* æque acceptus extiterit; atque hinc in ſolemni Cardinalium enunciatione, facta die 2. Septembris anni 1686., inter Diaconos Cardinales relatus eſt *Sancti Georgii ad Velum Aureum*.

Ferè omnes obivit Legationes Status Eccleſiaſtici. Primo enim Urbini de Latere Legatus, ſecundo Ravennæ, ac tertio Ferrariæ eſt renunciatus. Quo acceſſit anno 1698.; & li-
B cet maximâ ornatus eſſet generis nobilitate, ſed rei familiaris anguſtiâ premeretur; incorruptam tamen Juſtitiam adhibuit. Æmiliæ Provinciam à Graſſatoribus viarum afflictam, ac propè oppreſſam, ſumpto de illis ſupplicio,

in priſtinum commercium reſtituit. Charitate Annonæ ſæviente, collectis undique frumentis, eamdem Provinciam levavit. Cervienſes Paludes diu ſtagnantes, foveis extructis, fluidas effecit, aeriſque ſalubritatem reſtituit. Pluraque alia præclara geſſit, ob quæ Ravennæ Civitas, abſoluta Legatione, ſuum in Urbe imploravit patrocinium; ut Romam rediit, Congregationibus, quibus fuerat adſcriptus, aſſiduus fuit. Congregationes verò nactus eſt Sacri Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Rituum, Sancti Officii, Cœremoniarum, Viſitationis Apoſtolicæ, Boni Regiminis, Indicis Librorum prohibitorum, & Sacræ Conſultationis. Ex prima Diaconia gradum fecit ad alteram *S. Mariæ in Coſmedin*; dein ad titulum presbyteralem, poſtremò ad Decanatum aſcendit Sac. Collegii, & Epiſcopatum Oſtienſem obtinuit; Comitiis adſuit Alexandri VIII., Innocentii XII., & Clementis XI., ſub quo deceſſit die 14. Januarii anni 1721., ſepultuſque eſt in Eccleſia de Ara Cœli in Sepulcro Familiæ ſuæ gentilitio.



Eq. Petrus Leo Ghezzius in. et delin *Fran Aquila incid.*

GAS-



XXXX

GASPAR DE CAVALERIIS ex Marchione *Æmilio*, & *Cleria Sannesia* Sannesii Ducis Filia, Romæ natus est die 22. Septembris anni 1648. sub eorumdem disciplina piè, ac liberaliter est institutus. Indè adolevit in Collegio Romano apud Patres Societatis Jesu, studiisque humanioribus sedulo incubuit. Sub *Clemente X.* Præsulum Romanæ Curiæ

A amplexus est institutum, quod celeriter, feliciterque perfecit. Clericus dictus Cameræ Apostolicæ, postea Præfectus, seu Commissarius Generalis Pontificiæ militiæ, aliisque probè muneribus functus est. Hinc ipsius Romani
B Pontificis authoritate pollens, & gratia in hac celebri Cardinalium enunciatione, inter Cardinales & ipse relatus est. Diaconiam obti-

nuit *S. Mariæ in Aquiro*, quam poſtea reliquit, optans alteram *S. Angeli in Foro Piſcium*. Archiepiſcopatum etiam obtinuit Capuanum; atque in eo pluribus editis pietatis monumentis A naturæ conceſſit. Obiit die 17. Auguſti anni 1690. ætatis ſuæ 42. Comitiis adfuit *Alexandri VIII.*, ſepultuſque eſt in Eccleſia *S. Mariæ in Ara-Cœli* abſque ulla inſcriptione.





XXXXI.

JOANNES GUALTERIUS SLUSIUS Patrem habuit *Renatum Slusium* nobilem Leodiensem, Matrem vero pari pollentem nobilitate *Catharinam Gualteriam*. Hinc quum utrique Genitori se debere profiteretur, utriusque retento cognomine *Joannes Gualterius Slusius* est appellatus. Fratrem habuit *Renatum Franciscum*, virum pietate, atque doctrina gravem, qui fuit Canonicus Leodiensis, & Consiliarius Electoris Coloniæ; Græcæ, & Latinæ linguæ peritissimus, aliarumque fere omnium in Europa vigentium. Ex his igitur Genitoribus ortus est *Joannes Gualterius* die 20. Januarii anni 1628. in Oppido *Vege-*

A *sati* in Belgio in finibus Eburonum, quod Oppidum ad Mosam jacet, medium inter Leodium, & Trajectum.

Literarum studiis, quibus natus erat, sedulo incubuit, & Romam adveniens omnigenæ eruditioni impensius operam dedit. Hinc in Urbe disciplinarum altrice, plura adeptus est Ecclesiastica Sacerdotia, variosque honoris gradus est assequutus. Tandem ab

B Apostolicis Diplomatibus renunciatur, quod munus sub nomine Secretarii Brevium famigeratum in Urbe est. Doctrinæ, qua maxime pollebat, justitiam adjunxit, morumque integritatem: ideoque gratissimus Pontifici, ab

eodem inter Cardinales relatus est die 2. Septembris anni 1686., & Diaconia illi commissa est *S. Mariæ de Schala*. Omnibus fere adscriptus Romanis Congregationibus, actuosam egit vitam. Hinc vigiliis, studiisque confectus brevi mortuus est, die nempe 7. Julii anni 1687. sepultusque est in Ecclesia *Sanctæ Mariæ de Anima* cum hoc Elogio.

D. O. M.

IOANNI GVALTERIO SLVSIO
LEODIENSI
S. R. E. DIACONO CARDINALI
ANIMI ATQVE INGENII DOTIBVS
CVMVLATISSIMO
MORIBVS SAPIENTIA
PIETATE PRÆSTANTISSIMO
LARGITATE IN EGENOS

A BENEFICENTIA IN OMNES EFFVSISSIMO
CVIVS DOCTRINÆ INSTRVCTISSIMA
BIBLIOTHECA
PRVDENTIÆ DIFFICILLIMA MVNIA
MERITORVM EMINENTISSIMA DIGNITAS
PENE IMPAR ARGVMENTVM
STVDIVM VERO COMMVNE BONVM
PVRPVRA COMMVNE GAVDIVM
OBITVS COMMVNE DETRIMENTVM EXTITERE
PROPE SVPRA FIDEM ET EXEMPLVM
B VIXIT ANN. LIX. MENSES V. DIES XXIV.
OB. AN. AER. C. MDCLXXXVII. NONIS IVLII
FRATRI AMANTISSIMO
MONVMENTVM P. C.
PETRVS ALOYSIVS SLVSIVS
LIBER BARO DOMINVS DE BIBAIN
HEBIONVAL SERENISSIMO PRINCIPI
ELECTORI COLONIEN.
C PRINCIPI LEODIEN. A CONSILIO






XXXXII.

FRANCISCUS MARIA MEDICES Florentię natus est die 12. Novembris anni 1660. ex *Ferdinando II.* Etruriæ Magno Duce, & *Victoria Roborea*, seu, ut dicunt, *de Ruvere* ultima Urbini Ducum superstite. Similem Regiis natalibus nactus est educationem. Liberali ejus institutioni operam suam contulerunt viri eruditissimi, qui tunc in Florentina Universitate, & in Pisana floruerunt, nempè *Joseph del Papa*, *Jo. Baptista Brocchi*, *Antonius Maria Salvinius*, *Joseph*, & *Benedictus* doctissimi Fratres *Averanii*, *Laurentius Lorenzinius*, *Henricus Norisius* postea Cardinalis, aliique in Literarum Republica celeberrimi. Sapientibus tot illustrium Virorum præceptis abundè respondebat egregius Princeps; ejusque fervens, & velox ingenium, ad omnia facile, paratumque videbatur.

Cosmus III. Etruriæ Magnus Dux Principem hunc Fratrem suum vix adolescentiam egressum Senarum Gubernio præfecit. Omnium votis optatus, exceptusque ea in Urbe est, totiusque Provinciæ, utilitati consuluit. Sed quod ad vitam Ecclesiasticam mores suos composuerat; hinc ditissimo donatus Prioratu Religionis Hierosolymitanæ in Civitate Pisana, & pin-

& pingui Abbatia *Sancti Galgani* in Diœcesi Volaterana, aliisque Etruriæ Sacerdotiis habitum assumpsit Ecclesiasticum, & ab *Innocentio XI.* inter Diaconos Cardinales relatus est in Diaconia *S. Mariæ in Domnica*. Romam adveniens Regali pompa, ut Rubrum Galerum acciperet, nedum Romani Pontificis gratiam adeptus est, sed etiam *Leopoldum* Cæsarem, & *Carolum II.* Hispaniarum Regem fautores invenit. *Innocentius* autem *XI.* Congregationibus illum adscripsit Sacri Concilii Tridentini, Rituum, Sac. Consultationis, & Propagandæ Fidei. *Leopoldus* vero Augustus, eum Imperii Protectorem dixit, quod & similiter præstitit *Carolus II.* pro Regnis Hispaniæ. Hinc maximis ab utroque Monarcha ditatus Ecclesiæ beneficiis, Regioque adjutus Fratris stipendio, facile in Urbe Roma, ob Regium Comitatum, liberalitatem in Pauperes, & Literatorum Patrocinium cæteris anteibat. In Comitiis, quibus adfuit pro novo eligendo Pontifice, non parvum Purpuratorum Patrum numerum semper habuit obsequentem. Adfuit A vero Comitiis *Alexandri VIII.*, *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.*, nec nisi juxta ejus vota istorum Pontificum electio contigit.

Sed Etruriæ infelix conditio aliud arripere vitæ genus coegit Cardinalem Mediceum, & Purpura se abdicare. Prole omninò carebant gemini *Cosmi III.* Filii, ejusque Cardinalis ex dicto Fratre Nepotes; *Ferdinandus* nempè Magnus Etruriæ Princeps connubio junctus B *Violanti Bavaricæ*, & *Joannes Gasto*, *qui Annam Mariam* duxerat, e Ducibus *Saxelavemburgensibus*. Hinc ut Germen suscitaret Mediceum, Nuptiæ illi paratæ sunt *Eleonoræ Gonzagæ* è Ducibus Guastallæ. Cardinalatum dimisit die 19. Junii 1709., eodem verò anno Nuptias celebravit. Infelici tamen eventu, filios enim ei natura negavit, Princeps quippe *Franciscus Maria* grandævus erat ætate, & C corpore obæsus. Obiit die 11. Februarii anni 1711. Florentiæ humatus in Ecclesia *Sancti Laurentii*, & in Regio Majorum suorum sepulcro.





RAYNALDVS S.R.E. DIACONVS CARDINALIS ESTENSIS MVTINENSIS CREATVS DIE II. SEPTEMBRIS MDCLXXXVI.

Dimisit Cardinalatum die 21 Martij 1695.

Jac. Blondeau sculp.

Io Iacob de Rubeis formis Romae ad Temp. Pacis cum Priu. S. Pont.

XXXXIII.

RAINALDUS ESTENSIS Filius *Francisci primi* Ducis Mutinensis, & *Lucretiæ Barbarinæ*, quæ in secundis nuptiis eidem Duci data fuerat, die natus est 25. Junii 1655., atque in florentissima Genitoris Aula liberaliter institutus, egregios in dies progressus, maximamque sui pollicebatur expectationem; ut vero Frater ejus natu major inclitæ stirpi propagandæ destinabatur, sic Ecclesiasticum *Rainaldus* amplexus est institutum. Idcirco *Innocentius* XI., ut magno Estensi nomine Purpuratorum Patrum Collegium decoraret, eum inter Cardinales retulit in Diaconia *S. Mariæ de Schala*. Congregationibus frequens erat, A quibus fuerat adscriptus, nempè Sac. Concilii Tridentini, & Rituum, atque omnia integerrimi Cardinalis officia sedulo exequebatur.

Sed quod prole careret inclita ejus domus, novum aggredi vitæ genus cogitur, & Purpurâ se abdicare. Frater ejus filium quidem susceperat, qui fuit *Franciscus II.* Mutinæ Dux; sed eo in viridi ætate mortuo *Rainaldus*, qui sacros Ordines non attigerat, ad illius Princi- B patus administrationem capessendam, vitamque conjugalem ineundam adigitur. Purpura se abdicavit die 21. Martii anni 1695. Pauloque post egregias celebravit nuptias cum *Carlotta Brunsuicensi* ex Ducibus Hannoveria-

nis

nis, tunc Cognata Romanorum Regis. Plures ex hæc suscepit Filios, vetustissimamque propagavit familiam nec minus Populos sibi subiectos prudenti fortunavit regimine, obiit in prospera senectute die 26. Octobris an. 1737.

Cardinales mortui in Pontificatu Innocentii XI. secundum eorum antianitatem ordine recensentur.

URBANI VIII.

1 Franciscus Barberinus Episc. Ostiensis Sacri Collegii Decanus. Romanus.
2 Uldericus de Carpineo Episc. Portuensis. Urbinas.
3 Julius Gabriellus Episc. Prænestinus. Romanus.
4 Virginius Ursinus Episc. Tusculanus. Romanus.
5 Cæsar Facchinettus Episc. Albanus. Bononiensis.
6 Hieronymus Grimaldus Episc. Sabinus. Januensis.
7 Carolus Rossettus Tit. S. Laurentii in Lucina. Ferrariensis.
8 Nicolaus Ludovisius Tit. SS. Quatuor Coronatorum. Bononiensis.

INNOCENTII X.

9 Laurentius Raggius Tit. S. Petri ad Vincula. Genuensis.
10 Franciscus Paulus Gondi de Retz nuncupatus Tituli S. Honuphrii. Gallus.
11 Aloysius Homodeus Tituli S. Alexii. Mediolanensis.
12 Franciscus Albicius Tituli S. Mariæ in Via. Cæsenas.
13 Carolus Pius Tituli S. Joannis, & Pauli. Ferrariensis.
14 Fridericus de Hassia Tituli S. Agathæ. Germanus.
15 Carolus Barberinus Tituli Sancti Cæsarii. Romanus.
16 Decius Azzolinus Tituli Sancti Eustachii. Firmanus.

ALEXANDRI VII.

17 Hieronymus Bonvisius Tituli S. Hieronymi Illyricorum. Lucensis.
18 Pascalis de Aragonia Tituli S. Balbinæ. Hispanus.
19 Hieronymus Boncompagnus Tit. SS. Petri, & Marcellini Archiepiscopi Bononiæ. Bononiensis.
20 Alphonsus Litta Tituli S. Crucis in Hierusalem Archiep. Mediol. Mediolanensis.
21 Nerius Corsinius Tituli SS. Nerei, & Achillei. Florentinus.
22 Carolus Bonellus Tit. S. Anastasiæ. Romanus.
23 Cælius Piccolomineus Tituli S. Petri in Monte Aureo. Senensis.
24 Carolus Caraffa Tituli S. Praxedis. Neapolitanus.
25 Jacobus Ninus Tit. S. Mariæ de Pace. Senensis.
26 Petrus Vidonus Tituli S. Calisti. Cremonensis.
27 Innicus Caracciolus Tituli S. Clementis Archiepiscopus Neapolis. Neapolitanus.
28 Paulus Sabellus Perettus S. Angeli ad Velum Aureum. Romanus.
29 Sigismundus Chisius Tituli SS. Cosmæ, & Damiani. Senensis.

CLEMENTIS IX.

30 Jacobus Rospigliosius Tituli Sancti Sixti. Pistoriensis.
31 Lazzarus Pallavicinus Tituli S. Mariæ in Aquiro. Januensis.
32 Bonaccursius Bonaccursius Tituli SS. Viti, & Modesti. Maceratensis.

CLEMENTIS X.

33 Camillus de Maximis Tituli S. Bartholomæi in Insula. Romanus.
34 Don Bernardus Gustavus de Baden Tituli S. Susannæ. Germanus.
35 Joannes Everardus Nidardus Tituli Sanctæ Cæciliæ. Hispanus.
36 Felix Rospigliosius Tituli S. Nicolai in Carcere. Pistoriensis.
37 Hieronymus Gastaldus Tituli SS. Jo., & Pauli. Januensis.
38 Petrus Basadonna Tituli S. Mariæ in Domnica. Venetus.
39 Alexander Crescentius Tituli Sanctæ Priscæ. Romanus.
40 Bernardinus Roccius Tituli S. Stephani in Monte Cælio. Romanus.
41 Marius Albericus Tituli S. Mariæ in Via. Neapolitanus.

INNOCENTII XI.

42 Stephanus Brancatius Tituli S. Praxedis. Neapolitanus.
43 Stephanus de Augustinis Tituli S. Joannis ante Portam Latinam. Foroliviensis.
44 Fridericus Vicecomes Tituli S. Alexii. Mediolanensis.
45 Marcus Gallius Tituli Sanctæ Pudentianæ. Novocomensis.
46 Flaminius Taja Tituli S. Mariæ de Pace. Senensis.
47 Joannes Baptista de Luca Tituli S. Sabinæ. Venusinus.
48 Joannes Franciscus Ginettus Tituli S. Nicolai in Carcere. Romanus.
49 Michael Angelus Riccius Tituli S. Eustachii. Romanus.
50 Maximilianus De Kieimburg sine Titulo. Germanus.
51 Horatius Matthæjus Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna. Romanus.
52 Joannes Gualterius Slusius Tituli Sancti Hadriani. Leodiensis.

Nu-

Numismata rariora, quæ in Pontificatu Innocentii XI. cusa sunt.

I.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

INNOCENS MANIBVS ET MVNDO CORDE.

Pontifex vix electus in postica exprimitur, qui Basilicam Vaticanam ingreditur. Qua porrò innocentia claruerit, qua pietate, ac constantiâ Religioni amplificandæ studuerit, ex ejus morum severitate, atque ex toto ejus vitæ genere recensui pag. 103., atque alibi passim.

II.

INNOCENTIVS XI. ODESCALCVS PONT. M.

Eadem prorsus postica in exergo 1676. eadem *Innocentii* moribus, & naturâ perfecta virtus exprimitur.

III.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

OMNIVM PATER OMNIVM VOTIS DATVS AN. DOMINI MDCLXXVI.

Innocentius renunciatus est Summus Pontifex die 21. Septembris anni 1676. S. Matthæo Sacro. Eo ipso die insignem Poloni in Turcas victoriam retulerunt pag. 105. lit. C.

IV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A. I.

SECVRITAS POPVLI ROMANI.

Vetus hoc Emblema aliis etiam Pontificibus commune, Innocentii perenne studium significat, quo benè gerendæ Reipublicæ incubuit. Ejus enim parsimonia multum æris alieni exolvit, quo Camera Apostolica premebatur; nonnulla vectigalia remisit populo incumbentia, & in maxima temporum (D) calamitate, ut Annona convalesceret, effecit. Hæc, & similia, quæ *Innocentius* edidit in commune bonum, dixi in ejus vita pag. 108. lit. C.

V.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. AN. I.

SALVA NOS DOMINE.

Maximis angebatur periculis Christiana Respublica, quum *Innocentius* ad Apostolatum pervenit. Immani inter se bello Christiani Principes dissidebant. Altera verò ex parte (E) Turcæ Hungariam ferè universam suo adjecerant imperio, & Austriæ minitabantur; ut dixi pag. 108. Hinc quum postica pars Christum exhibeat super aquas maris incedentem, & S. Petro penè merso manum porrigentem, fiduciam *Innocentii* significat, quâ divinum invocat præsidium.

VI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA. (F)

Quanto animi impetu sanciendæ paci inter Christianos Principes incubuerit *Innocentius* dixi pag. 108. Tantumque adlaboravit, ut tandem ipsi is optatæ pacis consilii injecerit.

(A) Patriarcham Ludovicum Bevilacqua Noviomagum in Geldria allegavit, ibique anno 1677. inita pax fuit, licet sequenti anno 1678. fuerit evulgata.

VII.

INNOCENTIVS XI. PON. MAX. A. I. MDCLXXVI.

EADEM FERE POSTICA.

VIII.

INNOC. XI. PONT. MAX.

FECIT PACEM SVPER TERRAM MDCLXXIX.

Ad eamdem *Noviomagi* sancitam pacem refer- (B) tur Numisma.

IX.

INNOCENTIVS XI. PONT. M. A. II.

AVDITE VOCES SVPPLICVM.

In maximis Ecclesiæ calamitatibus S. Apostolos, Petrum, & Paulum Pontifex invocare non destitit. Quibus vero calamitatibus Christiana Respublica fuerit exagitata in hoc difficili Pontificatu, satis constat ex universa illius descriptione.

X.

(C) INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

Postica pars sex Genios in aere exhibet, qui pateras Odescalchæ Familiæ Insignia gestant, & triplicem Regnum, & Claves Pontificiæ dignitatis ornamentum.

XI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A. III.

VNDE PATET.

Quum postica pars mulierem coronatam exhibeat manum lanci libræ admoventem, ad incorruptam *Innocentii* justitiam Numisma refertur.

XII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A. III.

NON DEFICIET FIDES TVA MDCLXXIX.

Variis exagitatam vicissitudinibus Ecclesiam Dei vidimus per hosce annos; has Innocentius firmo, ac constanti pectore semper sustinuit, atque in iis infixam animo Religionem magis patefecit.

XIII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A. III.

IN SÆCVLVM STABIT.

Easdem Ecclesiæ calamitates Numisma refert; eamdem Pontificis fidem, æternamque Ecclesiæ firmitatem significat.

XIV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A. V.

IN CÆLO SEMPER ASSISTITVR.

Sanctus Michael Arcangelus conterens Dæmones, ut in postica conspicitur, solitam in rebus adversis Pontificis fiduciam, animique magnitudinem designare videtur. Nec ad Vindobonam à Turcis obsessam, ut aliqui putarunt, referri potest, quum Vindobonæ obsidio nonnisi quam anno 1683. contigerit; At vero hoc Numisma anno

Pontificis V., scilicet anno 1680. percussum fuit.

XV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A.V.

Eadem postica, parumque antica pars differt à præcedenti.

XVI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A.V.

EGO SVM PASTOR BONVS.

Quum, Christum postica pars exprimat ovibus quacumque circumdatum, oviculamque repertam humeris gestantem suis; Pastoralem ejus sollicitudinem significat, qua in remotissimas orbis partes lumen Catholicæ veritatis invexit. Strenuos idcirco operarios in vinea Domini etiam ad Schismaticos Orientales misit, pluresque Schismatici Episcopi sequentibus annis *ex Tyro, ex Chaldea*, & usque ad Mare *Caspium* Catholicam Fidem amplexi sunt, & obedientiam Romano Pontifici exhibuerunt, ut dixi pag. 117. litt.D.

XVII.

INNOCENTIVS XI. PONT. M. A. VI.

VNA SVPER VNVM.

Mulier relata crucem gerens, alterâque manu claves tenens, & templo adhærens, ut in postica apparet, unitatem Fidei significat. Plures in Gallia, alibique errores exorti Christianam exagitarunt Rempublicam. Falsa *Probabilismi* opinio, falsa *Casuistarum* sententia, aliique, qui nuper irrepserant errores, ab Innocentio damnati sunt, ut in ejus vita pag. 109. & seqq.

XVIII.

INNOCENTIVS XI. PONT. M. A. VIII.

IN SÆCVLVM STABIT.

Mulier Religionem repræsentans eamdem Fidei unitatem, & firmitatem significat, eamdemque Pontificis constantiam in corrigendis erroribus adversus eam prodeuntibus.

XIX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

INNOCENTIVS XI. ODESCALCVS PONT. MAX.

Postica pateram exhibet, quæ Pontificii stemmatis pars est. In medio OPTIMO PRINCIPI ANNO VIII., quo olim titulo Titum, & Trajanum Roma decoravit. Superius Crux, inferius Leo, altera ejusdem stemmatis pars vividam Innocentii Religionem, ejusque in Republica administranda providentiam designant.

XX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

DE CÆLO PROSPEXIT.

Justitia sub mulieris facie in postica parte expressa invictum animi robur significat, quo Pontifex Justitiæ undequaque prospexit, ut passim in ejus vita recensetur.

XXI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

EXEMPLVM DEDI VOBIS

Ad Christi redemptoris exemplum lotionem pedum peregrinorum significat.

XXII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. A VIII.

TV DOMINVS ET MAGISTER.

Christus duodecim Apostolorum pedes lavans, ipsum Pontificis pium ritum significat. Plura his similia numismata cusa sunt sequentibus annis, quæ omittenda puto, quia iisdem signis, eademque prorsus epigraphe notata sunt.

XXIII.

INNOCENTI: XI. PONT. MAX.

DEXTERA TVA DOMINE PERCVSSIT INIMICVM. MDCLXXXIII.

Hoc anno, ab immani Turcarum obsidione Vienna in Austria soluta est. Spolia de iis opima relata sunt. Turcæ iterùm ad *Barkam* cæsi, strigonium captum, ut dixi pag.116. Lætitia incredibili Orbem Christianum affecerunt. Vexillum barbaris ereptum, & Romam Pontifici allatum in Basilicà Vaticana suspensum fuit.

XXIV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

SVB TVVM PRÆSIDIVM. In exergo = TVRCIS AD BARKAN CÆSIS A JOANNE III. POL. REGE AN. MDCLXXXIV.

Turcas Octobris mense anno 1683. propè *BarKam* profligatos clarius in hoc numismate intelligimus. Alterum Vexillum Barbaris ereptum, & sibi Romam allatum *Innocentius* ad ædem Lauretanæ Virginis misit anno 1684.

XXV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. AN. VIII.

In extrema nummi parte, qua superficies & crassitudo apparet, altera legitur inscriptio = AD MAIOREM DEI GLORIAM, & ECCLESIÆ SVÆ INCREMENTVM =

Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi in media ora = ANNO DOMINI MDCLXXIV. Postica aram exhibet, in qua Tiara Pontificia, Corona Imperialis, Corona item Poloni Regis, & Cornu Ducum Venetiarum. Quadruplex fædus designat a Pontifice percussum cum Cæsare, cum Joanne III. Sarmatiæ Rege, & cum *Marco Antonio Justiniano* Venetorum Duce. Ex quo fædere in Turcas inito, plura, & maxima Christiano nomini compendia obvenerunt; ut dixi pag.116. litt.C.

XXVI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. AN. VIII.

Eadem postica adidem fædus refertur in Turcas sancitum.

XXVII.

INNOCENTIVS XI. PONT. LEOP. I. IMP. IOAN.III. REX. PO. M. A IUS. VE. DUX.

Antica quatuor istorum Principum fæderatorum effiges exhibet.

VNIVIT PALMAMQVE DEDIT.

Ut supra.

XXVIII.

INNOCENT. XI. PONT. MAX.

A

CONFORTAMINI, ET DISSOLVANTVR MANVS VESTRÆ.

Leo alatus cum aquila bicipiti ad idem fœdus refertur.

XXIX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

Eadem postica, idem fœdus designat.

XXX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX,

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI BVDA MDCLXXXIV.

B

Ad Budæ obsidionem referri videtur numisma; non vero ad ejusdem Civitatis expugnationem, quæ contigit anno 1686. ut dixi pag. 121. lit. F.

XXXI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. AN. IX.

DOMINVM FORMIDABVNT ADVERSARII EIVS.

C

Novæ Orbi Christiano ex memorato quadruplici fœdere victoriæ obvenerunt hoc anno 1684. Veneti Leucatam expugnarunt, Nicopolim, totamque Peloponnesum suo adiecerunt imperio, ut dictum est pag. 116. litt. D,

XXXII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

VICIT EO DE TRIBV IVDA

Ad easdem Reipublicæ Christianæ victorias numisma refertur.

XXXIII.

INNOC. XI. PONT. MAX. AN. X.

NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT

D

Postica mulierem habet duobus pueris lac præbentem. Ex ea Pontificis charitas exprimitur, qua pauperibus semper præsto fuit, & annona ingravescente advecto undique frumento populorum egestati consuluit; Urbem Beneventanam horribili terremotu concussam, atque Æmiliæ provinciam pæne universam simili agitatam periculo juvit providentiâ, & liberalitate singulari. Praterea Xenodochium S. Gallæ ditavit, quod postea *Livius* ejusdem Pontificis fratris filius ampliavit, absolvit, & alia similiter Xenodochia aperuit, ut dixi pag. 121. litt. D.

E

XXXIV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

ECCE HÆREDITAS DOMINI

Mulier quatuor pueris circumdata, ut in postica apparet, Charitatem, & solita pietatis specimina exhibet, quæ in pauperes *Innocentius* munifice protulit.

XXXV.

INNO. XI. PONT. M. A. XI.

IN PERPETVVM CORONATA TRIVMPHAT.

F

Crux spicis coronata, quæ in postica conspicitur ad victorias in Turcas relatas alludit, ut supra.

XXXVI.

INNOCEN. XI. PONT. MAX. A. XII.

SPERENT IN TE QVI NOVERVNT NOMEN TVVM.

Fiduciam significat, quâ Pontifex in difficillimis temporibus divinum invocabat præsidium.

XXXVII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX.

ET DEBELLARE SVPERBOS.

Postica mulierem habet genuflexam, atque in Crucem respicientem, & libros aliquot admota face comburentem, alteramque mulierem prostratam genu prementem. Idque hæresim profligatam designat; *Michael Molinos* Hispanus presbyter anno 1687. Romæ in Templo S. Mariæ supra Minervam author impiissimæ *Quietistarum* Sectæ damnatus fuit; & *Antonius Maria de Leonibus* ex Comensi Diœcesi simili labe infectus, simili etiam decreto Quæsitorum Fidei à Pontifice mulctatus fuit, ut retuli pag. 117. & 118.

XXXVIII.

INNOCEN. XI. PONT. MAXIMVS.

CLAVES REGNI CÆLORVM.

Christus S. Petro claves præbens Pontificiam potestatem designat.

XXXIX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

DIVINÆ NVNCIA MENTIS.

Inter cælestia signa Aquilam, Leonem, & Pateram Astronomii referunt. Hinc Pontificium stemma postica exhibet, in qua Zodiacus apparet cum *Aquila*, *Leone*, *&* *Patera*, & circum stellæ.

XL.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

SALVATOR MVNDI.

Christi effigies in postica expressa Pontificis pietatem significat.

XLI.

INNOC. XI. PONT. MAX.

CASTRO NOVO EXPVGNATO MDCLXXXVII.

Veneti hoc anno *Castrum novum* in Dalmatia in suam ditionem redegerunt.

XLII.

INNOCEN. XI. PONT. MAX.

INNOCENTIVS XI. ODESCALCHVS PONT. MAX.

In medio = *Munificentiæ tuæ in obsidione Turcarum tribuenda victoria anno* VIII. ad eamdem *Castri novi* expugnationem referri videtur Numisma.

XLIII.

INNOC. XI. PONT. M. A. XIII.

FORTITVDO MEA DOMINE.

Quæ mala, quas ærumnas firmo, ac constanti pectore sustinuerit Innocentius in toto ejus Pontificatu superius recensui. Cum de Regaliarum jure differuit, item, & de jure Asylorum, ob quæ molesta Comitis de *Lavardino* Legatio contigit, quatuor injustas propositiones à Clero Gallicano anno 1682. evulgatas damnavit. Veneti præterea hoc eodem anno 1688. infelici exitu cum Turcis pugnarunt. *Jacobus II.* Angliæ Rex à suis rebellibus oppressus, & ex Anglia pulsus, in Galliam secedere coactus est, atque alia his similia infaustè contigerunt.

XLIV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

VENITE ET VIDETE OPERA DOMINI 1688.

Sacerdos quidam è Societate Jesu qui tres Legatos Tunckinenses coram Pontifice deducit, ut in postica apparet; *Innocentium* lætitiâ gestientem significat, quod Regis *Siami* in Sanctam Sedem reverentiam intelligat. Propterea literis receptis *Siamensis* Regis, iisdemque Legatis honorificè exceptis, postquam eos diu aluerat sumptibus Cameræ Apostolicæ, & Congregationis de Propaganda Fide, eos tandem sacris, divitibusque muneribus decoratos dimisit.

XLV.

INNOCEN. XI. PONT. MAX.

VENITE ET VIDETE OPERA DOMINI.

Eadem ferè postica eamdem prorsus Tunckinensem Legationem designat.

XLVI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

DONINE TV SCIS QVIA AMO TE

S. Petrus genibus flexis in Christum respiciens, ut in postica apparet, eximiam in Deum *Innocentii* pietatem significat.

XLVII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

HIC VERBVM CARO FACTVM EST

Beatam Lauretanæ Virginis ædem postica exhibens, singularem Pontificis in Deiparam pietatem designat.

XLVIII.

INNOCENTIVS XI. ODESCHALCVS PONT.

SANCTA MARIA LAVRETANA

Idem ut supra

XLIX.

INNOCENTIVS XI. ODESCALCVS PONT. MAX.

DOMVS B. M. V. LAVRETANÆ

Idem ut supra

L.

INNOCENTIVS XI. P. M.

FELIX CIVITAS LAVR.

Ut supra

LI.

INNOCENTIVS XI. P. M.

MATER IESV CHRISTI

Infixam animo Religionem percolens Innocentius, Beatam Virginem amore præcipuo semper est prosequutus.

LII.

INNOCENTIVS XI. P. M.

MATER SALVATORIS ORA PRO NOBIS.

LIII.

INNOCENTIVS XI. P. M.

QVI ME INVENIT INVENIET VITAM.

A Effigiem Beatæ Virginis postica repræsentans, idem ut supra significare videtur.

LIV.

INNOCENTIVS XI. P. M.

SVB TVVM PRÆSIDIVM

Ut supra

LV.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

S. PETRVS APOSTOLVS

LVI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

B B. AMADEVS DVX SABAVDIÆ III.

A privato quopiam B. Amadei cultore hoc numisma percussum fuisse putant eruditi.

LVII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

S. PETRVS CÆLESTINVS.

Inter privatæ autoritatis Numismata hoc pariter amandandum videtur.

LVIII.

INNOCEN. XI PONT. MAX.

r. SI VIS POTES.

C Postica Leprosum exhibens genuflexum ante Jesum solitam Pontificis in Deum spem designat.

LIX.

INNOCEN. XI. PONT. MAX.

VIDETE DOLOR: MEV:

Privatâ pariter authoritate cusum Numisma apparet.

LX.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

SANGVINEM PRINCIPUM TERRÆ BIBETIS

D Inter privata authoritate percussa Numismata, hoc quoque recensetur.

LXI.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

GRATIA DEI OMNE BONVM MDCLXXXXI.

Die 12. Augusti 1689. Naturæ concessit *Innocentius*. Quare quum annum 1691. Numisma referat, privato alicujus studio post ejus mortem percussum fuit.

LXII.

INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

E FECIT ENIM MIRABILIA IN VITA SVA

Hoc pariter Numisma post Innocentii mortem cusum, grandem de eo opinionem significat; etenim post ejus mortem populus ad Quirinale Palatium festinans, & postea ad Vaticanam Basilicam, ad quam cadaver ejus translatum fuerat, indiscreta pietate vestimenta sibi divisit ferè usque ad nuditatem, ut dixi pag. 122.




ALEXANDER VIII OTTHOBONVS
VENETVS PONTIFEX MAXIMVS
Creatus die VI Octobris et Coronatus XVI ðᶜ MDCLXXXIX.
Obyt die Prima Februarij MDCLXXXXI.
Domenic de Rubeis Her Io Iacobi de Rubeis Formis Romæ ad Templ S. M. de Pace cum Priu S. Pont.



ALEXANDER VIII.
PONTIFEX CCXXXV.

ANNO DOMINI 1689. LEOPOLDO I. IMPERATORE

Funebria Innoc. XI. peracta.



POSTQUAM *Innocentius Undecimus* die 12. Augusti anni 1689. naturæ concessit, ejusque Cadaver triduo de more in S. Petri Basilica patuit expositum; funebria ritu solito peracta sunt. Laudes ejus recensuit *Emmanuel Schelestrat* Custos Bibliothecæ Vaticanæ; oratio verò pro novo eligendo Pontifice habita fuit ab Abbate *Ludovico Sergardio*.

Conclave Alexand. VIII

Die 23. ejusdem mensis Augusti Re Sacra per Cardinalem *Bichium* solemniter confecta ad implorandum Spiritus Sancti præsidium, Cardinales (quorum nomina inferius referentur) Vaticanum Conclave ingressi sunt. Primoque ipso Comitiorum momento, Purpuratorum Patrum suffragia, & voluntates in *Petrum* Cardinalem *Ottobonum* præ cæteris incumbebant. Aliorum tamen merita exquirenda erant, atque alea tentanda. Cunctandum quoque erat, temporique inserviendum, ut commodè pateret accessus pluribus Cardinalibus, qui ex Gallia, & ex Germania adveniebant. Interea temporis inutili experimento ad Apostolatum evehere curarunt nonnulli *Gregorium Cardinalem Barbadicum* virum egregium, & vitæ sanctimonia præclarum; item, & *Angelum* Cardinalem *Ranutium* simili vitæ austeritate, & scientia commendatum; sed iste in Civitate Fanensi, cui præerat

A Episcopus intempestiva morte interiit die 27. Septembris hujus anni 1689., dum Romam properabat, Comitiisque futuræ electionis adesse curabat. Sed jam qui è longinquo expectabantur, Cardinales advenerant. Præsertim verò tres Galliæ Purpurati; nempè *Bullionæus*, *Bonsius*, & *de Fustemberg*. Impensius hinc, ac serio agi cœptum est de novo eligendo Pontifice. Iterum unanimi ferè omnium consensione *Petrus Ottobonus* evocabatur. Probata omnibus erat, satisque perspe-

Adventus [illegible] Cardinalium exterorum.

Electio Petri Cardinalis Ottoboni in novum Pontificem.

B cta ejus in rebus agendis prudentia, & singularis doctrina, & morum gravitas, atque in ætate octogenaria solers consilium. Faustissimis auspiciis, brevique temporis intervallo optatum ad finem res est perducta. Concorditer, atque una voce die 5. Octobris novus Papa conclamatus est. Hinc die 6. ejusdem mensis initis ritè suffragiis Summus Pontifex renunciatur nemine inter quinquaginta duos Patres dissentiente. Ipse verò nomen assumpsit Alexandri VIII. in memoriam Alexandri

Qui sibi nomen assumpsit Alex. VIII.

C Tertii, carum Venetæ Reipublicæ nomen, & Alexandri VII., cujus fuit admirator eximius.

Origo Familiæ Othoboniæ.

Familia Ottobonia, vel ex Florentiæ Civitate (*a*) ut plures asserunt, trahat originem, vel ut aliis placet ex Dalmatia, aut ex Eubœa à Venetis subacta cum primoribus illarum Regionum Familiis, Venetias appulerit. Hoc certò asserendum est, quod pluribus ab hinc sæculis inter Cives originarios illius Reipublicæ, qui primum post Patricios in rerum ad-

D ministratione locum tenent, eadem Familia re-

(*a*) Addeu. ad Platinam in Vita Alexandri VIII. Palatius in vita hujus Pontif.

recensetur. Hinc plures enumerantur egregii viri, qui strenuè pro Patria dimicarunt, & præsertim tres prudentia, & ingenio præstantes, qui munus Cancellarii, magni, eximium quidem, in illa Republica maxima cum laude obiverunt, nempè *Joannes Franciscus*, *Leonardus*, *&* *Marcus*.

Nativitas & educatio Petri Cardinalis Ottoboni.

Ex hoc Marco, qui jam inter Patricios Venetos cooptatus fuerat, & ex *Victoria Torniello* clarissimi sanguinis Matrona ortum duxit *Petrus Vitus Ottobonus* die 22. Aprilis an. 1610. Ab istis Genitoribus pietatem, & Religionem hausit avitam, deindè in Universitate Patavina Musas omnes percoluit, aliisque studiis sollicitè incubuit. Eximios præ cæteris nactus est præceptores *Fortunium Licetum* præstantem Philosophum, & *Bartholomæum de Vecchis* insignem illius Universitatis Jurisprudentem, ibique Lauream doctoralem adeptus est anno 1627.

Ejus fortuna in Urbe Roma.

Anno 1630., qui erat ejus vigesimus, sollicitum ad Jurisprudentiam animum intendens, Romam venit, & sub *Joanne Baptista Coccino* Veneto, & in Rota Romana XII. viro eximio, ut ex ejus Decisionibus luculenter apparet, usum Romanæ Curiæ percoluit. Sub *Urbano VIII.* pingui prius donatus Abbatia, deindè inter Referendarios relatus utriusque Signaturæ, plurium ditionis Ecclesiasticæ Civitatum adlectus fuit Gubernator; nempè Interamnæ, Reatis, & Spoleti. In hac ultima Civitate non sine laude, nec sine Pontificis utilitate dissidia composuit, quæ cum aliquibus Regni Neapolitani Urbibus irrepserant de finibus decernendis.

Munera ab ipso gesta.

Idem *Urbanus VIII.* *Petri Ottoboni* expertus fidem, morumque integritatem, eum vacanti Episcopatui Torcelli in Statu Veneto præfecit. Mira effulsit novi Episcopi Religio, & vigilantia in sedula suæ Diœcesis administratione.

Anno autem 1642. evecto ad Episcopatum Patavinum *Georgio Cornelio* Patricio Veneto, qui pluribus annis ejusdem Rotæ Romanæ Auditor extiterat; Ottobonus, qui à Veneto Senatu nominationem obtinuerat, ipsius *Urbani* beneficio in hoc eximio Magistratu sufficitur. Quatuordecim annis laudabiliter gessit hoc genus Officii, ut ejus quoque Decisiones Typis editæ palam ostendunt.

Innocentius X. die 19. Februarii anni 1652. eum inter Presbyteros Cardinales retulit sub *titulo S. Salvatoris in Lauro*, quem postea immutavit in alterum *Divi Marci*, atque indè ad Episcopatum ascendit Portuensem. Anno 1654. ab eodem Pontifice vacantem Brixiensem Episcopatum adeptus est, quem postea resignavit Abbas factus Vangadiciensis ab *Alexandro VII.*, qui illius reditum ad Urbem maximè acceptum habuit, ejusque consilio frequens utebatur; pluribus insuper illum adiecit Congregationibus, nempè S. Concilii Tridentini Interpretum, Episcoporum, & Regularium, Indulgentiarum, & Reliquiarum, Visitationis Apostolicæ, Consistorialis, & præsertim S. Officii in singulare argumentum æstimationis, qua ab omnibus Pontificibus probatus fuit. Quatuor Pontificum adfuit creationi, nempè Alexandri VII., Clementis IX., & X., & Innocentii XI. In Pontificatu ipsius *Clementis IX.* Datarii munus laudabiliter implevit.

Initia sui Pontificatus.

Tandem mortuo Innocentio XI. post interregnum unius mensis, & dierum XXV. ipse ad Apostolatum evectus est, nemine ex Cardinalibus dissentiente, qui duo supra quinquaginta convenerant.

Ad regimen Apostolatus conversus, Literis sua manu exaratis Principes omnes Catholicos, certiores fecit de sua electione.

Ejus amor erga Venetam Rempublicam Patriam suam.

Reipublicæ itidem Venetæ dilectæ Patriæ suæ literas misit sua quoque manu conscriptas, magis eximium sui amorem comprobantes, easque dedit *Joanni Lando* tunc Veneto Oratori ad ejus pedes advoluto, & lætitia, & quasi lacrymis gestienti. Quin etiam illi renunciavit, se Nuncium Apostolicum designasse Patriæ non ingratum, atque Indultum Decimarum decrevisse favore Reipublicæ, ut bellum fovere posset, quod adversus Turcas tamdiù exardebat. Duo etiam millia Peditum conscripta ære Pontificio, usque ad Littora, ubi ad navim conscenderent, misit Reipublicæ, ut Insulam Euboicam ab Imperio Barbarorum vindicaret.

Honores eidem decreti ab ipsa Veneta Republica.

Hæc cum Venetus Senatus accepisset, publico consilio tribus sequentibus diebus festivos ignes tota in Urbe decrevit; Legationem insuper adornavit honorificam sex Oratoribus instructam ex Optimatibus Reipublicæ, qui fuerunt *Antonius Grimanus*, *Angelus Maurocenus*, *Silvester Valerius*, *Fridericus Marcellus*, *Sebastianus Foscarenus*, *&* *ipse Joannes Landus*, qui Romæ degebat. Antonius verò *Ottobonus* Papæ Nepos Procurator Divi Marci effectus fuit.

Rex Galliarum restituit Sanctæ Sedi Urbem Avenionensem, & Ducatum Venaissinum.

Dissidia, quæ inter Romanam Sedem ac Regem Christianissimum exarserant circa Oratorum immunitates, & de Jure Asylorum, statim quieverunt. Ducatum Venaissinum, Urbemque Avenionensem, quos Galli vivente Innocentio XI. interceperant, *Ludovicus* Galliarum Rex Romano restituit Pontifici. Nobili enim contentione utrimque de ineunda pace certabatur. Non ita tamen Pontifex prætereunda duxit ea vulnera, quæ anno 1682. authoritati Sedis Apostolicæ per Clerum Gallicanum putabat inflicta. Vestigiis inhærens sui Antecessoris, abolevit, irritasque dixit quatuor illas propositiones, quas eodem anno 1682. Clerus Gallicanus Parisiis congregatus vulgaverat, quasque recitavimus in vita *Innocentii XI.* Nec satis esse putans, quod idem *Innocentius* eas aboleverit in Brevi, quod ad eosdem Gallicos Episcopos rescripserat; solemnem de hoc evulgavit Constitutionem quæ incipit = *Inter multiplices* =: quæque in Bullario recensetur, ut Orbis Catholicus uni-

Alexander VIII. Bullam evulgat contra Propositiones Cleri Gallicani anni 1682.

ver-

versus addisceret, quo studio amplificandæ Ecclesiæ immunitati, vindicandisque juribus Sanctæ Sedis incumberet.

Provisiones ab Alex. VIII. captę ne Pestis invaderet Ditionem Pontificiā.

Indè ad regimen temporale animum intendens, ne pestilentia, quæ in finibus Regni Neapolitani grassabatur, terras ditionis Ecclesiasticæ attingeret, duos ex Præsulum Ordine elegit, quos Commissarios vocant, qui diligentia incredibili, militibusque aptè dispositis oras Status Pontificii servarunt. Electi autem fuerunt duo Veneti Patricii, nempè *Georgius Cornelius*, *& Franciscus Trivisanus*. Plura providit, edictisque publicis sanxit, ut rem agrariam restitueret, & culturam camporum propagaret, magna in egestate Annonam levavit, advecto ad Ripam Tyberis undique frumento. Hanc *Petro Ottobonio* Pronepoti suo Provinciam delegaverat. Vectigal tritici Civibus Romanis imminuit; julium scilicet in singulos frumenti modios, qui molirentur: sic etiam vectigal carnis sustulit, nempè (*a*) quadrantem unum pro qualibet libra carnis. Ætate, laboribusque confectus, ipse tamen ferè cuncta peragebat; Secretarium vero Status sibi adsciverat *Jo. Baptistam Rubini* Episcopum Vincentinum, & sibi sanguine conjunctum.

Aliaque gerit in publicam utilitatem.

Petrum Otthobonum Pronepotem suum creat Cardinalem.

Ipsum vero *Petrum Otthobonum* filium *Antonii*, ejusque Pronepotem omni beneficentiæ genere cumulavit. Die namque 7. Novembris anni 1689. ætatis suæ 22. Eum Cardinalem dixit titulo *Sancti Laurentii in Damaso*, & vice Cancellarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Præpositum generalem Statui Pontificio. Sacerdotia insuper ferè omnia ei contulit, quæ *Innocentius XI.* vacantia reliquerat, quæque annuum 50. millium nummorum redditum excedebant. Paucis indè exactis mensibus, die nempè 13. Februarii anni 1690. aliam indixit promotionem undecim illustrium virorum, quos suo ordine referemus. Demum duos alios adjecit Cardinales die 13. Novembris anni 1690., ut quatuordecim omnino Purpuratos Patres in Sacrum Senatum intulerit. Egregias insuper paravit nuptias *Marco Ottobonio* alteri Pronepoti suo, cui *Tarquiniam* ex insigni Columnensium sanguine copulavit. Eodemque procurante Pontifice *Cornelia Zena*, & ipsa Papæ Proneptis *nupsit Urbano Barberino* Principi Prænestino. Prænobilem etiam instruxit Bibliothecam eidem *Petro* Cardinali, & Codices manuscriptos magno pretio acquisivit, quos *Christina* olim *Svecorum Regina* moriens reliquerat. Hos vero Codices pluteis ad id aptè dispositis in Bibliothecam Vaticanam invexit.

Omnique Beneficentia illum, & Domum suam prosequitur.

Ejus zelus pro Catholica Religione.

Ut puritas Catholicæ Fidei intacta coleretur maximè studuit. Hinc in eos omnes, quos moribus, & Religione suspectos habuit, etiamsi in dignitate constitutos, Decreto Congregationis S. Officii severè animadvertit. Eos vel A vinculis, vel exilio, vel juxta delicti genus aliis pœnis coercuit.

Auxilia Venetæ Reipublicæ Collata pro Bello adversus Turcas.

Suppetias, ut Venetæ promiserat Reipublicæ, confestim tulit. Duo peditum millia, quos conscripserat, abire jussit, & quinque triremes Pontificias instructas, atque ornatissimas immisit, duasque auxit, quas à Genuensibus pretio conduxerat, aliasque naves partim bellicas, partim onerarias, nec non triremes Melitenses; & Magnum Etruriæ Ducem, ut quoque suas adjungeret, excitavit. B *Antonium* vero Otthobonium ex Fratre Nepotem suum, Generalem dixit S. R. E., & *Marcum* ejusdem Antonii Filium Præfectum maris effecit; atque ut Venetam Patriam suam honoribus magis afficeret *Francisco Mauroceno* Duci Reipublicæ Galeam, & ensem misit strenuis Imperatoribus dari solitum, qui pro Fide Catholica decertaverint. Hoc officio functus fuit *Michael Angelus de Comitibus* domicellus Romanus tunc Papæ Cubicularius; atque is est, qui per varios honoris gradus optimè gestos ad summum Apostolatus Apicem C pervenit sub nomine *Innocentii XIII.* Demum in solemni Canonizatione Sanctorum, quam habuit quinque Beatorum; *Laurentium Justiniani* inclusit primum Venetæ Reipublicæ Patriarcam. Cæteri verò ab ipso inter Sanctos relati, fuerunt *Joannes de Deo*, *Joannes de Capistrano*, *Joannes à Sancto Facundo*, *& Paschalis de Baylon*, qui & miraculis, & claris virtutum meritis jam coruscabant, fideliumque pietate colebantur.

Varios servos Dei inter Sanctos refert.

D Tot honoribus Veneta aucta Respublica, tantisque excitata auxiliis, bellum in Turcas acrius est prosequuta. Epidaurum, quem hodie *Malvasiam* vocant Maritimam Peloponnesi Urbem strenuus Dux *Hieronymus Cornelius* obsidione cinxerat. Anno nuper elapso tentata incassum res fuerat. Hoc vero anno 1690. licet valido militum præsidio Barbari arcem firmassent; tamen egregius Dux constituta Acie ad Urbem Castra admovit, & ab eo intermissa obsidio non fuit, donec die 10. Augusti E Civitatem expugnavit, omnemque Peloponnesi Peninsulam Veneto adjecit Imperio.

Quæ Veneti in Bello Turcico gesserint.

Epidaurum expugnat.

Epidauri sortem simili excepit fato *Aulon*, quæ hodiè *Vallona* nuncupatur, eratque in *Epiro* tutissimum Barbarorum Propugnaculum. Invictus Belli ductor *Cornelius* brevi *Urbem* expugnat, diviteque præda, & magno tormentorum bellicorum numero potitur; sed has victorias dirus funestavit eventus. Repentina mors *Hieronymi Cornelii* tot rerum F præclarè gestarum auctoris dolore affecit Venetam Rempublicam, ipsumque exercitum magna felicitate gestientem. *Dyrrachium* in eadem Epiri Provincia fortissimam Arcem dum adoriri moliebatur, dumque actu Castra movebat, mortali correptus febre vix Aulonem se

Item, & Aulonem.

Moritur Hieronymus Cornelius.

(*a*) Ex P. Bonanni Soc. Jes. in oper. numismat. Pontific. Palat. in Vit. Alex. VIII. Adden. ad Platin. in vita hujus Pontificis.

se recepit, omnibus desideratus occubuit.

Quæ Cæsar reslecit in Hungaria & Croatia, Canissam expugnat.

Cæsariani milites vario etiam marte pugnarunt hoc anno in Hungaria, & Liburnia (*a*). *Canissa*, quam *Portam ferream* dicunt, verè ferrea Hungariæ Civitas, laxiori obsidione diù circumvallata, fame magis, quam ferro victa, in Augusti Cæsaris potestatem se dedit. *Veteranius* Austriaci exercitus ductor egregius, pluries bello fregerat Comitem *Thechelium*, qui jamdiu à fide Cæsaris defecerat, quique magnam Hungariæ, & Transilvaniæ partem ad defectionem incitaverat; sed alia ex parte innumeræ Turcarum copiæ, & *Chiuperlius* Barbarorum Imperator, *Nissam* Hungariæ Arcem munitissimam hostili aggressione, ac belli impetu invaserat, eamque non sine magna suorum cæde occupaverat. Tantaque elatus victoria *Taurunum* (*b*) aggreditur. Ignita Pila ab inimicis explosa cellam promptuariam, qua in Arce nitratus pulvis asservabatur, omnia fatali incendio miscuit. Casu ne, an dolo factum, incertum fuit. Auro tamen à Barbaris profuso fæde nostros corrupisse, ut tantum incendium suscitarent, traditum est. Sic illius Regni Arx invictissima hostium paruit Imperio. Vix Turcarum audaciam, victoremque impetum cohibere potuit Princeps *de Baden* supremus belli moderator. Transilvaniam hostium patentem insultibus, illamque Hungariæ partem infestis irruptionibus afflictam virtute, ac dexteritate incredibili in tuto posuit. Populum nimiâ felicitate, solitâque superbia tumidum, sæpius ad pugnam lacessivit. Resque suas ita aptè disposuit, ut hostes loco cedere, receptuique signum dare adegerit.

Thechelium bello vincit. Nissa a Barbaris capta. Item, & Taurunum. Princeps de Baden feliciter accurrit.

Mors Pontificis.

Ancipiti prælio dum hæc agebantur annus incœpit 1691. fatalis Orbi Christiano ob mortem Pontificis. Decreverat ipse, potentissimum Galliarum Regem omni officiorum genere ad pristinam amicitiam Sanctæ Sedis reducere, clamoresque Cleri Gallicani universæ Romanæ Ecclesiæ luctuosos Apostolica authoritate componere, felicique concordia obruere. Pluraque alia in Fidei augmentum animo statuerat. Jamque earum rerum, quas cogitatione conceperat, firma jecerat fundamenta, sed frustrata hominum expectatio, & celeriter immutata fuit Urbis facies. Initio mensis Januarii hujus anni 1691. lethali morbo correptus Pontifex, omnem spem recuperandæ salutis abjecerat. Omnibus adhibitis medicæ artis remediis, infirmitas tamen in dies augebatur. Inutilibus experimentis integer ferè mensis insumptus est. Pane Eucharistico repetitis vicibus refectus fuit, adstante præ cæteris, atque opem ferente Cardinali *Colloredo* Summo Pœnitentiario. In extremis constitutus, ac penè moriens plures accivit Cardinales, eosque præsertim, quos ipse ad Sacræ Purpuræ honorem evexerat, illisque Statum Ecclesiæ universum commendavit. Eos insuper enixè rogavit, ut futuri Pontificis electioni impensè consulerent; ut ambitione seposita à partium studiis abstinerent. Ipse verò cum regnasset menses quindecim, & dies 27., obiit die primo Februarii anni 1691. Annum agens 81. Ejus Cadaver juxta veterem Ecclesiæ Ritum triduo in Basilica Vaticana patuit expositum; laudatus in funere ab Abbate *Ludovico Sergardio*, sepultusque est in eadem Basilica cum hac Epigraphe, quam posteà magnifico, quod erexit, sepulcro Petrus Cardinalis Otthobonus cælare fecit.

PATRVO MAGNO
ALEXANDRO VIII. OTTHOBONO VENETO
P. O. M.
PETRVS CARD. EPISCOPVS SABIN.
S. R. E. VICE-CANC.
ANNO IVB. MDCCXXV.

Nomina eorum Cardinalium, qui Comitiis Alexandri VIII. interfuerunt.

EPISCOPI CARDINALES INNOCENTII X.

1 Alderanus Cybo Episc. Ostiens. S. Collegii Decanus. Massensis.
2 Petrus Otthobonus Episc. Portuen. Venetus = *Electus novus Pontifex* =.

ALEXANDRI VII.

3 Flavius Chisius Episc. Albanen. S. R. E. Bibliothecarius, & Signaturæ Justitiæ Præfectus. Senensis.
4 Antonius Bichius Episc. Prænestinus. Senensis.
5 Jacobus Franzonus Episc. Tusculanus, & Episc. Camerinen. Ligur.
6 Palutius de Altieriis Episc. Sabinen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius. Romanus.

PRESBYTERI CARDINALES INNOCENTII X.

7 Carolus Barberinus Tit. S.Laurentii in Lucina. Romanus.

ALEXANDRI VII.

8 Gregorius Barbadicus Tituli Sancti Marci Episc. Patavin. Venetus.
9 Joannes Nicolaus de Comitibus Tit. S.Mariæ Transpontinæ Episc. Anconitanus. Romanus.
10 Julius Spinula Tituli S. Mariæ in Transtyberim Episc. Lucensis. Januensis.
11 Joannes Delphinus Tituli Sancti Salvatoris in Lauro. Venetus.

CLEMENTIS IX.

12 Emmanuel Theodosius Bullionæus Tituli SS. Viti, & Modesti. Gallus.
13 Carolus Cerrus Tituli Sancti Adriani Episcop. Ferrarien. Romanus.

CLEMENTIS X.

14 Gaspar de Carpineo Tit. S. Silvestri in Capite Papæ Vicarius Generalis. Romanus.
15 Cæsar Destræus Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio. Gallus.

16 Pe-

(*a*) Croatia.

(*b*) Belgrado.

16 Petrus Bonsius Tituli Sancti Honuphrii Archiep. Narbonæ. Florentinus.
17 Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Sancti Dominici Tituli Sancti Sixti Archiep. Beneventanus. Romanus.
18 Fridericus Columna Tituli Sanctæ Anastasiæ. Perusinus.
19 Franciscus Nerlius Tituli Sancti Matthæi in Merulana. Florentinus.
20 Hieronymus Casanate Tituli SS. Nerei, & Achillei. Neapolitanus.
21 Galeatius Marescottus Tituli SS. Quirici, & Julittæ. Romanus. B
22 Fabritius Spada Tituli S. Grisogoni. Romanus.
23 Frater Philippus Thomas Hovardus de Nortfolcia Tituli S. Mariæ Super Minervam. Anglus.

INNOCENTII XI.

24 Jo. Baptista Spinula Tituli S. Cæciliæ. Januensis.
25 Antonius Pignattellus Tituli S. Pancratii Archiep. Neapol. Neapolitanus. C
26 Franciscus Bonvisius Tituli S. Stephani in Monte Cælio. Lucensis.
27 Savus Millinus Tituli S. Mariæ de Populo Episc. Urbevetanus. Romanus.
28 Fridericus Vicecomes Tituli S. Alexii Archiep. Mediolani. Mediolanensis.
29 Frater Raymundus Capisucchius Ordinis Prædicatorum Tituli S. Mariæ Angelorum. Romanus.
30 Frater Franciscus Maria Brancatus Ordinis Sancti Francisci Tituli SS. Duodecim Apostolorum. De Lauræa. D
31 Jacobus De Angelis Tituli S. Mariæ in Ara Cæli. Pisanus.
32 Opitius Pallavicinus Tituli S. Martini in Montibus. Januensis.
33 M. Antonius Barbadicus Tituli Sanctæ Susannæ Episcopus Montis Falisci. Venetus.
34 Carolus Cicerus Tituli S. Augustini Episc. Comi. Comensis.
35 Leopoldus Kollonitz Tituli S. Hieronymi Illyricorum Archiep. Strigoniæ. Germanus. E
36 Petrus Matthæjus Petruccius Tit. Sanct Marcelli Episc. Æsinus. Æsinus.
37 Gullielmus de Furstemberg Tit. SS. Quatuor Coronatorum. Germanus.
38 Joannes Casimirus Denhoff Tit. S. Joannis ante Portam Latinam. Polonus.
39 Jo. de Aguirre Tit. Sanctæ Balbinæ. Hispanus.
40 Leander Colloredo Tituli Sancti Petri in Monte Aureo Sanctissimi Domini Nostri Pænitentiarius Major. Venetus. F
41 Fortunatus Caraffa Tituli S. Joannis, & Pauli Archiep. Aversæ. Neapolitanus.

Cardinales Diaconi

INNOCENTII X.

42 Franciscus Maidalchinus Tituli S. Mariæ in Via Lata primus Diaconus. Viterbiensis.

CLEMENTIS IX

43 Nicolaus Acciajolus SS. Cosmi, & Damiani. Florentinus.

INNOCENTII XI.

44 Urbanus Sacchettus Tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano Episcopus Viterbiensis. Florentinus.
45 Joannes Franciscus Ginnettus Tituli Sancti Angeli in Foro Piscium Archiepisc. Firmanus. Romanus.
46 Benedictus Pamphilius Tituli S. Agathæ. Romanus.
47 Dominicus Maria Cursius Tit. S. Eustachii. Florentinus.
48 Joannes Franciscus Nigronus Tituli S. Cæsarei Episc. Faventinus. Januensis.
49 Fulvius Astallius Tituli S. Mariæ in Cosmedin. Romanus.
50 Gaspar de Cavaleriis Tituli S. Georgii. Romanus.
51 Franciscus Maria Medices Tituli S. Mariæ in Domnica. Florentinus.
52 Raynaldus Estensis Tituli Sanctæ Mariæ de Scala. Mutinensis.

Cardinales absentes, vel mortui in hoc Conclavi Alexandri VIII.

CLEMENTIS IX.

1 Ludovicus Portocarrerus Tituli Sanctæ Sabinæ. Hispanus.


INNOCENTII XI.

2 Angelus Ranutius sine Titulo Bononiensis obiit die 27. Septembris 1689. in Civitate Fani, dum ad hæc Comitia properaret.
3 Verissimus de Alencastro sine Titulo. Lusitanus.
4 Marcellus Duratius Tituli S. Priscæ. Genuensis.
5 Stephanus le Camus Tit. S. Mariæ Angelorum Archiepiscopus Gratianopolitanus. Gallus.
6 Michael Radzieovvski Tituli S. Mariæ de Pace. Polonus.
7 Frater Petrus de Salazar Tituli Sanctæ Crucis in Hyerusalem. Hispanus.
8 Joannes Goessenius Tituli Sancti Petri in Monte Aureo. Belga.

Cæteri decem Cardinales, qui desunt ad implendum numerum S. Collegii, jam mortui erant in Pontificatu Innocentii XI. Totque Sedes vacantes idem Innocentius reliquit in Sacro Senatu, ut supra retulimus, easque omnes implevit Alexander VIII.

Prima Cardinalium Promotio facta
AB
ALEXANDRO VIII.
Die 7. Novembris Anni 1689.

Petrus Ottobonus Venetus.



I.

PETRUS OTTHOBONUS Patritius Venetus *Antonii Filius*, & *Mariæ Moretti*, natus est die 2. Julii anni 1667. Antonius autem filius erat Fratris *Alexandri VIII.* Qui dum Cardinalatus honore fungebatur, hunc sibi ado- A lescentem adjunxerat, ejusque indole, atque animi alacritate, vividoque ingenio recreabatur. Vix ad Apostolatum assumptus, omni illum beneficentiæ genere est prosequutus; & paucis post diebus ab ejus assumptione illum

in

in florida ætate annorum 22. Diaconum Cardinalem renunciavit *S. Laurentii in Damaso*, & totius Ecclesiasticæ Ditionis generalem Administratorem; Legatum insuper dixit Avenionensem, & Vice-Cancellarium S. R. E., omnesque titulos honoris, & majestatis illi contulit, quos Pontificia largitas conferre poterat. Sacerdotia ditissima, annuum fructum scutorum quinquaginta millium excedentia, quæ providus Innocentius XI. in alimoniam Cardinalium creandorum reservaverat, omnia uni Pronepoti suo confestim dedit. Fructus etiam beneficiorum vacantium nondum exactos, qui ingentem pecuniæ vim conflabant, illi attribuit.


Hinc lautè vivere, & more Regio: Hinc rarâ, pretiosaque uti supellectile incœpit. Magnum inservientium etiam nobilium, pluriumque Ministrorum numerum adhibuit. Tanta, & tam brevi tempore facta fortunæ accessio, ab aliis faustissimis eventibus est subsecuta. Nam, & Veneto absente Oratore, Senatus ipsi Arcana credidit Reipublicæ; & mortuo jam Alexandro VIII., à Christianissimo Galliarum Rege Protector illius Regni est renunciatus, & maximis muneribus, ditissimisque Ecclesiæ beneficiis auctus est. Mirum tamen erat, quod in tanta rerum opulentia, ingenti æris alieni pondere quotidiè magis premebatur; & post ejus mortem splendida ipsius supplex vix satis fuit, ut Creditoribus satisfieret. Hoc tamen ejus laudi tribuendum esse videtur, quod hæc ipsa animi magnificentia, quæ in illius vivendi ratione maximè apparuit, in sacris etiam, & in Ecclesiasticis functionibus, in quibus diligens erat, & assiduus, pari decore enituit. Ecclesias enim sibi commissas omni magnificentia instructas voluit; annuam expositionem Venerabilis Sacramenti horarum quadraginta in sua titulari Ecclesia *Sancti Laurentii in Damaso* eâ pompâ celebrabat, ut fidelium Religio in dies augeretur. Sacrum Viaticum, quando ad Infirmos suæ Parœciæ deferebatur, ce-reis semper accensis, ac singulari pietate comitabatur. Ejusdem Parœciæ pauperibus Pharmacopœam aperuit, ex qua gratis, eximiâque liberalitate omnia illis subministrabantur. Medicum quoque ære suo conductum, ac Chyrurgum constituerat, ut iisdem pauperibus ægrotantibus occurrerent. Anno Jubilæi 1700., & 1725., rara exercuit Charitatis officia peregrinis occurrendo, eos domi excipiendo, eleemosynis juvando, in mensa ministrando, Confraternitates hospitio accipiendo, quæ ut Indulgentiarum fruerentur thesauris, Romam adventabant.

Poesi, & Musica delectabatur. Poemata, & Drammata non invita Minerva exaravit, populoque exhibuit sumptuoso apparatu, ac pompa singulari. Congregationibus ferè omnibus adscriptus erat Romanæ Curiæ; præterea fuit Archipresbyter Basilicæ Liberianæ, cujus Portam Sanctam anno Jubilæi 1725. aperuit, & clausit. Indè Archipresbyter Basilicæ Lateranensis, & alterius Basilicæ Sancti Laurentii in Damaso Commendatarius. Magnus Prior Ordinis Hierosolymitani Hiberniæ; Secretarius Sacræ Congregationis Romanæ, & universalis Inquisitionis, & Præfectus Cappellæ Cantorum Pontificiæ.

Comitiis adfuit Innocentii XII., Clementis XI., Innocentii XIII., Benedicti XIII., & Clementis XII., ejusque dexteritate, ac consilio non levem sibi partem attribuit in horum Pontificum creatione. Comitiis etiam adfuit Benedicti XIV., sed vix Vaticanum Conclave ingressus, gravem in febrem incidit, ex qua domum reversus, brevi interiit, quum ad Episcopatum Ostiensem die 15. Decembris 1738. pervenisset, & ad Decanatum Sacri Collegii. Obiit igitur die 28. Februarii anno 1740. ætatis suæ 72. mens. 7., & dier. 26., sepultusque est in dicta Ecclesia Sancti Laurentii in Damaso in Sacello Sanctissimi Sacramenti à se constructo.

Secunda Cardinalium Creatio facta die 13. *Februarii* 1690. *ab Alexandro VIII. in qua undecim Cardinales Sacro Purpuratorum Patrum Collegio adscripsit, hi vero sunt.*

2 Bandinus Panciaticus. Florentinus.
3 Jacobus Cantelmus. Neapolitanus.
4 Ferdinandus de Abdua. Mediolanensis.
5 Tussanus de Jauson de Fourbin. Gallus.
6 Joannes Baptista Rubinus. Venetus.
7 Franciscus Judice. Neapolitanus.
8 Joannes Baptista Costagutus. Romanus.
9 Carolus Bichius. Senensis.
10 Joseph Renatus Imperiali. Januensis.
11 Aloysius Homodeus. Mediolanensis.
12 Joannes Franciscus Albanus. Urbinus.



II.

BANDINUS PANCIATICUS, ex nobilissima Familia olim Pistoriensi, nunc Florentina, & in illa Metropoli publicis muneribus optimè functa, & claris affinitatibus fulgente; natus est die 10. Junii 1629. Patrem habuit *Joannem Panciaticum*, Matrem vero lectissimam Matronam è Domo *Guadagna*. Septimum supra decimum annum quum attigisset, Romam venit in Collegio Germanico sub cura Patrum Societatis Jesu enutritus, ibique pluribus annis convixit proprio habitu indutus, quod tunc temporis aliis præcipuè nobilitatis adolescentibus, etiam Italis, datum erat. Postquam sedulò eloquentiæ incubuerat, è Col- A legio egressus ad maturam ætatem adolevit sub disciplina *Julii Cardinalis Sacchetti*. Liberales autem artes dereliquit, solæque Jurisprudentiæ adeo incubuit, ut intima legalis facultatis Arcana lustraverit; præsertim verò hoc in studio maximè profecit apud *Joannem Baptistam de Luca* tunc egregium Urbis Advocatum, postea verò ab *Innocentio XI.* inter Cardinales relatum, quem sibi existimationis, B atque amicitiæ vinculis devinxerat. Pluribus vigiliis, assiduisque laboribus eruditus in arenam ipse descendit, & difficillimum advocationis munus in Urbe suscepit. Tantam in Foro existimationem invenit, ut brevi ad Tri-

bu-

bunalia, & ad Judicantium subsellia ipse conscenderit. Assumpto enim ad Summi Pontificatus Apicem *Clemente IX.*, cui *Panciaticus* consanguinitate propinquus erat, primus Curiæ Capitolinæ Collateralis effectus est. Nec diù Officium hoc retinuit; ad majora enim in Præsulum ordine munera evocatus, in utraque Signatura Referendarius, & Auditoris Cameræ Locumtenens renunciatur. In hoc difficillimo Magistratu, atque in hoc amplissimo controversiarum Forensium campo, Justitiæ vindex, potentioribus non adulabatur, sed pari jure Pauperes respiciebat.

Postquam pluribus annis munus hoc omni cum laude obiverat in Pontificatu *Clementis X.* sponte se Magistratu abdicavit, non tam pertæsus diuturni laboris, quam fatigatus obstinatis commendationibus in quadam causa magnatitia inter Fratres *de Altieriis* tunc Papæ Nepotes, & Familiam *Columnensium*. In qua lite de Feudo *Carboneani* disceptabatur. Sic ille Judex integer vitæ, scelerisque purus, ne justitiam læderet, officium dimisit, vitamque privatam elegit, ac Florentiam reversus est.

Innocentius XI., qui abjectæ virtuti opem ferebat assiduè, ad munus Commendatoris Sancti Spiritus primò illum admovit, deindè à Secretis Episcoporum, & Regularium renunciavit in locum *Joannis Baptistæ* Cardinalis *Spinulæ*. Hoc in munere *Alexandro VIII.*, dum Cardinalatus honore fungeretur, sæpè *Panciaticus* obsistebat; & gratias, ad quas idem Cardinalis *Otthobonus* pronus erat, non raro impediebat.

Quare evecto ad Apostolatus apicem eodem Cardinali Otthobono, de reditu suo in Patriam serio, atque iterum *Bandinus* cogitabat, sed idem *Alexander VIII.* Bandini constantia delectatus ad præcipuum Datarii sui munus confestim illum evexit. Deindè Patriarcham dixit Hierosolymitanum, ut inter Cardinales, ab eo promovendos primum post carissimum ejus Nepotem, locum obtineret. Hinc die 13. Februarii anni 1690. illum inter Presbyteros Cardinales retulit sub titulo *S. Thomæ in Parione*. Innocentius XI. eum tanto honore cumulare voluerat, idque equidem præstitisset, si ultimam peregisset promotionem; nam inter decem Sedes, quas in Sacro Collegio vacuas reliquit, unam *Panciatico* reservaverat; & in quadam schedula manu Pontificis exarata Bandini nomen adnotatum reperiebatur, in maximum ejus gloriæ incrementum, eo quod à duobus Pontificibus Cardinalitia dignitate dignus sit habitus.

Ad Apostolicæ Sedis fastigium evectò demum *Innocentio XII.* idem illi munus confirmavit. Raro quidem exemplo, & à sæculis penè inaudito. Ut verò *Panciaticus* erat Jurium Sanctæ Sedis assertor acerrimus, hinc solita loquendi ingenuitate etiam coram Pontifice utebatur, illiusque facilitati in collatione beneficiorum, aliarumque gratiarum concessione sæpius obsistebat; liberâ etiam mente exponebat nedum damna, quæ ex ejus liberalitate in publicum ærarium, & Jura Datariæ refluerent; sed læsionem etiam Justitiæ propter Officiorum vacabilium imminutionem, quæ Sancta Sedes recepto pretio in alios distraxerat. Undè gravis, ac penè invisus Pontifici effectus fuit; ut eum à Latere suo sejungeret, sæpius illi Pontifex specie honoris ditissimos Episcopatus obtulerat. Eâdem tamen animi fortitudine, qua mores pristinos non mutavit, eademmet prorsus constantiâ propositas respuit dignitates; & Prodatarii munus eodem animi candore exercuit usquè ad obitum Innocentii XII. quo defuncto à *Clemente XI.*, qui Bandino Collega fuerat in promotione ad Cardinalatum, munus Secretarii Status ei fuit exhibitum; sed prudentissimus Cardinalis suam objiciens provectam ætatem, ac tanto oneri imparem, oblatam dignitatem recusavit. Quare Summus Pontifex loco Secretariæ Status, Præfecturam Sacræ Congregationis Concilii ei contulit.

Pluribus adscriptus fuerat Congregationibus nempè Episcoporum, & Regularium, Sacræ consultationis, Propagandæ Fidei, ac Sancti Officii; Comitiis adfuit ejusdem Innocentii XII., & Clementis XI. Titulum Cardinalitium die 8. Augusti 1691. *S. Thomæ in Parione* immutavit in alterum *Sancti Pancratii*, deinde in alterum *S. Praxedis* die 19. Februarii 1710. Tandem meritis, atque annis gravis obiit die 21. Aprilis anni 1718., sepultusque est in *Ecclesia S. Pancratii* Patrum Carmelitarum Discalceatorum.



IACOBVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS CANTELMVS NEAPOLITANVS
CREATVS DIE XIII. FEBRVARII MDC.XC.
Obyt die 11 Decembris 1702

Ant Lesma Pinx *Iac Blondeau Sculp*
Io Iacob de Rubeis formis Romæ ad Templ S. M. de Pace cum Priuil S. P.

III.

JACOBUS CANTELMUS Neapolitanus die natus est 13. Junii anni 1640. ex clarissimis Genitoribus, nempè ex *Fabricio Cantelmo Duce de Populi*, & *Beatrice Brancaccia*; ex hac inclita Gente, de qua (*a*) Historici luculenter edisserunt. *Jacobus* originem duxit præclaram, atque parem origini educationem. Adolescens cum Neapoli moraretur *Francisco* Cardinali *Barberino*, qui in illo Regno pinguia possidebat Sacerdotia, exactioni illorum fructuum viam aperuit. Hinc sub hujus Cardinalis patrocinio Romam venit, & sub *Clemente X.* inter Præsules Romanæ Curiæ relatus est. A Licet impensam scientiarum studiis navaret operam, toto tamen hujus Pontificatus tempore ignotus mansit, & vacuus magistratibus; Domum ipse conduxerat propè Palatium *Benedicti* Cardinalis *Odescalchi*, qui in platea *Sanctæ Mariæ in Campitelli* morabatur. Hac occasione edoctus Odescalcus de Cantelmi austeritate, de literarum studio, ejusque vitæ B integritate, validum illi patrocinium spopondit.

Demum assumpto ad Petri Cathedram eodem

(*a*) Campanile de Stegmatibus, & Familiis Neapolit. -- della Marra, de iisdem Familiis -- Parrinus de Viceregibus, & de Regimine Regni Neapolit.

dem Cardinali *Odescalcho* sub nomine *Innocentii XI.* prædivitem primum Abbatiam Sancti *Antonii* in Regno Neapolitano illi contulit. Postea Insulæ Melitensis, Inquisitor est renunciatus. Rursum Nuncius Apostolicus ad Rethos, & Helvetios mittitur, indè ad Sarmatas, ut Regem *Joannem* excitaret ad Bellum in Turcas acrius fovendum. Nuncius tandem extraordinarius pro coronatione Romanorum Regis Augustam venit, quo accedere *Bonvisius* Viennæ Nuncius ordinarius prohibebatur, quia jam cardinalitia dignitate ornatus erat.


A

Alexander VIII. in hac promotione diei 13. Februarii anni 1690. Presbyterum dixit Cardinalem Tit. *SS. Petri, & Marcellini*. Legatum etiam dixit Urbini, & deindè Archiepiscopum Capuanum. Hoc in munere zelo Religionis, & cultu Christianarum virtutum, maximè enituit. Demum morte audita *Alexandri VIII.* Romam venit, atque in novis Comitiis omnem movit lapidem pro exaltatione *Antonii* Cardinalis *Pignatelli*; quo in Petri Cathedram evecto sub nomine *Innocentii XII.* ab eodem Archiepiscopus eligitur Neapolitanus: Geminas Neapoli celebravit Synodos, Diœcesanam, & Provincialem, quæ pluribus ab hinc sæculis desiderabatur. Conciliator pacis, & Promotor Religionis cives, qui Inquisitorem de rebus ad fidem spectantibus ex Urbe ejecerant, ad reverentiam tanti Tribunalis assiduè excitavit.

B

Comitiis adfuit ipsius *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.* Obiit demum Neapoli die 11. Decembris anni 1702., sepultusque est in Metropolitana illius Civitatis.





I V.

FERDINANDUS DE ABDUA in Civitate Mediolanensi die natus est 25. Augusti anni 1650. Patriciis Genitoribus, nempè *Constantio de Abdua*, & *Anna Cusana*. Piè ab infantia educatus Ecclesiasticam vitam elegit. Seriò eloquentiæ operam dedit, Bononiæ indè Philosophiæ, atque Theologiæ; demum in Ticini Universitate quum Jurisprudentiæ sedulo incubuisset, Lauream Doctoralem adeptus est.

Pluribus hinc ornatus virtutum meritis in Patriam remeavit. Ibique in Jurisconsultorum Collegio adscriptus, ab eodem Collegio Rotæ Romanæ Auditor nominatus fuit. Spe A tamen frustratus est tantam assequendi dignitatem licet *Innocentio XI.* Romano Pontifice esset affinis, & *Livio Odescalchio* Patruelis. Ejus tamen jacturam reparavit *Innocentius*. Insignem namque illi contulit Abbatiam, & in Hispaniam missus est ad *Savum* Cardinalem *Millinum* Nuncium Apostolicum cum pileolo Cardinalitio. Munere hoc absoluto, Romam rediens inter Romanæ Curiæ Præsules cooptaF tur, & brevi Archiepiscopus Amasiensis renunciatur, ut maxima Nuncii Apostolici officia exequeretur.

Mortuo in fide Catholica *Carolo II.* Angliæ Rege, licet vivens eamdem Catholicam fi-

dem

dem palam professus non fuerit, illam tamen juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ publicè fassus fuit *Jacobus II.*, *Caroli II.* germanus Frater, & in Regno Successor. Lætitiâ gestiens *Innocentius XI. Ferdinandum de Abdua* in Angliam Nuncium suum allegavit, ut redivivam Fidem Catholicam foveret. Anno 1685. quum Londinum pervenisset *Ferdinandus de Abdua*, magnâ exceptus Anglici Populi admiratione, & frequentiâ, summa ope Religionis incremento incubuit; Magisque ei profuisset si zelum tanti Regis cohibere, meliorique tempori reservare, non vero incitare, atque urgere decrevisset. Die 14. Aprilis anni 1687. invictus ille Rex caverat publico Decreto, ne vis inferretur alicui ad credendum. Religionis libertatem indixit; impiumque Reginæ *Elisabeth* decretum abrogavit, quo omnes tenebantur Religionem Romanam ejurare. Nonnullos etiam Catholicos ad munera publica admovit, quod pluribus ab hinc annis vetitum fuerat.

Tantam Fidei constantiam rependit Deus data Regi prole mascula, & ut in illis ditissimis Regnis vera saltem servaretur Religio apud veros, & legitimos Successores. Regni Infantem, & Vvalliæ Principem aqua tinxit Baptismatis idem Nuncius Apostolicus; sed ingruente hæreticorum malitia, atque in dies gliscente Londinensis Populi inconstantia, atque impietate, anno 1688. idem Angliæ Rex à suis Rebellibus oppressus, & à Duce *Arausiensi* bello fractus, profugus in Galliam venit, idem verò Nuncius Apostolicus alienâ indutus veste, & Personatus aufugit.

Romam venit eo tempore, quo *Innocentius XI.* ferè animam agebat, eumque propterea inter Purpuratos Patres referre non potuit. Hoc præstitit *Alexander VIII.* ejus in Pontificatu Successor, qui illum inter Presbyteros Cardinales recensuit sub titulo *Sancti Clementis*, & Congregationibus adscripsit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Rituum, Signaturæ Gratiæ, Status Regularium, Visitationis Apostolicæ, Propagandæ Fidei, & aquarum; Rituum, deindè Præfecturam adeptus est. *Innocentius XI.* Eum unacum Cardinali Barberino de Latere Legatum dixit ad componenda dissidia, quæ inter Bononienses, Ferrarienses, & Ravennates irrepserant, causâ stagnantium aquarum. Re tamen infecta Romani rediere Legati.

Anno 1695. Fabricæ Montis Citatorii præpositus fuit. Indè Ferrariensi admotus Legationi. Anno 1697., illius etiam Episcopatus Administrator evasit, qui ob mortem Cardinalis *Taurusii* vacaverat. Demum Bononiæ Legatus præfuit. Comitiis quum adfuerit *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.* Romæ obiit die 27. Januarii 1719. ætatis suæ septuagesimo. Priorem titulum die 2. Januarii 1696. in alterum immutaverat *S. Balbinæ*. Die verò 16. Aprilis 1714. Titulum optaverat *S. Petri ad Vincula*; ex quo gradum fecit ad Ecclesiam Episcopalem Albanensem die 21. Jan. 1715. Sepultus est in Ecclesia Sancti Caroli Mediolanensium Nationali. Egregia in Pios usus Legata reliquit. Inter quæ 100. millia, & ultra aureorum Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, quam ex asse hæredem scripsit; & quæ in beneficii memoriam hanc in claustro superiori inscriptionem posuit.

FERDINANDO CARDINALI DE ABDVA
PRO AVGENDO ALVMNORVM NVMERO
CENTVM MILLIBVS AVREORVM RELICTIS
SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE
ANNO SALVTIS MDCCXIX.

Ipsi Cardinales de Propaganda Fide etiam in Ecclesia Sancti Caroli Mediolanensium ubi sepultus fuerat perpetuam ejus munificentiæ memoriam extare jusserunt, sequentemque inscriptionem apponi curarunt.

FERDINANDO EPISCOPO ALBANEN.
S. R. E. CARD. DE ABDVA
IN ARDVIS APOSTOLICÆ SEDIS MVNERIBVS
EXIMIA SEMPER CVM PRVDENTIÆ
AC INTEGRITATIS LAVDE VERSATO
NVNCIO AD IACOBVM SECVNDVM
AB INNOCENTIO XI. IN ANGLIA MISSO
AB ALEXANDRO VIII.
IN CARDINALIVM ORDINE ADSCRIPTO
DEMVM A CLEMENTE XI.
POST BONONIENSEM LEGATIONEM
ET AD TRIENNIVM PROROGATA
CONGREGATIONIS SACR. RITVVM PRÆFECTVRA
AVCTO
QVOD AMPLIANDÆ
CATHOLICÆ ECCLESIÆ STVDIO
COLLEGIVM PROPAGANDÆ FIDEI
EX ASSE HÆREDEM SCRIPSERIT

CARDINALES EIDEM COLLEGIO PRÆPOSITI GRATI ANIMI M. PP.
NATVS MEDIOLANI VI. KAL. SEPTEMBRIS A ANNI MDCL.
OB. ROMÆ VI. KAL. FEBRVARII MDCCXIX.



V.

A TUSSANUS DE IAMSON DE FOURBIN Gallus die natus est primo Octobris anni 1634. ex nobili illius Regni Familia. Pater ejus *Palamides* Salliensii Dominus virtute militari, plurimisque expeditionibus strenuè gestis claruerat sub Rege *Ludovico XIII.* Ipse vero simili disciplina educatus stipendia quoque agere, & in Castra se recipere instituerat. Hinc inter Equites Hierosolymitanos à pueritia adscriptus fuerat; sed percitus amore Litterarum, atque B in Deum pietate, Clericali militiæ se mancipavit. Propterea Litterarum studiis maximè incubuit, atque annum agens vigesimum secundum à Patruo *Diniæ* Episcopo in Gallia Narbonensi, Coadjutor assumptus fuit. Congruam deindè nactus ætatem *Massiliensem* Episcopatum suscepit. Postea ad *Bellovacensem* Ecclesiam translatus est.


Ludovico XIV. apprimè carus illum in Castris interdum sequutus est; Rex vero ejus consilio persæpè utebatur. Legationes insuper nonnullas ipsi commisit. Hoc in munere *Cosmum*

Ter-

Tertium Magnum Etruriæ Ducem adivit, ut Arcana quædam dirigeret, sibique illius amorem, atque existimationem conciliavit. Legatus ad Batavos, indè ad Sarmatas, omnem movit lapidem adversus *Lotharingiæ Ducem*, ne post Regis *Michaelis* mortem Poloniæ Rex inaugurareretur. Totis proindè viribus, opibusque, atque officiis Galliarum Regis favit *Joanni Subjeschо*, qui Regnum adeptus fuit. *Tussani de Jamson* labores, atque vigilias premio affecit *Ludovicus XIV.*, eumque inter Equites Commendatarios insignis Ordinis Spiritus Sancti relatum voluit. Idem verò *Joannes III.* Rex Poloniæ, pluries eum ad sacram Purpuram nominavit *Innocentio XI.* Romano Pontifici, qui semper restitit, inquiens, quod in gratiam Sarmatæ Regis, Polonus, vel Italus esset assumendus, non alienigena. Vera tamen Pontificiæ reluctantiæ causa in eo versabatur, quod *Tussinus de Jamson* Comitiis adstiterat Episcoporum Galliæ in Palatio Archiepiscopi Parisiensis peractis anno 1682., & ob excommunicationem latam adversus Comitem *de Lavardino* Galliæ Legatum ipse quoque unacum aliis Episcopis ad futurum Concilium provocaverat.

A B C D

His tamen minimè obsistentibus Alexander Octavus, qui Galliam cum Sancta Sede pacificare decreverat, Presbyterum dixit Cardinalem sub titulo *Sanctæ Agnetis extra muros*. Huic promotioni palam in Consistorio obstiterunt Cardinalis Colloredo, & Cardinalis de Aguirre objicientes Pontifici indignum fore, si inter Purpuratos Patres ille adscriberetur, qui adversus Romanam Sedem insurrexerat. Pontifex verò Contradictores repressit reponens *Jamsonium de Fourbin*, ea quæ in Comitiis Parisiensibus gesserat, revocasse. Revera Cardinalis *de Fourbin* Romam adveniens, modestos, sincerosque mores, & reverentiam erga Sanctam Sedem semper exhibuit. Facile hinc concordiam, quam in brevi *Alexandri Octavi* Pontificatu absolvere non potuit, in altero *Innocentii XII.* Pontificatu complevit. Titulum S. Agnetis die 28. Septembris 1693. in alterum immutavit *S. Callisti*. Congregationibus adscriptus erat Propagandæ Fidei, Status Regularium, Visitationis Apostolicæ, Signaturæ Gratiæ, & Rituum. Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, *& Clementis XI.*, sub quo decessit die 24. Martii 1713.





V I.

A JOANNES BAPTISTA RUBINUS Venetiis natus est die 5. Junii anni 1642. ex *Donato Rubini*, & *Faustina Medicea*, quos occasione Cretensis Belli inter Patricios suos Veneta adscripsit Respublica. *Joannes Baptista Rubini* senior, qui hujus Cardinalis avus erat, nupserat cum *Christina Otthobona* Sorore *Alexandri VIII.* Hinc dum in minoribus esset idem Pontifex in educatione hujus adolescentis omnem adhibuit sollicitudinem. Dum igitur *Petrus* Cardinalis Otthobonus Brixiensi præerat Episcopatui, hunc ex Sorore Pronepotem suum ad se accivit, & ad studia, quæ Venetiis inchoaverat, sedulo incitavit. Laurea jam Doctorali in Patavina Universitate ornatus fuerat anno 1662. Deindè Canonicatum obtinuit in eadem Cathedrali Patavina, residentiam dispensante Pontifice, ut studiis Literarum incumberet.

At verò cum Brixiensem Cardinalis *Otthobonus* resignasset Ecclesiam, & sub *Clemente IX.* præclarum Datarii munus adeptus esset nonnullis Sacerdotiis Pronepoti abundè collatis, B in causa fuit, ut & ipse in Præsulum ordinem reciperetur. Varias hinc *Rubinus* Ecclesiasticæ ditionis Civitates rexit in munere Gubernatoris non sine integritate, & laude. Spoleto, Fabriano, Perusio, & Maceratæ præfuit.

Vacanti deindè *Vicentiæ* Episcopatui anno 1684. admovetur. A

Tandem evecto ad Petri Cathedram eodem Cardinali *Otthobono*, in Imperii participationem advocatur, & Secretarius Status efficitur. Præterea die 13, Februarii anni 1690. Presbyter dicitur Cardinalis tituli *S. Laurentii in Pane, & Perna*. Congregationibus adscriptus erat Episcoporum, & Regularium Sacræ Consultæ, Propagandæ Fidei, Rituum, & Visitationis Apostolicæ.

Ab eodem Alexandro VIII. in vitæ discrimine constituto, Legatione Urbinatensi donatus fuit. Absoluta Legatione ad suam remeavit Vicentiæ Episcopatum, quem postea annuente *Clemente XI.* Rom. Pont. spontè dimisit anno 1702.; nec multo post vivere desiit. B Postquam enim titulum *S. Laurentii* die 25. Januarii 1706. in alterum immutaverat *Sancti Marci* obiit die 17. Februarii anni 1707. Annum agens 64., menses 8. dies tresdecim, & in ipsa ejus Ecclesia Titulari S. Marci sepultus fuit.

D. O. M.
IO. BAPTISTÆ S. R. E. TIT. S. MARCI
CARD. RUBINO VENETO
MVLTIS ECCLESIAST. PRINCIPATVS PRÆFECTVRIS
STRENVE GESTIS
AVCTO INSIGNI VINCENTIÆ INFVLA
AB ALEX. VIII. P. M.
A SECRETIS STATVS RENVNCIATO
AC IN S. SENATVM ADSCITO
POSTREMA NECESSITATE
NONIS FEBR. ANNO MDCCVII.
E VIVIS EREPTO
IOANNES BAPTISTA EX FRATRE NEPOS
PATRVO AMANTISSIMO MOERENS P. F. P.





VII.

FRANCISCUS JUDICE origine Genuensis, Patriâ Neapolitanus, die natus est 7. Decembris anni 1647. ex *Nicolao Judice*, & *Hippolita Palagana*, quæ hujus inclytæ Familiæ ultima fuit superstes. Idem verò *Nicolaus* Pater ejus *Cellamarii* Princeps, & *Giovenazzi* Dux, Terlitii, & Castri *Garagnonis*, Dominus, is fuit, qui è Civitate Genuensi in Neapolitanam se contulit; plurimisque affluens opibus, majores industria divitias coacervavit ex officio Præfecturæ Tabellariorum in eodem Regno administrato. Hinc nobilitatem in Neapolitana Curia, quam Capuanam Sedem dicunt; hinc eadem Castra acquisivit, hinc

A demum tres filias nupsit illius Regni Patriciis viris, aliam nempè Principi *Caracciolo*, alteram *Pignattello Bisacii* Duci, tertiam denique in *Carafea* Familia collocavit. Binos vero quos habuit filios, alterum, qui natu erat major matrimonio junxit *Constantiæ Pappacoda* Triggianni Principis Filiæ; Hunc verò *Franciscum* piè liberaliterque educatum Clericali Militiæ destinavit.

B In Pontificatu *Clementis IX.* Romam venit, & inter Prothonotarios de numero participantium cooptatus Præsulum Romanæ Curiæ institutum arripuit sub *Clemente X.* Officio Pro-Legati Bononiensis functus est, indè Fanensis

Ci-

Civitatis Gubernium explevit, ac sub eodem Pontifice Cameræ Apostolicæ Clericus est renunciatus. *Ab Innocentio XI.* Annonæ Urbis Præfectus est; at tempore *Alexandri VIII.* Marchio de Cocogliudo, qui & Dux de *Medina Cæli* vocabatur hunc Regis Hispaniarum Subditum nomine *Caroli II.* Regis ad Sacram Purpuram nominavit. Die itaque 13. Februarii 1690. Presbyter Cardinalis enunciatur sub titulo *Sanctæ Mariæ de Populo*.

Bis pro rebus Hispanicis Regius in Urbe Minister fuit. Ubique solers, patiens laboris, amicorum Cultor, & tenax propositi vir. *Innocentius XII.*, qui dum Cardinalatus honore fungebatur, pinguem ejus favore Abbatiam dimiserat, quique eum tamquam affinem suum valdè dilexerat, ad Apostolatum elatus, nullo benevolentiæ signo acceptum habuit.

In Hispaniam profectus, maximas illius Regni obtinuit dignitates, in quibus permansit etiam sub Rege *Philippo V.* Borbonico. Fuit primus Regni administer, & magnus Hispaniarum in rebus Fidei Inquisitor. Fuit etiam Pro-Rex Siciliæ, & Archiepiscopus Montis Regalis; sed quum pervenisset in Hispaniam *Elisabeth Farnesia* Catholici Regis secunda Uxor, & *Julius* Cardinalis *Alberonius* gratia apud Regem multum valeret, ipse à pristina fortuna ad inclinatam, & propè jacentem descivit. Quare de reditu in Italiam serius cogitavit. Quod perfecit quamprimum, Rege minimè abnuente. Romam redux, meliorem apud Cæsarem gratiam inivit. Maximis ab illo cumulatus fuit beneficiis, & in Urbe Cæsareus Orator fuit etiam renunciatus.

Congregationibus præfuit Sacri Concilii Tridentini Interpretum, nec non Sacræ Inquisitionis, Episcoporum, & Regularium, Rerum Consistorialium, Rituum, Annonæ, Aquarum, Signaturæ Gratiæ, Boni Regiminis, & Propagandæ Fidei. Præfectus insuper fuit Sacræ Congregationi Immunitatis, & Secretarius Sac. Congregationis S. Officii. Pluries titulum Cardinalitium immutavit, donec ad Decanatum Sac. Collegii pervenit, & ad Episcopatum Ostien., & Veliternum. Interfuit Comitiis *Innocenti XII.*, *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.*, in cujus Pontificatu decessit die 10. Octobris 1725. Ejus Cadaver eâ pompâ, qua efferri solent Decani S. Collegii expositum fuit in Ecclesia S. Marcelli. Ibi parentalia peracta sunt, quibus interfuit *Benedictus XIII.* indè corpus ejus ad Ecclesiam translatum fuit Sanctæ Mariæ supra Minervam loco Depositi; donec Neapolim transferatur in Ecclesia Patrum Carmelitanorum, ubi suæ Gentis sepulcrum extat.



JOAN-



IOANNES BAPTISTA S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS COSTAGVTVS ROMANVS
CREATVS DIE XIII. FEBRVARII M.DC.XC.
Obyt die 8 Marty 1704

Io Batta Gaulli Pinx — *Iac Blondeau Sculp*
Io Iacobi de Rubeis formis Romæ ad Templum Pacis cum Priu. S P

VIII.

A JOANNES BAPTISTA COSTAGUTUS Filius *Prosperi* Marchionis de *Sipicciano*, & *Paulæ Costæ* Patriciorum Genuensium Romæ natus est die 26. Aprilis 1636. Idem Pater ejus ex Civitate Genuensi Romam se contulerat, ibique suum Domicilium invexerat. Alterum habuit filium *Vincentium* nomine, qui maximis functus muneribus in Pontificatu *Urbani Octavi* anno 1643. ab eodem Pontifice inter Diaconos Cardinales relatus fuit; At verò *Joannes Baptista* ipsius *Vincentii* germanus Frater sub *Alexandro VII.* inter Præsules relatus fuit, & variis Ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus laudabiliter præfuit. Tempore verò *Clementis IX.* Clericatum Cameræ Apostolicæ adeptus est. Præpositus indè fuit monetæ Pontificiæ. Demum Annonæ Urbis Præfectus, perdifficile munus, maximâ cum integritate, omnique cum laude perfecit.

Alexander VIII. in hac ejus promotione die 13. Februarii anni 1690. eum inter Presbyteros Cardinales assumpsit sub titulo *Sancti* B *Bernardi*, & Congregationibus adscripsit Sac. Consultationis, Fabricæ Sancti Petri, Rituum, & Propagandæ Fidei. Eruditioni maximè intentus Numismatibus, antiquisque fragmentis delectabatur, & Museum comparavit conspicuum. Rariores, quos quæsiverat nummos

dono dedit *Petro Cardinali Otthobono* Pronepoti Creatoris sui. Nec minus pietati incumbebat assiduè. In Monasterio *Sanctæ Mariæ de Scala* parvam sibi construxerat habitationem, in quam se recipiebat in Festis majoribus, & tempore Baccanalium. Ibi de æternitate cogitabat, & novissima prævidebat. Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, *& Clementis XI.*, sub quo decessit die 8. Martii 1704., sepultusque est in Ecclesia *Sancti Caroli de Catinariis*, juxta sacellum, quod magno sumptu, atque Opera pereleganti ædificaverat cum hac Inscriptione.


A

B

D. O. M.
IOANNES BAPTISTA COSTAGVTVS
CARD. VINCENTII GERM. FRATER
CLEMENTI IX. PONT. MAX.
CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICVS
MOX EIVSDEM TRIBVNALIS DECANVS
AB ALEXAND. VIII.
S. R. E. CARDINALIS
EVECTO AB SE EXORNATOQVE SACELLO
VIVENS SIBI AC PRÆMORTVO
FRATRI M. M. POSVIT
ANNO IVBILÆI MDCC.

Titulum *Sancti Bernardi* die 12. Novembris 1692. in alterum immutaverat *Sanctæ Anastasiæ*.






IX.

CAROLUS BICHIUS SENENSIS ex Fratre Nepos *Alexandri* Cardinalis Bichii ab *Urbano VIII.* creati; Pronepos vero *Metelli* alterius Cardinalis Bichii, & Archiepiſcopi Senarum, die natus eſt 6. Maii 1638. Ab *Alexandro* Cardinali Bichio ejus Patruo, qui ſibi ejus educationis curam aſſumpſerat, renunciationem obtinuit ditiſſimæ Abbatiæ *Montis Majoris* in Galliis, qua ſpoliatus fuit in Pontificatu *Innocentii XI.* Juſſus enim à Comite de *Lavardino* Ludovici XIV. Oratore, Regia Galliarum ſtemmata adponere ante fores ejus Palatii, id facere recuſavit, ne ille, qui fidem ſuam jurejurando Papæ obſtrinxerat, exceſſibus ejuſdem Comitis aſſentiri videretur.

Sub *Alexandro VII.* Cive ſuo inter Curiæ Romanæ Præſules adſcriptus fuit. *A Clemente IX.* Cameræ Apoſtolicæ Clericus electus eſt, & ab *Innocentio XI.* ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ Auditor Generalis eſt renunciatus. Tandem

AlexanderVIII. in hac ejus promotione diei 13. Februarii anni 1690. illum inter Diaconos retulit Cardinales in Diaconia *S. Mariæ in Cosmedin*. Eum Congregationibus adscripsit Sacræ Consultationis, Status Regularium, Visitationis Apostolicæ, Boni Regiminis, & Immunitatis Ecclesiasticæ. Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.*, obiit verò die 7. Novembris anni 1718. in ætate annorum 80., mens. 6., & diei 1., sepultusque est in Ecclesia Sanctæ Agathæ ad Montes. Hunc enim titulum, dimisso priore die 22. Decemb. 1693., optaverat.





IOSEPH RENATVS S.R.E. PRIOR PRESBYTERORVM
CARDINALIS IMPERIALIS IANVENSIS
CREATVS DIE XIII. FEBRVARII MDCXC
Obiit die 15 Januarij 173[illegible]

X.

JOSEPH RENATUS IMPERIALI origine Genuensis; ortum tamen sortitus est in Civitate Uritana propè *Francavillam* (quæ sunt Feuda ejus Inclytæ Familiæ in Regno Neapolitano) die 26. Aprilis anni 1651. Patrem habuit *Michaelem Imperiali* ex Principibus Francavillæ, Matrem verò *Birgittam Grimaldi* spectatissimam Matronam, & Sororem Principis Monæci in Liguria Litorea. Claro generi consentaneam nactus educationem, atque, ut erat acutissimi adolescens ingenii, ardua Philosophiæ, & Jurisprudentiæ studia feliciter emensus est. Romam inde venit sub cura institutus *Laurentii Cardinalis Imperiali* ejus

A Propatrui, qui ex speciali Indulto obtinuit à *Clemente X.*, ut eum in Collegio Hungarico, & Germanico collocaret, in statu tamen sæculari, & cum Cruce Ordinis Hierosolymitani, quam ab infantia gestavit. In Pontificatu ipsius *Clementis X.* inter Præsules relatus, Clericatum Cameræ Apostolicæ adeptus est; quod munus tunc venale exponebatur. Sub *Innocentio XI.* ejusdem Cameræ Apostolicæ

B Thesaurarius Generalis dictus fuit, ac demum sub Alexandro VIII. inter Cardinales refertur collata sibi Diaconia *S. Georgi ad Velum aureum* hac die 13. Februarii 1690. Ferrariensi insuper Legatione ornatur, in qua à Successore *Inno-*

cen-

centio XII. confirmatus fuit. Plura contulit beneficia in illius Provinciæ utilitatem; vias negligentia, ac vetustate collapsas instauravit, novasque aperuit, aquas ubique stagnantes, ac resides arefecit, atque aeris salubritatem restituit. Hinc Civitas illa, & Magistratus, quem dicunt *Judicis Sapientum*, in grati animi monumentum, marmoream illi inscriptionem posuit. Quo tempore bello Italia premebatur, multiplicavit annonam. Multam pecuniæ vim mutuo dedit Communitatibus, ne quid in publicis indigentiis detrimenti caperent. Publicos auxit proventus, populosque nonnullis vectigalibus exoneravit. Collegium *Pennæ* nuncupatum ex Legato *Alberti Pennæ* conflatum, quod diu clausum extiterat, aperuit, nobilibusque adolescentibus destinavit. Fines Ecclesiasticæ ditionis adversus vicinorum Principum excursus invicta constantia, quandoque etiam armata manu servavit.

Hinc eodem tempore, quo Ferrariensis Legationis munere strenue fungebatur, vacantis etiam illius Civitatis Episcopatus administrationem obtinuit, ut quam Civibus, & Reipublicæ patefaciebat integritatem, solertiam, & Fidem; eamdem prorsus in Ecclesia administranda, Divinoque cultu amplificando Religionem, & pietatem ostenderet.

Demum anno 1711. Mediolanum abiit ad *Carolum VI.* Cæsarem ex Hispania redeuntem, & cum Rege *Philippo V.* disceptantem de eadem Hispanica Monarchia. Suprema quum fungeretur Legati de Latere dignitate, mira tunc effulsit Cardinalis *Renati* liberalitas, & munificentia fere Regalis.

Romam redux Congregationibus, quibus fuerat adscriptus, semper interfuit ea diligentia, atque assiduitate, ut Cardinalis irreprehensibilis, & quotidie operosus haberetur. Præfectura auctus fuit Congregationis Boni Regiminis, in qua Civitatum, & Oppidorum ditionis Ecclesiasticæ Patrimoniis præpositus, mirifica sunt, quæ præstitit in Principatus, & Populorum utilitatem. Semel in anno, præsertim in Feriis Autumnalibus, aliquam Dominii Ecclesiastici Provinciam ipsemet ære suo lustrabat: Ubi præsens adesse non poterat, nonnullos ex dicta Congregatione Boni Regiminis Præsules mittebat, ut proprio ære visitationem explerent, rationes Communitatum expungerent, debitores cogerent, publicos augerent proventus, Pauperum egestati consulerent, & Principis ærarium amplificarent. Insuper si viæ, si pontes, aliaque publica ædificia reparatione indigerent, eidem Congregationi referrent. Hanc visitationem fideliter, & scripto editam, quilibet Præsul ejusdem universæ Congregationis judicio, & approbationi exponebat, atque ego quoque istarum scriptor gestarum rerum, aliquam Provinciæ Patrimonii partem sub ejus directione peragravi, & visitator lustravi, dum inter dictæ Congregationis Præsules plu-

A tres per annos sederem. Præterea Cardinalis Imperiali hujus Congregationis jurisdictionem auxit, quum Bullam obtinuerit a *Clemente XII.*, qua *Clementis VIII.* antiqua Constitutio super Bono Regimine confirmatur, & extenditur. Leges insuper Bono Regimini accommodatas, & rerum temporalium ditionis Ecclesiasticæ administrationem pertinentes, in unum collegit codicem, quod in quatuor dispartitum volumina, studio Petri *Andreæ* Advocati *Vecchi*, publici Juris effecit.
B Huic tamen operi prævivit, & faces præbuit *Ferdinandus de Valentibus* eximius S. Consistorii, & Fisci Advocatus; qui peculiari suo tractatu Typis edito scitè, ac facunde ostendit, qua vere polleat jurisdictione Congregatio Boni Regiminis.

Dominii hinc Ecclesiastici moderator pene universalis, maximam in quolibet Pontificatu publicarum rerum administrationis sibi partem adtribuit. Pontificibus libere, ac palam, loquebatur. Justitiæ vindex, proposi-
C ti tenax, Imperia, & Magistratus appetebat, adeptos non deponebat; laudem ex iis non lucrum quærens: ignavosque eos vocitabat, & gloriæ contemptores, qui dignitatum molestias refugerent, ut otiosam, atque imbecillam agerent vitam. Patiens laboris, Pauperum solator, bonorum fautor; eos vero, quos in sui clientelam, vel patrocinium recipiebat, nonnisi probos, omnique virtute præditos esse patiebatur. Hinc quatuor, quos habuit Assessores, sociosque studiorum,
D maximis eos decoratos vidimus dignitatibus; quorum duo ad Cardinalatum evecti sunt, nempè *Raphael Cosmus de Hieronymis*, & *Franciscus Landi* Archiepiscopus Beneventanus; alii vero duo Episcopali dignitate aucti fuerunt, nempe *Philippus a Turre* postea Episcopus Hadrianensis, & *Nicolaus Recchi*, qui Patriæ suæ Ripæ Transonæ Episcopatui admotus fuit. Magnificam extruxit Bibliothecam, quam viris eruditione præstantibus semper pa-
E tere voluit.

Omnibus fere Congregationibus Romanæ Curiæ adscriptus erat. Ultra Præfecturam Congregationis *Boni Regiminis*, altera item Præfectura ornatus erat *Disciplinæ Regularium*. Protector totius Ordinis Augustiniani, & Congregationis Monasticæ Virginianæ, Protector Accademiæ Ecclesiasticæ, & Collegii Apostolici Sacerdotum, & Monialium pænitentium; Item & Collegii Germanici, Hungarici. Diaconiam *S. Georgii* in Titulum immu-
F tavit *S. Laurentii in Lucina*, & primus in Ordine Presbyterorum effectus fuit. Comitiis cum adfuerit *Innocentii XI.*, *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* vivere desiit die 15. Jan. an. 1737., sepultusque est in Ecclesia S. Augustini de Urbe cum sequenti Epigraphe.

IOSEPHO RENATO
TITVLI S. LAVRENTII IN LVCINA
S. R. E. PRESB. CARDIN. IMPERIALI


LE-

LEGATIONE FERRARIENSI
ET ALTERA OFFICII CAVSA
AD CAROLVM VI. CÆS. HISP. REGEM
PERFUNCTO
MAGNITVDINE ANIMI ET CONSILII
FIRMISSIMA IN SEDEM APOSTOLICAM FIDE
PVBLICIQVE BONI STVDIO SVO ÆVO
CLARISSIMO
ET A CIVITATIBVS ET OPPIDIS

A

PONTIFICIÆ DITIONIS
QVORVM PATRIMONIIS PRÆFVIT
PARENTIS LOCO HABITO
QVI VIXIT
ANNOS LXXXV MENS. VIII. DIES XVII.
OBIIT XVII. KAL. FEB. AN. MDCCXXXVII.
MICHAEL IMPERIALI
PRINCEPS FRANCAVILLÆ HÆRES
POSVIT





XI.

ALoysius Homodeus Mediolanensis, Matriti tamen est natus ex *Augustino Homodei*, qui maximis in Hispaniarum Regnis affinitatibus claruit, & dignitatibus; Regis enim Consiliarius fuit, & in Agro Mediolanensi venationi Præpositus; Mater vero *Aloysii* Nobilis Matrona fuit *Maria* ex Gente *Pacecha* in Hispaniis celeberrima. Fratrem etiam habuit *Carolum Homodeum* conspicuis æque functum muneribus, & titulo decoratum Magnatis Hispaniarum, & Proregis Regni Valentiæ. Præterea Nepos fuit alteri *Aloysio Homodeo* ab *Innocentio* X. inter Cardinales relato, & cujus mentio superius est habita.

A Ex his igitur Genitoribus in lucem editus est *Aloysius* die 20. Maii anni 1656. Licet vero piam, nobilemque educationem nactus esset, vacuam tamen Matriti vitam agebat. Aderat eo tempore Hispaniarum Nuncius Præsul postea Cardinalis *Marescottus*, qui precibus impulsus alterius Cardinalis *Homodei*, absoluta Legatione, cum Romam reverteretur, hunc sibi Comitem itineris adscivit egregiæ indolis adolescentem. Peramanter B exceptus fuit à Patruo Cardinali Homodeo, qui eum ad vitam Ecclesiasticam adduxit. Inter Clericos Cameræ Apostolicæ cooptatus est, quo in munere diu permansit. Evecto demum

ad

ad Petri Cathedram Cardinali *Ottobono*, qui maximam cum seniore Cardinali Homodeo amicitiam instituerat, hunc inter Cardinales recensuit, eique Diaconiam attribuit *Sanctæ Mariæ in Porticu*. Eum præterea Congregationibus adscripsit Rituum, Annonæ, Sacræ Consultationis, Aquarum, Boni Regiminis, & Fabricæ Sancti Petri. Diu Romæ perstitit sacris non initiatus.


A

Natura fuit affabilis, eloquio facundus, consuetudine blandus, & argutus: In Comitiis vero, quibus interfuit pro novi Pontificis electione, liber, & ab omni obsequio solutus, non Gallis, non Hispanis, nec ipsi sui creatoris Nepoti ullimode obstrictus. Comitiis cum adfuerit *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.*, die mortuus est 18. Augusti anni 1706. ætatis suæ 50., atque in Ecclesia conditus est Sancti Caroli Nationis Mediolanensis.

B



JOAN-



IOANNES FRANCISCVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS ALBANVS URBINAS
CREATVS DIE XIII. FEBRVARIJ MDCXC.
POSTEA CLEMENS XI.
CREATVS SVMVS PONTIFEX DIE XXIII. NOVEMB. MDCC.

XII.

JOANNES FRANCISCUS ALBANUS, qui postea ad Apostolatus Apicem pervenit *Clem. XI.* dictus, longiorem expectat suorum gestorum narrationem, quum acta ejus Pontificatus diuturni, & actuosi referemus. Natus est die 23. Julii 1649. ex *Carolo Albani* Patritio Urbinate, atque *Elena Mosca* Patritia Pisaurensi. Pater ejus, ut indoli, vividoque Filii ingenio obsequeretur, hunc secum adolescentem Romam perduxit. Vix vero *Joannes Franciscus* pueritiam egressus, adeo studiis literarum impense incubuit, ut nedum Philo- A sophiam, & Theologiam, cunctamque jurisprudentiam feliciter hauserit, sed eloquentiæ apprime intentus, Latinas, Græcasque literas optime didicerit.

Canonicatu primum in Basilica S. Laurentii in Damaso donatus fuit, deinde inter Romanæ Curiæ Præsules adscriptus, Civitatibus præfuit Reatis, & Urbis Veteris, atque altero functus est Gubernio *Sabiniæ* Provinciæ. Romam inde revocatus a Ven. Dei Servo *In-* B *nocentio XI.*, locum inter Præsules Sac. Congregationis Consistorialis est assequutus. Mox ve-


vero Basilicæ Vaticanæ Vicarius, inde ejusdem Basilicæ Canonicus est renunciatus. Mortuoque Cardinali *Slusio* in arduo Secretarii, Brevium munere sufficitur. Laboris patiens, pius, in pauperes effusus, in amicos liberalis, Viros autem eruditione præstantes maxime sibi devictos habuit. Præcipue vero familiari consuetudine usus est *Augustini* Cardinalis *Fabroni*, & Cardinalis *de Luca*.

Quam vero apud Antecessores Pontifices fuerat existimationem consequutus, eamdem prorsus apud *Alexandrum VIII.* nactus est, adeout in hac ejus Promotione diei 13. Februarii anni 1690. illum inter Diaconos Cardinales retulerit, Congregationibusque adscripserit Rerum Consistorialium, Indulgentiarum, Sacrorum Rituum, Propagandæ Fidei, Examinis Episcoporum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Visitationis Apostolicæ, & Indicis Librorum prohibitorum. Protector insuper fuit Regularium Minimorum S. Francisci, aliorumque locorum Piorum. Diaconiam primo obtinuerat *Sanctæ Mariæ in Porticu*, ex qua die 22. Maii 1690. ad alteram ascendit *Sancti Hadriani*. Comitiis adfuit *Innocentii XII.*, post cujus obitum ipse Summus Pontifex proclamatur sub nomine *Clementis XI.* Anno ætatis suæ quinquagesimo primo. Cumque Episcopus non esset, die 30. Novembris anni 1700. in Episcopum consecratur, & die Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, nempe 8. Decembris ejusdem anni, Christi in Terris Vicarius Coronatur.

Tertia Alexandri VIII, Promotio facta die 13. Novembris anni 1690., duos habuit Cardinales, nempe.

13 Franciscum Barberini. Romanum, &
14 Laurentium de Altieriis. Romanum.





XIII.

FRANCISCUS BARBERINUS cognomento junior, ut ab altero Cardinali Francisco distinguatur ab *Urbano VIII.* creato, Patrem habuit *Maffeum Barberinum* Principem Prænestis, Matrem vero *Olimpiam Justiniani*, ex quibus in lucem editus est die 27. Maii anni 1662.. Licet vero inter ejus Fratres *Franciscus* esset natu major, ut tamen Pater ejus juxta facultatem in Testamento *Urbani VIII.* sibi attributam, filium secundogenitum prætulerat in prædiviti majoratu hujus inclytæ familiæ; hinc ipse vitam aggressus est Ecclesiasticam, atque adhuc adolescens sub *Innocen-*

A *tio XI.* inter Præsules Romanæ Curiæ est cooptatus. In eodem Pontificatu inter Clericos Cameræ Apostolicæ adscriptus fuit, quod genus officii tunc venale exponebatur. Ære similiter proprio comparavit aliud magis adhuc insigne munus Auditoris Generalis ejusdem Cameræ Apostolicæ.

B Assumpto demum in Petri Sedem *Alexandro VIII.*, illum inter Cardinales retulit, eique Diaconiam attribuit *Sancti Angeli in Foro Piscium*, & Congregationibus adscripsit Concilii Tridentini, Fabricæ Sancti Petri, Immunitatis Ecclesiasticæ, Status Regularium, Ri-

tuum, Propagandæ Fidei, Visitationis Apostolicæ, Aquarum, & Paludum, & Sac. Consultationis. Præterea eidem Aquarum Congregationi, Episcoporum, & Regularium Præfectus fuit. Protector insuper Patrum Cistercienſium, Reformatorum, & totius Ordinis Cappuccinorum, aliorumque plurium Locorum Piorum.

Ab Innocentio XII. Ravennæ Legatione donatus, ætate licet juvenis, consilio senex, & totius Provinciæ Pater habebatur. Palatium Apostolici Legati magno sumptu reparavit, Seminarium aperuit, pluraque gessit in commune bonum, adeout Cives illi publicis elogiis marmore insculptis, ejus magnanimitatem, prudentiamque celebraverint. Romam redux Congregationibus, quibus erat adscriptus, assiduus erat, præcipue vero illi, quæ Consultationibus præest Status Ecclesiastici. Varios per gradus plures obtinuit Titulos Cardinalitios, usque ad Decanatum S. Collegii Episcopus dictus Ostiensis, & Veliternus.

Comitiis cum adfuerit *Innocentii XII.*, *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.* *& Clementis XII.*, lætali demum correptus morbo interiit die 17. Augusti anni 1738. ætatis suæ 75. Mens. 9. & dierum 5. Funebria illi peracta sunt in Ecclesia S. Andreæ de Valle solemni Ritu, atque ea pompa, qua Cardinales Sac. Collegii Decani humari solent. Corpus ejus loco depositi in Cænobio illius Ecclesiæ asservatum fuit; postridie vero translatum fuit ad Civitatem Prænestinam, quæ Feudum est hujus inclytæ Familiæ; conditumque fuit in Ecclesia Sanctæ Rosaliæ ejusdem Civitatis, ubi sepulcrum extat Majorum suorum.





XIV.

LAURENTIUS DE ALTIERIIS Romæ natus est die 9. Junii anni 1671., Patrem habuit *Gasparem Palutium Albertonum* Præfectum Generalem Castrorum S. R. E., & à *Clemente X.* in propriam Familiam adoptatum, nomine insuper & insignibus donatum ejusdem propriæ familiæ; Matrem vero habuit *Lauram Catharinam Altierii* Neptem ipsius *Clementis X.*. Ut vero *Marcus Ottobonus* Dux Fiani nupserat cum *Tarquinia Columna* Filia Principis de Carboneano, quæque Matrem habuerat Filiam secundogenitam *Angeli Altierii*; hinc *Alexander VIII.*, ut huic novo affini suo gratum animum exhiberet, dictum

A *Laurentium Altieri*, licet imberbem adolescentem, inter Diaconos Cardinales recensuit in Diaconia *Sanctæ Mariæ in Aquiro*, quam postea commutavit in aliam *S. Mariæ in Via Lata*. Congregationibus insuper adscriptus fuit Sac. Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Rerum Consistorialium, Indicis Librorum prohibitorum, Riparum Tyberis, & Paludum Pontinarum. Sub cura Cardinalis Palutii *Albertoni de Altieriis* Propatrui sui diu *Laurentius* perstitit. Ab *Innocentio tamen XII.*.

B Legatione ornatus Urbinatensi, Justitiam coluit, & famam promeritus esset, nisi culpa cujusdam ejus familiaris, cui nimium

fide-

fidere Cardinalis videbatur, ejus quoque existimatio impetita fuiſſet.

Quidam enim domeſticus ejus publicè inquiſitus fuit, quod inſcio Cardinali, magnam frumenti vim contra edictumPontificis ad exteras Nationes immiſiſſet. Hinc monitus ab *Innocentio XII.* Cub icularium dimittere, renuit Cardinalis eum criminoſum declarare, quem innocentem autumabat; reſponditque ſe potius paratum eſſe Legationem dimittere, pro qua miſſionem poſtulabat. Aſſentitus eſt Pontifex Cardinalis diſceſſui; ipſe vero Legatione infecta,citatis equis Romam rediit, & Cardinalem *Albertonum de Altieriis* Propatruum ſuum jam in extremis agentem, ità dolore affecit, ut morbi violentia preſſus nec viaticum ſumere potuerit, nec de Beneficiis Eccleſiaſticis diſponere juxta Breve, quod illi *Clemens X.* conceſſerat, obiitque die 29. Junii anni 1698.

Romam redux Laurentius Card. *Altierius* Congregationibus, quibus fuerat adſcriptus adeſſe non deſtitit. Comitiis interfuit *Innocentii XII.*, *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *& Clementis XII.*. Ægrotare incæpit comitiorum tempore, quæ pro electione Benedicti XIV. indicta erant, quibus adeſſe non potuit. Infirma tamen valetudine annum fere ſupervixit. Demum obiit die 3. Auguſti anni 1741, qui erat ætatis ſuæ ſeptuageſimus, & ejus Cardinalatus quinquageſimus primus. Juſta illi funebria peracta ſunt in Eccleſia *Sanctæ Mariæ in Porticu*, ejuſque Cadaver humatum fuit in eadem Eccleſia in Cappella *S. Joannis Baptiſtæ*, quæ de Jurepatronatus exiſtit hujus prænobilis Familiæ.

Nomina eorum Cardinalium, qui in Pontificatu Alexandri VIII. deceſſerunt.

1 Carolus Cerrus Epiſcopus Ferrarien. Romanus.
2 Angelus Ranutius Bononienſis, qui obiit die 27. Septembris anni 1689. in Conclavi Alexandri VIII.
3 Gaſpar de Cavaleriis Diaconus S. Angeli in Foro Piſcium. Romanus.

Decem *Innocentius XI.* Sedes vacuas reliquerat in Sacro Purpuratorum Patrum Collegio. Tres aliæ vacarunt in brevi *Alexandri VIII.* Pontificatu; Altera demum ex ejus ad Apoſtolatum aſſumptione vacavit. Quatuordecim propterea in totum Sacro Cardinalium cætui Purpuratos Patres adjecit.



Quæ in Pontificatu Alexandri VIII. præstantiora Numismata sint percussa.

I.

ALEXAN. VIII. OTTOBON. P. O. M.
CRE. VI. OCT. MDCLXXXIX.
MVNIT. ET VNIT.

Postica Globum exhibet intersecatum à quadam Zona, quæ Zodiacum designat, quæque Cœlum dividit in parte superiori Globi expressum, à Terra, quæ in posteriori ejusdem Globi parte repræsentatur?

Quum stemma Pontificis gentilitium in area alba supernè exhibeat Aquilam bicipitem, & Zonam similiter albam, quæ stemmatis inferiorem aream obliquè secat: Conijci hinc potest Numismatis symbolum ex stemmate Pontificio desumptum, ligandi atque solvendi Pontificiam potestatem designare. Quare Papæ authoritatem tam in Cœlo, quam in Terra expressam voluit.

II.

ALEXAN. VIII. P. M. A. I.
DOMINI EST ASSVMPTIO NOSTRA; = in exergo 1690. =

Quum difficillimis temporibus Pontificatum iniverit Alexander VIII., hinc ejus electionis negotium ad Deum refert authorem, ut ingruentibus in dies Ecclesiæ malis firmo, ac constanti pectore possit obsistere. Domesticis quidem calamitatibus externæ molestiæ accreverant. Principes enim Catholici ferè omnes pertinaci inter se bello diffidebant; & Turcarum Imperium Europæ ferè universæ terra, marique minitabatur.

III.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX. A. I.
MVNIT, ET VNIT.

Postica, quæ Pontificis exhibet effigiem, alteram quoque S. Brunonis effigiem profert; alluditque ad electionem Pontificis, quæ die v. Octobris perfecta fuit, die vero VI. Oct. S. Brunoni Sacrâ fuit proclamata, Quasi ejus patrocinio electio accelerata fuerit, vel perfecta.

IV.

ALEXAND. VIII. PONT. M. A. I.
EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Ad exemplum Christi, qui Discipulorum pedes lavit, humilitatem Numisma refert Pontificis, qui, ut mos fuit cæteris Romanis Pontificibus, pedes item lavit peregrinorum.

V.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX.
TV DOMINVS ET MAGISTER = & in exergo = EXEMPL. DEDI VOBIS =.

Ad eamdem Alexandri humilitatem Numisma refertur, & juxta veterem suorum antecessorum consuetudinem, ad eamdem pedum lotionem.

VI.

ALEXAND. VIII. PONT. M. A. I.
SVAVITATE.

Thuribulum postica exhibet arabico odore fumicans, ac proindè morum suavitatem, & Pontificis innocentiam designat. In Sacris etiam peragendis *Alexander VIII.* erat peritissimus. Ad hanc igitur sacrarum rerum peritiam fortasse etiam refertur Numisma.

VII.

ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I.
VICTRICEM MANVM TVAM LAVDEMVS.

Beata Virgo in Nubibus sedens in postica apparet, quæ puerum Jesum in ulnis tenet. Inferius mare, & duo trophæa in maris littore, cum duobus Turcis manibus post terga revinctis. Victorias hinc Numisma refert, quas Principes Christiani sacro fœdere juncti in Turcas retulerunt. Veneti præsertim sub duce egregio *Hieronymo Cornelio* Epidaurum maritimam Peloponesi Urbem expugnarunt, item & *Aulonem*, quæ hodiè *Vallona* dicitur, tutissimum Barbarorum propugnaculum, ac penè Peloponnesus universa barbaris erepta est, ut dixi pag. 318. lit. D.

VIII.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX. MDCXC.
NON PRÆVALEBVNT.

Fides sub mulieris velatæ specie, cujus capiti Spiritus Sanctus adstat; ipsa vero Mulier dexterâ Crucem gestat, atque Hydram percutit, & pedibus calcat, Hæresim profligatam designat. Quanto animi impetu incubuerit *Alexander*, ut errores in dies gliscentes evellerentur, & ut puritas Catholicæ Fidei ubique coleretur intacta, dixi in ejus vita pag. 317. lit. F.

IX.

ALEXAND. VIII. P. M. OTTOBONVS VENETVS.
LAVRENTIO IVSTINIANO IN SS. ALBVM RELATO.
in exergo = PETRO ET IOANNE LANDIS.
ORAT. VENET. ADNITENTIBVS =.

Laurentium Justiniani primum Venetæ Reipublicæ Patriarcam, quem quidem Clemens Octavus jam inter Beatos retulerat, Sanctorum Canoni adscripsit Alexander VIII., & cum eo Joannem à S. Facundo, Joannem de Deo, Joannem à Capistrano, & Paschalem de Baylon, ut supra in ejus vita recensui pag. 319. lit. C.

X.

ALEXANDER VIII. PONT. MAX.
NOSTRA FELICITAS MDCXC.

In brevi sui Regni curriculo felicitati Populi

Ro-

Romani maximè studuit Alexander. Pestilentiam, quæ in finibus Neapolitani Regn grassabatur, à terris ditionis Ecclesiasticæ avertit. Ejus providentiâ in maxima egestate Annona convaluit. Vectigal quoddam substulit unius Julii in singulos frumenti Modios, qui molirentur. Alterumque similiter vectigal substulit unius quadrantis pro qualibet libra carnis. Aliaque id genus præstitit, ut dixi pag. 317. ex quibus optimi, & vigilantissimi Pastoris sibi ibi nomen quæsivit.

A

B

XI.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX.

RE FRVMENTARIA RESTITVTA MDCXC.

Nedum Annonæ ubertati consuluit Alexander, sed & camporum culturæ prospexit, & rem àgrariam restituit, propagavitque, ut dixi pag. 317. lit. B.

XII.

ALEXAND. VIII. OTTOBON. P. O. M.

CREAT. VI. OCTOB. MDCLXXXIX.

OPT. ORBIS PASTORI AN. MDCXC.

Ad eamdem ex vigilantia Pontificis felicitatem Populi Romani refertur Numisma, quod ineunte Pontificatus ejus secundo anno cusum est.

XIII.

ALEXAND. VIII. PONT. OPT. MAX.

AMORE ET CORDE.

Quum suum de hoc Numismate judicium minimè proferant eruditi; Ego quoque de eo conjecturam facere libens abstineo. Inelegans Numisma, & crassè cusum puerum Jesum designat in sinu Beatæ Virginis sedentem, & Reges Magos cum Stella duce eumdem Puerum adorantes, & munera ferentes sua.

XIV.

ALEXANDER VIII. PONT. MAX. CREAT. AN. MDCLXXXIX. D. VI. OCT.

NOMINE DEPOSITO PETRVS INCIPIT ESSE SEDENDO.

OTTOBONVS TOTO CORDE SIT ERGO BONVS

EVENIVNT VENETIS VEGETIS IAM PROSPERA QVÆVIS.

ID SATIS IPSE REGENS PAPA LATINE PROBAS. MDCLXXXIX.

Hoc Germaniæ cusum Numisma ab aliis inexplicatum invenio, nec divinare præstat quid author senserit in ista illepida Acrostide.

XV.

ALEXANDER VIII. P. M.

CREAT D. VI. CORON. D. XIV. OCT. MDCLXXXIX.

Ignotum pariter hoc numisma in Germania cusum videtur, & ignotus artifex sub istis verbis N. O. C., quæ in Antica conspiciuntur, designatur.

XVI.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX.

D. SI VIS POTES

Symbolum in postica expressum leprosi, qui genibus flexis Jesum Christum adorat, piam Pontificis in Deum fidem ostendit. Privata authoritate percussum fuisse numisma putant eruditi.

XVII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX.

S. PETRVS APOSTOLVS

Simile huic numisma vidimus sub Innocentio XI. percussum. Et similia etiam sub aliis Pontificibus cusa, Patrocinium S. Petri in Romanam Sedem designant.

C

XVIII.

ALEXANDER VIII. PONT. MAX.

SPIRITVS CONSILII

Spiritus Sanctus radiis circumdatus tutelam ejus, & præcipuum erga Romanum Pontificem præsidium significat.

XIX.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX.

EIA HIC MARE HIC PORTVS

Postica mulierem sedentem exhibet, & quatuor pueris circumdatam; Alluditque ad Pontificis charitatem, qua pauperes quacumque ad eum confluentes excipiebat.

D

XX.

ALEXAND. VIII. P. M.

ADDITO IN VATICANO SAPIENTIÆ PABVLO

Dum in minoribus esset Alexander, lectissimam instruxerat bibliothecam; Hanc vero ad Pontificatum evectus mirifice auxit, adeout & numero, & castigatione, & præstantia librorum inter præcipuas Urbis haberetur. Eamdem Petro Cardinali Ottobono Nepoti suo reliquit, & post hujus mortem in frusta distracta est, ut creditoribus satisfieret. Præterea idem Alexander egregios Codices manuscriptos comparavit, quos moriens Christina Svecorum Regina reliquerat, eosque pluteis ad id apte dispositis in Bibliothecam Vaticanam invexit, ut dixi pag. 317. lit. E.

E

Huc igitur spectat præsens numisma; atque ut clarius hæc Pontificis liberalitas innotescat, postica numismatis pars hæc habet verba = EX REGIIS CHRISTINÆ THESAVRIS = inferius 1690.

F

XXI.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX.

PRVDENTIA FVNDAVIT STABILIVIT SAPIENTIA

Ad eamdem instructissimam bibliothecam Ottobonianam refertur.

XXII.

ALEXAND. VIII. OTTHOBONVS VENETVS P. M.
PETRVS CARD. OTTHOBONVS S.R.E. VICE-CANC.
PATRVO MAGNO BENEMERENTI POSVIT
MDCC.

Cardinalis Petrus Ottobonus, quum an. 1700. in Templo Vaticano Sepulcrum ingens, & eximium prope S. Leonis aram Patrui magni memoriæ extruxit, hoc cudi jussit numisma elegans, & maximi moduli; in cujus postica tumulus apparet ipsius Pontificis, atque in urna sequens cælata est Epigraphe = ALEX. VIII. PONT. MAX. = inferius = S. V. = quæ postrema verba artificem significant, nempe Ferdinandum *S. Urbanum* Lotharingum, & de re nummaria optime meritum.

XXIII.

SEDE VACANTE MDCXCI.
VENI LVMEN CORDIVM

Mortuo Alexandro VIII. cusum est hoc numisma, quo tempore Vaticana habebantur Comitia pro novo eligendo Pontifice.



INNOCENTIUS XII.

PONTIFEX CCXXXXVI.

ANNO DOMINI 1691. LEOPOLDO I. ROMANORUM IMPERATORE



IUXTA vetus Ecclesiæ Institutum Novendialia in funere Alexandri VIII. celebrari cœpta sunt die 4. Februarii anni 1691. Laudes ejusdem mortui Pontificis recitavit Abbas *Ludovicus Sergardius* eleganti sane Oratione. Die demum 12. hujusmet Mensis Februarii Rè Sacra peracta ad invocandum Spiritus Sancti præsidium, Cardinales (inferius nominatim recensendi) Vaticanum Conclave ingressi sunt.

Abusus, qui ex nepotismi dilatatione irrepserant in Pontificatu *Alexandri VIII.*, plures ex Purpuratis Patribus excitaverant ad rem Pontificiæ electionis (maximi quidem momenti) serius tamen pertractandam. Virum undequaque quærebant pium, irrepræhensibilem, severum. Præterea à sanguinis affectione prorsus alienum. Magnus erat istorum Cardinalium numerus, quos *Zelantes* vocabant. Iis vero tanquam caput & Antesignanus præerat Cardinalis de *Colloredo*, qui ob suam Religiosæ vitæ integritatem, morumque austeritatem, atque innocentiam, zelo Domus Dei flagrantissime ardebat. Binos ipse proposuerat egregios Cardinales, cæterisque de Collegio eligendos obtulerat; *Gregorium* nempè *Barbadicum*, & *Antonium Pignattelli*. Diu de Cardinali Barbadico actum fuit, diuque hæserunt comitia. Leviora tamen impedimenta pro Antonio Cardinali *Pignattellio* inventa sunt. Qui unanimi Patrum consensione die 12. Julii anni 1692. in Summum Pontificem electus fuit. (Electio Innoc. XII.)

Antonius Pignattelli, ut privatam ejus vitam recensendo exposuimus, natus est die 13. Martii anni 1615. in Basilicata Regni Neapolitani Provincia, atque in Feudo, quod dicunt *Spinazzolæ*, ab hac nobilissima Gente possesso. Hæc prænobilis Familia, sive ex Ducibus Beneventanis suam ducat originem (a) ut gravibus scriptoribus visum est, sive ex alio pervetusto, incertoque fonte descendat =; hoc unum tamen ratum est, quod pluribus abhinc sæculis opibus, ac dignitatibus adeò fulsit in illa Civitate, & Regno, ut plures connumeret illius Regni Magnos Cancellarios, pluresque Pro-Reges, innumeros ad varios Europæ Reges Oratores, strenuosque Duces Exercituum. Egregiis præterea fulget Titulis, amplissimisque Feudis, nedum in eodem Regno Neapolitano, & in Sicilia; verum etiam in Indiis Occidentalibus. Horum tria Feuda præcipuè connumeranda sunt, quia dignitatem adnexam habent, quam dicunt magnatitiam in Regnis Hispaniæ, nempè Ducatus *Montis Leonis*, Ducatus *Terrenovæ*, & Marchionatus *del Vaglio*. (Vitæ ratio, & munera à Cardinali Pignattelli gesta.)

Antonius Patrem habuit *Pignattellum Minervini Principem*, Matrem vero *Portiam Carafam* Andriæ Ducis Filiam. Ipse verò moribus integerrimis adeò ornatus erat, ut ad incrementum Divini cultus à natura editus esse

(a) Campanil de Lellis in Histor Familiarum Neapolitanarum.

videretur; Hinc Parentes ejus, ut vitam Puer Ecclesiasticam arriperet, juxta ejus desideria, probaverunt; Romam missus in Collegio Romano litterarum studiis impensè incubuit sub disciplina Patrum Societatis Jesu; Cæteris verò præstabat Nobilibus adolescentibus exemplo pietatis, & austeritate vivendi. Habitum quoque Hyerosolymitanum susceperat, sed inter Equites illius Religionis servitium de more non præstitit, nec navalibus adfuit expeditionibus, ut Dei servitio impensius vacaret,

A

In Pontificatu *Urbani VIII.* cum annum vix ipse vigesimum attigisset, inter Romanæ Curiæ Præsules relatus est, ac Urbini Prolegatus effectus fuit. *Innocentius X.* eum in Insulam Melitensem Inquisitorem ablegavit, deindè Viterbii, & totius Provinciæ Patrimonii Gubernatorem dixit; postremo vero Nuncium Apostolicum Florentiam misit. In Pontificatu *Alexandri VIII.* ad Sarmatici Regni Nunciaturam admotus fuit; sedente vero *Clemente IX.* ad Cæsarem abiit eadem dignitate ornatus Nuncii Apostolici; succedente demum in Pontificatu *Clemente X.* (exiguum laboribus præmium) Episcopatum Aletii in Agro Hydruntino obtinuit. Casum patienter tulit Pignatellus, Gregemque sibi commissum in via Domini dirigere non destitit; Donec idem *Clemens X.* egregii viri meritis excitatus, Congregationis Episcoporum, & Regularium eum a Secretis dixit. Postremo vero Præfecturam Cubiculi Apostolici illi contulit. Hoc in munere confirmatus fuit ab ejus Successore *Innocentio XI.*, qui die primo Septembris anno 1681. illum in sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexit sub Titulo *Sancti Pancratii*; et Faventiæ Episcopatui præfecit, ac paulo post ad Legationem Bononiensem promovit; Tandem translatus est ad Archiepiscopatum Neapolitanum. Hinc cum fere omnes Ecclesiasticos Ordines lustraverit, atque in quolibet Magistratu præclara semper ediderit exempla virtutum; meritò quidem Purpurati Patres in hac novi Pontificis electione oculos in eum, animumque intenderunt, tantæque virtutes in ejus assumptione clarius patefactæ, Orbem Terrarum universum ad æternorum operum spem erexerunt.

B

C

D

E

Postquam igitur quinque mensibus, & duodecim diebus vacaverat Sedes Apostolica, ipse Summus Pontifex Populo avidissimè expectanti denuntiatur die 12. Julii 1691. sub nomine *Innocentii XII.* Hoc sibi nomen elegerat memor Cardinalitiæ dignitatis, aliorumque Beneficiorum, quæ *Innocentius XI.* in eum abundè contulerat. Postquam die 15 ejusdem Mensis solemniter Coronatus est, ipsius Innocentii XI. exemplum sibi imitandum proposuit.

F

Ejus coronatio.

Initia sui Regiminis à totali suorum gentilium atque affinium abdicatione solemniter auspicatus est. Et ne locum quidem relinqueret obtrectatoribus, qui præsertim Romanum Pontificem, à quo magna in dies emergunt exempla virtutum, calumniis impetere solent, consanguineos suos, nec etiam in Urbe Roma adesse voluit. Constantem hanc à suis alienationem, ut futuris etiam Pontificibus normam præberet, publica Constitutione (*a*) evulgavit, qua Nepotismum, ut ajunt penitus condemnat, ac supprimit. Eosdem Nepotes, & affines Romanorum Pontificum tamquam extraneos dijudicandos esse decernit. Si inopia laboraverint, eo modo eorum paupertas sublevetur, quo Pauperum cæterorum solet ægestas adjuvari. Si meritis abundent, atque opinione virtutis, præmia ad normam laboris persolvantur. Præterea ne color supersit, vel prætextus effusioni Romanorum Pontificum, Titulos omnes abolevit, quibus Papæ affines intumescere solebant, nempè Legationem Avenionensem, Generalatum Romanæ Ecclesiæ, Præfecturam Arcium Maritimarum, & classis Pontificiæ, omnesque alias fumosas dignitates, quibus & stipendia, & largitiones immodicæ admiscebantur. Hæc autem ejus Constitutio, ut nullo umquam tempore in discrimen vocari posset, neve desuetudine extabesceret, voluit omnino, ut ab omnibus Cardinalibus juramento confirmaretur.

Ejus severitas in suos.

Nepotismum, Bulla in id evulgata, supprimit.

Omnesque Titulos abrogat, & Dignitates quibus Papæ Nepotes intumescebant.

Huic sanctissimæ Constitutioni aliam superaddidit *Innocentius* æque laudatam, maximeque idoneam justitiæ distributivæ, quam sine Personarum acceptione constantissimè excolebat. Officia Cameralia, maximæ quidem Jurisdictionis, venalia usque adhuc exponebantur. Hanc venalitatem suppressit, & ad os occludendum detractoribus, pretium restituit, & summam ab emptoribus impensam, quæ decies centena millia scutorum Romanorum excedebat, ut constat ex alia, quam edidit, piissima ejus Constitutione (*b*).

Venalitatem supprimit officiorum, & Magistratuum.

Pretiumque restituit ab emptoribus impensum.

Omni hinc erepta spe ambitioni, & consanguineorum prælectioni, (nec unquam a proposito dimoveri passus fuit,) justitiam undequaque propagavit. Humiles, abjecto positos loco, sed meritis sibi acceptos, & sola commendatione virtutis, Inscios, & quandoque etiam reluctantes, ad maximos Magistratus, & ad Cardinalitiam Purpuram evocavit, *ut Morigiam, del Verme, Norisium, Ferrarium.* Ut justitiam uberius administraret, diem singulis hebdomadis constituit, qua cujuscumque ordinis homines indiscriminatim audiret.

Viros promovet undequaque virtute præditos.

In pauperes effusissimus erat, *eosque Nepotes* suos vocitare solebat. Munera ipsi oblata, parvi quidem momenti, nam tenuja, atque exculenta tantum recipiebat, omnia *Nepotibus suis*, nempè egenis conferebat. Quare Palatium Lateranense Pauperibus curandis, alendisque adscripsit, quæque olim fuit peram-

Lateranense Palatium Pauperibus adscribit.

(*a*) In ejus Bullario Bulla XIX. quæ incipit -- Romanum decet Pontificem.
(*b*) Bulla XXIII., quæ incipit -- Ad hoc vnxit nos Deus --

ampla Pontificum habitatio; in Hospitium redacta est, quo Pauperes usque adhuc excipiuntur. Vestigiis inhærens *Sixti V.*, mendicos per Urbem vagantes & dispersos, eorumdem animæ, simul, & corporis saluti consulens, præcipuè invalidos, in aliud Hospitium redegit, quod vocant *S. Michaelis ad Ripam Tyberis*, illudque pene à fundamentis extruxit (*a*), & in amplissimam formam adauxit. Plura alia Pauperum favore produxit amplissima Ædificia. Pueris, Puellisque victu indigentibus, præcipuè vero iis, qui Parentibus carent, discretus locus datus est, ubi aluntur, & ad artes imbuuntur humanæ societati necessarias; Magistri, etiam non desunt, ut eos Literas edoceant juxta adolescentium modum, atque indolem. Puellæ, & Mulieres Lanificio incumbunt, & Fidei Christianæ rudimenta perdiscunt.

Et Ædificium Sancti Michaelis ad Ripam Fluminis.

Tantus erat Plebis, ac præcipuè pauperum in *Innocentium XII.* amor, & benevolentia, ut unum præ cæteris publicæ existimationis monumentum silentio prgterire non liceat. Redibat idem Pentifex à Visitatione *Centum Cellarum*, ubi pro illius Portu privilegia instauravit aliaque admiranda gessit ad ampliandum commercium maximè idonea, ut Bulla ab eodem confecta (*b*) uberius declarat. Populi, ac præsertim Pauperum multitudo penè incredibilis uno ab Urbe lapide obvia illi fuit; vocibusque lætitiæ, atque animo prorsus gestiente palam inclamavit = *Redit Pater noster*, *&* *Pater Pauperum* = Hinc corporis Custodes, & Satellitium arcebant; sellamque gestatoriam, quâ Pontifex deferebatur, è manibus famulorum auferre pluries conati sunt, subjungebantque, & objurgabant = *Nobis attinet deferre Patrem nostrum* = Sic plusquam Pontificio famulatn, ab iisdem egenis humeris exceptus est, atque in eadem sella gestatoria vectus, (nec ipse Summus Pontifex multitudini restitit) Urbem ingressus est, maxima claudorum, & mutilorum, debiliumque stipante turba; eodemque comitatu Palatium Quirinale ascendit, non sine magno humilitatis triumpho (*c*).

Nova vero Pontificia dignitas non modo mores pristinos in *Innocentio* non immutavit, sed id prorsus effecit, ut ex novi Principis severitate quisque sumeret exemplum sibi. Frugalis, ut solebat in victu, quotidiana ejus mensa ne trium Juliorum sumptum excederet, prohibuit. Similique ratione immodicas Palatii Apostolici expensas reformavit. Hinc nedum, quas memoravimus, peramplas ædes extruxit, pauperibusque addixit, sed majores etiam in commune bonum, & pro Justitiæ incremento constituit; posteris exemplum præbens, quam magnum sit vectigal Parsimonia. Judicum, & Litiganiium commoditati prospiciens, eosdem Judices contubernales esse, simulque convivere jussit. Coemptis igitur Palatii Ludovisii vestigiis, illustrius iis superædificavit Palatium, cui Curiæ *Innocentianæ* nomen attribuit. Mons etiam Citatorius dicitur. Huc omnes Causidici conveniunt, publicèque Jus dicitur. Notarii præterea, aliique Justitiæ administri in eodem Palatio excipiuntur. Duas Publicanorum mensas, quas *Dohanas* vocant, penè extruxit à fundamentis. Maritimam unam ad ripam Tyberis extra mœnia, magnificis ornatam receptaculis ad merces excipiendas, commodisque mansionibus pro Ministrorum habitatione: alteram verò terrestrem in Foro nuncupato *Piazza di Pietra* inter rudera antiquæ Porticus, & Basilicæ, ut putant eruditi, *Antonini Pii* Imperatoris. Extant adhuc excelsæ, & marmoreæ Columnæ, & vetus ædificii corona, quibus novi Telonii frons maximè exornatur. *Portum Antii* propè *Neptunium* (locus nativitate Neronis, & Claudii Cæsarum maximè clarus) instauravit, atque Arce prævalida munivit. Alterum *Centum Cellarum* Portum insignibus ditavit privilegiis, vectigalibus remissis, donatisque Immunitatibus, & Regimen ejusdem Civitatis uni Præsuli Romanæ Curiæ primus adsignavit cum superintendentia Civitatis Cornetanæ (*d*). In eamdem Centumcellensem Urbem saluberrimas aquas invexit, & splendida in id extruxit emissaria. Ampla hæc ædificia cum varios per annos erexerit *Innocentius*, nedum Urbis nitori, atque ornatui prospiciens, sed etiam commercii dilatationi incumbens; alia ex parte ea, quæ luxuriæ, spectaculisque inserviebant ædificia, penitus disjecit, atque evertit. Sic *Theatrum Turris novæ*, quod *Tordinona* dicitur, propè Pontem Sancti Angeli, diruit, ac solo æquavit.

Ædificia ab eo constructa.

Forum Innocentianum.

Portus Neptunii.

Theatrum Turris novæ diruit.

Grandia hæc agebat *Innocentius* intra Septa dominii Ecclesiastici pro vitiis extirpandis, pro Ecclesiæ, & Pontificiæ ditionis utilitate; sed majora adhuc præstitit extra fines Italiæ pro Fidei, & Religionis incremento. Pacem, cujus jam fundamenta jecerat *Alexander VIII.*, cum Rege Galliarum *Ludovico XIV. Innocentius* absolvit. Multumque adlaboravit, ut inter ipsos Europæ Principes diuturno, ac pertinaci inter se bello dissidentes, optata tandem votis omnium pax firmaretur.

Pacem init cum Ludovico XIV. Galliarum Rege.

Jamque in Conventu Rysvvicensi postmodum inito pro eadem generali sanciendâ pace, plura ab Hæreticis Orthodoxæ Fidei intentata discrimina prudens avertit. Tantum enim apud ipsum Christianissimum Regem consilio, precibusque potuit, ut idem invictus Rex evicerit, quod in pactionibus ibi evulgatis expresse caveretur, ne Catholici in iis Urbibus, ac ditionibus, quas infelix temporum conditio Ætherodoxis addicebat, ab exercitio eorum Religionis abstrharentur; sed in iis

etiam

(*a*) Bulla Innocentii XII. XXVIII., quæ incipit. Ad exercitium pietatis.
(*b*) Bulla XLII., quæ incipit - In Supremo.
(*c*) Ex Archivo *Magistri* Ceremoniarum Pontific.
(*d*) Bulla XLIII., quæ incipit - In Supremo.

etiam Regionibus Acatholicis Principibus restituendis, Catholico-Romana Fides immota consisteret, prout hactenus stabili consuetudine recepta erat (*a*).

Eximia Laus Domini de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis.

Ingens (eximiâ cum laude) reverentiæ monumentum erga Romanam Sedem exhibuit Dominus *de la Mothe Fenelon* Archiepiscopus *Cameracensis*. Is enim licet tamdiu doctrinâ, & pietate claruisset, à quibusdam tamen rigidis ejus observatoribus, quos inter aderat æmulus ejus Benignus de *Bossuet Meldensis* Episcopus, incusabatur, quod in quodam ejus Libro, cui titulus = *Sanctorum Patrum Sententiæ* = nonnulla protulisset, quæ Molinosii, & Quietistarum doctrinam saperent. Res erat ad Romanam Sedem delata, ut supremo Papæ judicio ea concertatio dirimeretur. Post diligentissimam igitur biennio, & ultra assertorum excussionem, pluribusque institutis Theologorum consessibus, quibus ipse Pontifex præerat, tandem Papæ sententiâ liber iste damnatus fuit; sed Præsul iste præstantissimus humilitate certans, atque animi demissione, maximam sibi laudem adjecit, atque omnia fregit Adversariorum molimina. Doctissimus enim Archiepiscopus *Cameracensis* humiliter acquiescens Judicio Papæ damnavit, & ipse propria Scripta, palamque revocavit. Atque in Templo majore Cameracensi publicè ex suggestu Populum edocuit, ut juxta Sanctæ Sedis correctionem Librum suum reciperent (*b*). Contigit hoc factum anno 1699., sed hoc loco à nobis commemoratum est, quia diù hæsit Pontifex, diùque Romæ consultum fuit, an verè liber iste damnandus esset, & an genuinus sensus authoris Molinismo accederet. Hinc *Innocentius XII.* maximis illum laudibus commendavit, & litteras in forma Brevis ad eumdem dedit amorem redolentes, & Pontificiam existimationem; & si Papa longius supervixisset, majora profectò de eo cogitasset.

Discordiæ occultæ cum Leopoldo Cæsare.

Parum etiam abfuit, quin Pontificis amor, & fœdus amicitiæ cum Leopoldo Cæsare discinderetur. Aderat in Urbe Regius Austriacæ Domus Orator Comes *de Martiniz*. Hic Jura Imperii augere in dies, atque ampliare desiderans nonnulla Castra, & Feuda ditionis Ecclesiasticæ Cæsaris dominio subesse ajebat. Urgere etiam eos, qui Feuda possidebant, non destitit, ut Imperium recognoscerent, & Sacramentum Cæsari dicerent (*c*). Quæ res ut ad aures *Innocentii* pervenit, invicta constantia, atque animi firmitate, Edictum pervulgavit nomine Cardinalis Camerarii, quo omnia ditionis Ecclesiasticæ feuda à Romano Pontifice dependentia pronunciabantur, & si quæ vacantia existebant, Cameræ Apostolicæ devoluta declarabantur. Præterea datis

Comes de Montanitz Cæsaris Orator nonnulla Ecclesiæ Feuda Cæsaris Imperio subesse dictitabat.

Sed a Pontifice reprehensus a Cæsare revocatur.

Literis *Leopoldo* Cæsari, Oratorem suum graviter incusabat, quod Jura Ecclesiæ, simulque jura gentium fregisset. Urgebat etiam, ut sine cunctatione Orator ille revocaretur, & ex Urbe discederet; Cæsar, ut Sanctæ Sedi obsequens erat, Innocentii votis confestim paruit. Comitem de *Martiniz* revocavit, atque in ejus locum Comitem de *Lamberg* suffecit. Hic, ut in Cæsaris mandatis habuerat, omni Officiorum genere Pontificem percoluit, & ab illis vocibus abstinuit, quibs ejus Antecessor Romanam Sedem offenderat.

Nec minori sollicitudine, atque animi magnificentia Principibus Christianis Bello Turcico implicatis subsidio fuit. Retulerat in Hungaria anno 1691. invictus Belli moderator, Princeps *de Baden* insignem de Barbaris victoriam. Supra viginti millia hostium cæsa sunt propè oppidum, quod vocant *Salanchemet*. Spolia insuper ditissima, atque omnia tormenta bellica Cæsareo triumpho adjecta sunt. Anno 1692. *Varadinum* expugnatum, atque anno sequenti 1693. plura oppida in Hungaria superiori, Belli impetu capta, Reipublicæ Christianæ compendia in dies majora pollicebantur.

Victoriæ Christianorum in Hungaria.

Incerto tamen marte dimicatum fuit à Venetis sub Duce *Dominico Mocenigo*, tribusque annis ancipiti prælio actum fuit in Dalmatia sub altero egregio viro *Francisco Maurocena*, qui eodem tempore Princeps erat Reipublicæ, & Supremus Belli Imperator; quique magno suorum dolore obiit hoc anno 1694. Huic *Antonius Zeno* suffectus fuerat, qui postquam pluries classem Barbarorum munitissimam ad pugnam inutiliter lacessiisset, eamque ad Portum *Naupacti* relegasset; *Chium* Insulam in mari Ægæo florentissimam, subita incursione depræhndit. Plura etiam *Pheloponnesi* oppida Veneto adjecit Imperio (*d*).

Mors Francisci Mauroceni.

Chium Insulam Mari Ægeo a Venetii capta.

Infelix tamen Cæsareo exercitui sequens annus obortus est. Multitudo Barbarorum penè incredibilis maximam Hungariæ superioris partem invaserat. Novus ipse Turcarum Imperator *Mustafà II.* filius *Mehemethi IV. Taurunum* advenerat, ut ingenti Exercitui præesset, suisque animos adderet, eosque ad prelium incitaret. *Lippam* in Transylvania hostili incursione oppugnavit, omnemque Belli apparatum, & commeatum nostris ademit. Tristior tamen fuit propè *Lippam* pugna, in loco qui propriè *Lugos* dicitur (*e*) Ibi *Fridericus Veteranius* sex millia Equitum, & vix quatuor millia Peditum in Castris habebat. Hostium multitudo fermè triplex *Veteranium* deprehenderat, citatisque equis illum circumvaserat. Agminè inequali atrox certamen initum est. Supra decem millia hostium cæsa sunt,

Lippam Barbaris capta.

cum

(*a*) Ottieri Histor. suor. tempor. lib. 1. pag. 99.
(*b*) De Larrei Hist. Ludovici XIV. Tom. VII. pag. 136. Contin. de Mezerai pag. 540.
(*c*) Ottieri Histor. Europæ lib. 12.
(*d*) Adden. ad Platinam in Vita Innocentii XII.
(*e*) Adden. ad Platinam ubi supra.

cum vix mille, & quingenti è nostris perierint, diùque in manibus Cæsareorum victoria fuit; sed numero Barbarorum fermè obruti, multitudini paruerunt. *Veteranius* pluribus confossus vulneribus, iisque læthalibus, atque ex equo disjectus, omnem vincendi spem nostris eripuit. Alterum tamen equum ipse conscendit, suisque virtute & præsentiâ opitulabatur, sed novo recepto vulnere, statim occubuit, cruentam hostibus relinquens victoriam. Ipse capite obtruncatus fuit, idemque caput pro spoliis opimis ad Turcarum Imperatorem allatum fuit. (*a*) Sic uti vixerat, præclarè periit *Fridericus Veteranius* Urbinas, terror Barbarorum, Cæsareique exercitus decus, & ornamentum. Ingruentem tamen hostium superbiam repressit Saxonum Dux, & Elector, Bellique supremus moderator, qui pleniore exercitu in eos ferebatur, & ad pugnam provocabat; sed omnem novi certaminis occasionem declinavit Turcarum Imperator, relataque lætus victoria Bizantium rediit specie triumphantis.

Fridericus Veteranius, a Barbaris obtruncatus,

Eadem animi amstantia apparuit Christianus Exercitus anno 1696. sub eodem Saxonum Duce. Ancipiti tamen marte pugnatum fuit. *Themesvaria* à nostris obsidione cincta est, non tamen, ut ea potiri hoc tempore sperandum esset (munitissima enim erat, validoque præsidio tenebatur: Quinimo brevi obsidione soluta est), sed ut hostis abduceretur in casum universæ dimicationis. Varia etiam nostrorum oppida inutili experimento Barbari aggressi sunt, propitiam quærens quisque sibi occasionem pugnandi. Die tandem Augusti atrox initum est certamen non procul à dicta *Themesvaria*, idemque usque ad noctem protractum per tenebras intermissum est, dum pro Christiano Exercitu victoria inclinabat.

Sed ancipitem Belli fortunam erexit anno 1697. *Princeps Eugenius è Sabaudia*, qui in ipso Supremi sui Regiminis initio, hostes immanissimos & clade, & terrore vexavit. Non procul a *Petro Varadino* aciem ipse instruxerat. Trans *Tibisci* Flumen hostes in Castris erant prope oppidum, quod *Zenta* dicitur. Ut Cæsareos deprehenderet maxima pars Barbarici Exercitus Flumen trajecerat. Nec iter à nostris interceptus fuit, nec ullum transfretationi impedimentum est additum. Ut vero dimidia pars, & ultra hostilis agminis Flumen tranaverat, Princeps *Eugenius* rebus apte dispositis, aggressores aggreditur. Tanta illorum clades facta est, ut Turcarum supra triginta millia cæsa fuerint, cum vix mille è nostris perierint. Fremebat, & dolens suorum cædem intuebatur ex opposita Fluminis parte, quod reliquum erat hostilis exercitus. Manubiæ, calones, atque omnia Instrumenta Belli capta sunt. Hæc insignis victoria die 2. Septembris ex hostibus relata, iisque

Præclara Cæsareorum Victoria.

A in fugam actis, Hungariam metu liberavit, & Transilvaniam à Rebellium excursionibus in tuto posuit.

Interea Romanus Pontifex istis Reipublicæ Christianæ curis agitabatur, atque ærarii Pontificii, ut Principibus fœderatis auxilio esset, thesauros exhauriebat. Hoc anno tamen mortem ingemuit *Joannis III.* Poloniæ Regis Christiano nomini fœderati, Turcarumque domitoris invictissimi. Dies erat electioni novi Regis decretus. Sub dio, & in campis, ut solet B Populus ille martialis incertus ferebatur. Diutius propterea Regni Comitia dilata sunt. Sed inter potentissimos Contradictores, & Candidatos Rex omnium votis inauguratur *Fridericus* Saxonum Dux, Regio clarus sanguine, & virtute militari; felicior tamen ob ejuratos Luteranismi errores, fidemque Catholicam sponte susceptam. Hanc publice professus fuit priusquam Regni habenas susciperet. Eamque in manibus Christi in Terris Vicarii iterare non destitit cum sequenti Epistola, quam Cardi- C nalis Barberinus Polonici Regni Protector Romano detulit Pontifici.

Moritur Joannes Rex Poloniæ.

Eligitur Augustus Saxonum Dux.

Beatissime Pater.

PRævia humilissima, filialique reverentia, felicitatis, ac sospitatis incrementum. Jampridem intellexit Sanctitas Vestra Conversionis meæ mirabile opus, quod à pluribus annis mente conceperam: Divina adspirante gratia, eo tandem deductum fuisse, ut Catholi- D *cam fidem in manibus Carissimi, & Serenissimæ Domui meæ Cognati Christiani Augusti Episcopi Javarensis, ante aliquod tempus professus fuerim. Hanc declarationem, utpote de uno peccatore pænitentiam agente, gaudium attulisse non dubito Angelis Domini, ideoque Vestræ Sanctitati, cui pro sua in me paterna benignitate, gratum quoque erit intelligere eamdem Orthodoxam Fidem publice me contestatum fuisse postmodum Vratislaviæ in Silesia; prætereaque Sancti Evangelii sententiæ inni-* E *xùm dubitare non posse, eo quod veritatem Catholicam coram hominibus confessurum me quoque esse coram Patre eodem, & unigenito Dei Filio, ejusque in Terris Vicario, qui Testimonium hoc veritati, prout enixissime flagito, perhibere non dedignabitur. Annuat itaque Sanctitas Vestra, ut ea, quæ prius de conversione mea in aure audiverat, prædicentur in posterum super tecta ad solamen inclyti Regni Poloniæ, cujus Coronæ nuper mihi ab ejusdem Reipublicæ Ordinibus oblatæ, & nunc* F *intra breve tempus per solemnem Coronationis actum Capiti meo imponendæ, id ante submittere nolo, quam prius a Vestra Sanctitate præventus in benedictionibus dulcedinis; nemo sit, qui deinceps ambigat, Filium me esse obsequentissimum Sanctæ Sedis Apostolicæ. Quam sinceram veritatem ubi primum fieri potuerit, uti*

&

(*a*) Ubi supra.

& meum in Thronum ascendam, solemni pro more ablegatione quam citissime contestabor S. V., quod utrumque quidem eia me innotuisset, nisi moram prægnantissimæ causæ injecissent. Ad pedes demum S. V. devolutus me, & res meas instantissimè commendo, & permaneo.

Sanctitatis Vestræ.

Lobzovii prope Cracoviam an. Christi 1697.

Obsequentissimus Filius

Augustus Electus Rex Poloniæ.

A Libens atque animo prorsus gestiente nuncium tam mirificæ conversionis excepit *Innocentius XII.*, rescribensque Augusto Regi præ-

B conceptam plane lætitiam patefecit. Eum vero hortari, atque urgere non destitit, ut majore in dies constantia Catholico se præbeat nomini præsidium, & decus. Maximo interim gaudio Christiana perfusa est Respublica ob pacem hoc anno initam *in Conventu Rysvicensi* in Batavia inter Catholicos Principes tot ab hinc annis pertinaci inter se bello dissidentes. Anno deinde *1698.* altera subsecuta

Pax inter Principes Christianos

Altera pax cum Turcarum Imperio.

C est pax, quæ *de Carlovvitz* in Hungaria dicta est, quia prope hunc locum, sed in Campis, & sub tentoriis est inita. Die tamen *26.* Januarii *1699.* est evulgata, atque ad concordiam revocata sunt pervicacia bella, quæ contra Turcarum Imperium fovebat *Leopoldus Cæsar*, Moscorum fæderatus Imperio, item & Poloniæ Regi, & Venetorum Reipublicæ. Lætitia efferebatur *Innocentius* propter Christiani nominis propagationem, pacemque Europæ restitutam.

D Plura etiam præclare gessit internæ consulens Dominii Ecclesiastici felicitati, Justitiæ, & Religionis incremento. Solemnem indixit Reformationem omnibus Tribunalibus Romanæ Curiæ. Nedum Xenia, & munera, sed etiam propinas Judicibus prohibuit, easdem propinas solis permisit XII. *Viris* Rotæ Romanæ, Judicibusque Commissariis; nonnullos alios Judices, & Tribunalia suppressit, utpote inutilia, vel quæ ex abusu irrepserunt. Advocatis, cæterisque Causidicis honoraria, &

Innocentius reformat Tribunalia Urbis.

E mercedes constituit, aliaque istiusmodi præscripsit eximia, & sanctissima, quæ etiam per id temporis exequutioni demandantur, & sub nomine *Reformationis Innocentianæ* adimplentur *(a)*. Alia æque salubria sanxit pro Cleri, & Regularium reformatione. Prægrandem auri vim misit *Jacobo II.* Angliæ Regi, ut eum ad avita Regna reduceret. Ingentem pariter pecuniæ summam quotannis

Auxilia Jacobo II Angliæ Regi collata.

F pendebat pro alendis Missionariis, aliisque Evangelii Ministris in qualibet Orbis parte; atque uno die centum quinquaginta millium aureorum donavit Collegio Urbano de Propaganda Fide, ut ex eorum fructu Præcones Verbi Dei ad remotissimas Regiones profecturi, victum consequerentur. Hujus Pontificiæ liberalitatis memoria extat in Claustro superiori

Pecuniæ Missionariis datæ.

A ædium Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in hac, quæ sequitur, inscriptione.

INNOCENTIO XII. PONTIFICI MAXIMO
APOSTOLICIS MISSIONIBVS AD SINAS ÆTHIOPAS
FINITIMASQVE NATIONES AMPLISSIMA
CL. MILLIVM AVREORVM DOTE CONSTITVTA
LARGITORI MVNIFICENTISSIMO
ANNO SALVTIS MDCXCVII.

B Variis habitis enunciationibus triginta probatissimos viros in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexit. Tres verò reliquit Sedes vacuas in eodem Sacro Senatu; & novo jam adveniente anno = 1700. = Jubilæum sæculare indixit. Solet Urbs Roma eximia liberalitate, atque immani impensa turmas Peregrinorum undequaque affluentes excipere, & gratis alere. Majori sumptu paraverat *Innocentius* undè victum ministrare, & eleemosinis juvare posset egenos Romam adventantes; sed morbo correptus, apertis Ecclesiæ Thesauris, Portam tamen Sanctam Basilicæ Vaticanæ per se ipsum reserare non potuit;

Judicit Jubilæum Sæculare

C multo minus eamdem claudere valuit; nam obiit IV. Kalendas Octobris anni 1700.

Ægrotare incœperat pluribus antea mensibus. Quandoque tamen convalescebat; & tam magno, & fidenti erat animo, ut cohiberi non posset quin prodiret in publicum, dilectoque, & amantissimo Populo benediceret. Operabatur assiduè, ac si infirmus non esset. Pertinax hoc laboris studium ad mortem usque illi fuit. Ipso, quo mortuus est die, Chirographum subscripsisse ferunt *(b)* quo erogabat qua-

Ægrotatio Pontificis.

D draginta millium aureorum ad redimendos captivos, nec non pro solvendo residuo novi Palatii ad Hospitium Pauperum, etiam testamentum condidit, quo omnia sua mobilia vendi jussit, ut pretium Pauperibus distribueretur.

Obiit dicta die 27. Septembris anni 1700. annum agens 85., ejusque Cadaver, qua decuit funebri pompa delatum ad Basilicam Principis Apostolorum, triduo Populi venerationi patuit expositum; humilique conditum est

Mors Pontificis.

E sepulcro, quod minimo sumptu vivens sibi ipsi paraverat. Humilem quoque adjecit Epigraphem solum ejus nomen continentem. Eleganti oratione laudes ejus recitavit *Abbas Nicolaus Fortiguerra* nobilis Pistoriensis, qui postea claruit sub sequentibus Pontificibus, & inter Præsules adscriptus Romanæ Curiæ, optimè variis Magistratibus functus est.

F Ampla Innocentio frons erat, corpus procerum, ac validum, oculi vivaces, & nigri, aspectus modestus, vultus hilaris. Mores ejus continentia, & severitas, laboris aviditas, effusa in pauperes misericordia, studium Justitiæ, erga Principes obsequentia, & maxima ad gratias concedendas facilitas; ubi tamen de Fidei, & Sanctæ Sedis defensione agebatur, infracta constantia.

No-

(a) Bulla hujus Papæ XLIV., quæ incipit - Circumspecta -, & alibi in ejus Bullario.
(b) Palatius in vita Innocentii XII.

Nomina eorum Cardinalium, qui Comitiis Innocentii XII. adstiterunt.

EPISCOPI CARDINALES INNOCENTII X.

1 Alderanus Cybo Episc. Ostiensis, & Veliternus Decanus Sacri Collegii. è Massa Carrariæ.

ALEXANDRI VII.

2 Flavius Chisius Episcopus Portuensis Archipresbyter Basilicæ Lateranensis, & Signaturæ Justitiæ Præfectus. Senensis.

3 Jacobus Fransonus Episcopus Tusculanus. Januensis.

CLEMENTIS IX.

4 Palutius Albertonius de Altieriis Episc. Sabinensis S. R. E. Camerarius. Romanus.

5 Emmanuel Theodosius Bullionæus Episcopus Albanensis. Gallus.

PRESBYTERI CARDINALES INNOCENTII X.

6 Franciscus Maidalchinus Tituli S. Mariæ in Via. Viterbiensis.

7 Carolus Barberinus Tituli Sancti Laurentii in Lucina Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ. Romanus.

ALEXANDRI VII.

8 Gregorius Barbadicus Tituli Sancti Marci Episcopus Patavinus. Venetus.

9 Joannes Nicolaus de Comitibus Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ. Romanus.

10 Julius Spinula Tituli S. Praxedis Episcopus Lucensis Januensis mortuus in hoc Conclavi.

11 Joannes Delphinus Tituli SS. Viti, & Modesti, Patriarcha Aquilejensis. Venetus.

CLEMENTIS IX.

12 Nicolaus Acciajolus Tituli S. Calisti. Florentinus.

CLEMENTIS X.

13 Gaspar de Carpineo Tituli Sanctæ Mariæ in Transtyberim Sanctissimi Domini Nostri Vicarius Generalis. Romanus.

14 Cæsar Destræus Tituli Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio. Gallus.

15 Petrus Bonsius Tituli Sancti Eusebii Archiepiscopus Narbonensis. Florentinus.

16 Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Prædicatorum Tituli S. Sixti Archiepiscopus Beneventanus. Romanus.

17 Fridericus Columna Tituli S. Anastasiæ. Perusinus.

18 Franciscus Nerlius Tituli Sancti Matthæi in Merulana. Florentinus.

19 Hieronymus Casanate Tituli Sancti Silvestri in Capite. Neapolitanus.

20 Galeatius Marescottus Tituli SS. Quirici, & Julittæ. Romanus.

21 Fabritius Spada Tituli S. Chrysogoni. Romanus.

22 Frater Philippus Thomas Hovvard de Nortfolcia Ordinis Prædicatorum Tituli Sanctæ Mariæ supra Minervam Archipresbyter Sanctæ Mariæ Majoris. Anglus.

INNOCENTII XI.

23 Joannes Baptista Spinula Tituli Sanctæ Ceciliæ Januensis nuncupatus Cardinalis Sanctæ Cæciliæ.

24 Antonius Pignattellus Tituli Sancti Pancratii Archiepiscopus Neapolis = Electus Papa =. Neapolitanus.

25 Franciscus Bonvisius Tituli Sancti Stephani in Monte Cælio. Lucensis.

26 Savus Millinus Tituli Sancti Petri in Vincula Episcopus Urbevetanus. Romanus.

27 Fridericus Vicecomes Tituli Sancti Alexii Episcopus Mediolani. Mediolanensis.

28 Frater Raymundus Capisuccus Ordinis Prædicatorum Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum. Romanus.

29 Frater Laurentius Brancatus de Lauræa nuncupatus Ordinis Minorum Conventualium Tituli SS. XII. Apostolorum.

30 Jacobus de Angelis Tituli Sanctæ Mariæ in Ara Cœli. Romanus.

31 Opitius Pallavicinus Tituli Sancti Martini in Montibus Episcopus Spoletanus. Januensis.

32 Marcellus Duratius Tituli Sanctæ Priscæ Episcopus Carpentoractensis. Januensis.

33 Marcus Antonius Barbadicus Tituli Sanctæ Susannæ Episcopus Montis Falisci Venetus. Sanctæ Susannæ nuncupatus.

34 Carolus Cicerus Tituli Sancti Augustini Episcopus Comensis. Comensis.

35 Leopoldus Kolonitz Tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Episcopus Colocensis, & Bacchiensis. Germanus.

36 Stephanus le Camus Episcopus Gratianopolitanus. Gallus.

37 Joannes de Goessen Tituli Sancti Petri in Monte Aureo Episcopus Gurgensis. Germanus.

38 Petrus Matthæus Petruccius Tituli Sancti Marcelli Episcopus Æsii. Æsinus.

39 Frater Petrus de Salazar Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Tituli Sanctæ Crucis in Hyerusalem Episcopus Cordubensis. Hispanus.

40 Joannes Casimirus Denhoff. Tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam Episcopus Cæsenatensis. Polonus.

41 Frater Joannes Saenz de Aguirre Ordinis Sancti Benedicti Tituli Sanctæ Balbinæ. Hispanus.

42 Leander Colloredus Tituli SS. Nerei, & Achillei Sanctissimi Domini Nostri Pœnitentiarius Major. Foroliviensis.

43 Fortunatus Carafa Tituli SS. Joannis, & Pauli Episcopus Aversanus. Neapolitanus.

ALEXANDRI VIII.

44 Bandinus Panciaticus Tituli S. Thomæ in Parione. Florentinus.

45 Jacobus Cantelmus Tituli SS. Petri, & Marcellini, nunc Archiepiſcopus Neapolis. Neapolitanus. A

46 Ferdinandus de Abdua Tituli S. Clementis. Mediolanenſis.

47 Tuſſanus de Fourbin de Janſon Tituli S. Agnetis extra Mœnia Epiſcopus Bellovacenſis. Gallus.

48 Joannes Baptiſta Rubinus Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna Epiſcopus Vicentinus. Venetus.

49 Franciſcus Judice Tituli S. Mariæ de Populo. Neapolitanus. B

50 Joannes Baptiſta Coſtagutus Tituli Sancti Bernardi. Romanus.

Diaconi Cardinales Innocentii XI.

51 Urbanus Sacchettus Tituli S. Mariæ in Via Lata Epiſcopus Viterbienſis. Romanus.

52 Joannes Franciſcus Ginnettus Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano Archiepiſcopus Firmanus. Romanus.

53 Benedictus Pamphilius Diaconus S. Agathæ Signaturæ Gratiæ Præfectus. Romanus. C

54 Dominicus Maria Curſius Tituli Sancti Euſtachii Epiſcopus Ariminenſis. Florentinus.

55 Joannes Franciſcus Nigronus Tituli Sancti Cæſaræi Epiſcopus Faventinus. Januenſis.

56 Fulvius Aſtallius Tituli Sanctorum Coſmi, & Damiani. Romanus.

57 Franciſcus Maria Medices Diaconus Sanctæ Mariæ in Domnica. Florentinus. D

58 Raynaldus Eſtenſis Tituli S. Mariæ de Schala. Mutinenſis.

Alexandri VIII.

59 Petrus Ottobonus Tituli Sancti Laurentii in Damaſo S. R. E. Vice-Cancellarius. Venetus.

60 Carolus Bichius Diaconus S. Mariæ in Coſmedin. Senenſis.

61 Joſeph Renatus Imperiali Diaconus Sancti Georgii. Januenſis.

62 Aloyſius Homodeus Tituli S. Mariæ in Porticu. Mediolanenſis.

63 Joannes Franciſcus Albanus Diaconus Sancti Adriani. Urbinas.

64 Franciſcus Barberinus Diaconus S. Angeli in Foro Piſcium. Romanus.

65 Laurentius de Altieriis Diaconus S. Mariæ in Aquiro. Romanus (a).

Cardinales in hoc Conclavi abſentes, vel mortui.

1 Antonius Bichius Epiſcopus Præneſtinus. Senenſis.

2 Ludovicus de Portocarrero Tituli Sanctæ Sabinæ. Hiſpanus.

3 Michael Radzieouski Tituli Sanctæ Mariæ de Pace. Polonus.

4 Guillelmus De Furſtemberg. Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum. Germanus.

5 Veriſſimus de Alencaſtro ſine Titulo. Luſitanus.

Prima Cardinalium Promotio facta

AB

INNOCENTIO XII.

Die 12. *Decembris Anni* 1695.

1 Jacobus Antonius Morigia. Mediolanenſis. E

2 Sebaſtianus Antonius Tanarius. Bononienſis.

3 Jacobus Boncompagnus. Bononienſis.

4 Joannes Jacobus Cavallerinus. Romanus.

5 Ferdinandus Caccia Archiepiſcopus Mediolani. Mediolanenſis.

6 Balthaſſar Cincius. Romanus. F

7 Taddæus Aloyſius del Verme. Placentinus.

8 Frater Thomas Ferrarius Ordinis Prædicatorum. Mandurienſis.

9 Joſeph Sacripantes. Narnienſis.

10 Domnus Cæleſtinus Sfondratus Ordinis S. Benedicti. Mediolanenſis.

11 Frater Henricus Noris Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Veronenſis.

12 Joannes Baptiſta Spinula. Januenſis.

13 Dominicus Taurufius. Urbevetanus.

14 Henricus de la Grange de Arquiaù. Gallus

Ja-

(a) Omnes iſti Cardinales adſtiterunt Comitiis Innocen. XII., ut patet ex ejuſdem Innoc. XII. Conſtitutione, quæ prima eſt in ejus Bullario.



IACOBVS ANTONIVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS MORIGIA MEDIOLANENSIS
CREATVS DIE XII. DECEMBRIS M.DC.XCV.

Obyt die 8 Octobris 1708

Lud David Pinxit — *Arn Van Westerhout Sc.*

Romæ ex Chalcographia Dominici de Rubeis heredis Io. Iacobi ad Templ. S. Mariæ de Pace cum Priuil. Sum. Pont.

I.

JACOBUS ANTONIUS MORIGIA Mediolanensis sapientia nituit, & pietate. De pervetusta ejus Familiæ antiquitate plura Historici (*a*) scripserunt, incerta tamen, & suspecta. Satisque sit insigni ejus Nobilitati varia per sæcula Patricios inter Mediolanenses adnumerari, opibus, & affinitatibus claruisse, virósque in omni facultate egregios edidisse. Quos inter recensendus est alter Jacobus *Antonius* unus ex Fundatoribus Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli, quos

A Bernabitas vocant, ipsiusque Congregationis item Præpositus Generalis.

Patrem habuit Jacobus *Antonius Joannem Baptistam Morigiam*, Matrem vero *Angelam Porta*, ex quibus in lucem editus est die 23. Februarii anni 1638., sed in Baptismate *Joannis Hippoliti* nomen sortitus fuerat, quod postea immutavit, quum inter eosdem Clericos Regulares Sancti Pauli se recepit, in memo-

B riam præfati sui gentilis, qui illius Religionis decus fuerat, & ornamentum. Sub cura eo-

(*a*) Vide Paulum Morigia de antiquit. Mediolan. lib. 3. Petrum Crescentium in Amphit. Rom. Palat. in vita hujus Cardinalis.

rumdem Patrum Bernabitarum adoleverat, & ut pietatem non minus, quam doctrinarum fontes excoluerat, in ipso suæ juventutis flore, anno nempe 1651, eidem Regularium Congregationi nomen dedit; studiis emensis Philosophicis, & Theologicis, ipse ad alios erudiendos electus est in Collegio Papiensi, atque in aliis Civitatibus. Maxima cum laude docuit, eximiusque Lector sui Ordinis est habitus in eadem Philosophica, & Theologica facultate. Sacræ præterea eloquentiæ intentus, præclarus evasit Orator, concionesque ad Populum frequenter habuit maximè pias, & elegantes.

Ad prima hinc evocatus sui Ordinis munera ob memoriam præfati ejus Majoris, qui in illa Religione claruerat, & ob suæ commendationem virtutis, singulari rejecit humilitate omnia, quæ sæpius, munera illi oblata sunt. Respuere tamen non potuit, quæ *Cosmus III.* Etruriæ Magnus Dux amplissima illi obtulit Beneficia. In primis enim mortuo Patre *Leonellio* ex eodem Ordine Bernabitarum, *Morigiam* in ejus locum suffecit in munere sui Theologi, deinde eum præceptorem dixit Regii sui Filii, & Magni Principis Etruriæ. Demum licet invitum, & reluctantem Episcopatui præfecit Civitatis *S. Miniati*. Delatam recusavit quidem Dignitatem *Jacobus Antonius*; sed eum *Innocentius XI.* sub præcepto obedientiæ jugum Domini subire adegit. Quinimo vix anno elapso, quo Pastorale munus laudabiliter impleverat, ipso Etruriæ Magno Duce promovente, idem *Innocentius XI.* inscium, atque alia prorsus cogitantem Archiepiscopatui admovet Florentino, quem nuper Cardinalis *Nerlius* dimiserat. Indoluit *Morigia*, atque apud Magnum Ducem humili lamentatione conquestus est.

Decem & septem annis, quibus Florentinam rexit Ecclesiam, nulla Civitatis perturbatio, nullus Cleri, vel Populi clamor invasit. Omnia in pace dirigebat, atque in timore Domini Gregem sibi commissum erudiebat. Nobilium exceptus plausu, & præcipuo Pauperum cultus amore. *Innocentius XII.*, primum illi locum inter Cardinales à se promotos adscripsit. Citatisque equis ubi noctu Florentiam Nuncius advenit, è somno excitatus *Morigia*, qui nihil tale suspicabatur, graviter objurgare, & increpare cœpit Tabellarium, quod sibi jam seni, nec quidquam ambienti illudere auderet. Putabat enim, quod per irrisionem secum quispiam ageret; sed ubi ex literis sibi redditis de veritate novæ Dignitatis edoctus est, consilioque suorum Familiarium adjutus est, ne recens honoris fastigium, ut ex modestia solebat, respueret; novi Pontificis Beneficia ad Deum retulit authorem, opemque cœlestem, ut bene cœptis adesset, lacrymis obsecravit.

Die igitur 11. Decembris anni 1695. inter Presbyteros Cardinales relatus est sub Titulo *Sanctæ Cæciliæ*; Congregationibusque donatus fuit Immunitatis Ecclesiasticæ, Rituum, Indulgentiarum, & Propagandæ Fidei: Tantæ apud *Innocentium XII.* existimationis erat *Morigia*, ut illum sibi in Apostolatu successurum speraret. Hinc illis, quos ipse creaverat, Cardinalibus *Morigiæ* virtutem commendabat; ex quo obicem ejus exaltationi, æmulosque conflavit. Hinc Florentiæ Archiepiscopatum, ut dimitteret, urgebat: Quod quidem Cardinali *Morigiæ* molestum erat, nec patiebatur Florentinis, vel Magno Duci ingratus videri. Ægrè tamen illum dimisit; aliisque Ecclesiæ Beneficiis ditatus fuit, & Basilicæ Liberianæ Archipresbyter dictus est ab eodem *Innocentio XII.* Postquam vero Comitiis adfuit *Clementis XI.* ab eodem Summo Pontifice Ticini Episcopus electus est. Eadem Pastorali sollicitudine, ac vigilantia novam rexit Ecclesiam; sed ibidem paucos post annos interiit die 8. Octobris anni 1708., atque in illa Cathedrali sepultus est.



Se-



II.

A SEBASTIANUS ANTONIUS TANARIUS BONONIENSIS, Patrem habuit Marchionem *Joannem Nicolaum*, Matrem verò *Laurentiam Ghisilieriam*. Ex his primæ nobilitatis Parentibus Bononiæ in lucem editus est die *decima* Aprilis 1650., studia bonarum artium in Patria perquisivit, ibique Lauream Doctoralem adeptus est. *Bargellinum* Apostolicum ad Gallos Nuncium Lutetiam Parisiorum sequutus est. Deindè, ut Europam lustraret, exterosque mores addisceret, Belgium, Brittanniam, & Germaniam peragravit; Romam evocatus à Cardinali *Carpineo*, cui Tanarius affinis erat, legali incubuit facultati sub disciplina Advocati *Ursi* celebris in Urbe Jurisconsulti.

Sub *Clemente X.* inter Prothonotarios relatus est de numero Participantium. Deindè Bruxellas abiit Internuncius renunciatus, & plura Religionis negocia, ardua, & difficillima laudabiliter administravit. Missiones enim Apostolicas non solum in illis Regionibus propagavit, sed secreta quædam Pontificis mandata in Anglia absolvit. B Qua de re Londinum abiit, & cum *Jacobo II.* Angliæ Rege, qui ejuratis Lutheranismi erroribus fidem Catholicam profitebatur, gravia, & utilia Religionis negocia occulte egit.

An-

A Anno 1687. ab *Innocentio XI.* Coloniam Agrippinam Nuncius Apostolicus allegatur. Deindè sub *Alexandro VIII.* in eodem Legati Pontificii munere Regem adiit Lusitanum, Fascias deferens benedictas Brasiliæ Principi nuper nato. *Ab Innocentio XII.*, vix ad Apostolatum assumpto, Nuncius mittitur ad *Leopoldum* Cæsarem, cujus sibi gratiam quam maximè conciliavit. Arduam hinc Sanctæ Sedis, quam habebat, procurationem difficili præsertim tempore feliciter absolvit. Cæsareus Orator Princeps de *Liechtenstein* elato nimis B animo negocia apud Sanctam Sedem curabat Austriacæ Domus. Studio ardens *Tanarius* Ecclesiasticæ libertatis graviter reclamare, atque Cæsarem urgere non destitit, quousque cum dignitate Romani Pontificis non levia composita sunt, quæ in dies suboriebantur dissidia.

His,aliisque virtutum meritis commendatus *Tanarius*, ab eodem *Innocentio XII.* Presbyter Cardinalis assumptus est sub titulo *SS. Quatuor Coronatorum* die 12. Decemb. anni 1695. C Diviteque Abbatia Nonantulana in Agro Mutinensi donatus est. Congregationibus insuper adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini, Sacræ Consultationis, Rerum Consistorialium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei. Urbini etiam Legationem duodecim per annos laudabiliter obivit; ejusdemque Civitatis vacantem Episcopatum diù administravit. Titulum, quem nactus fuerat Cardinalitium, anno 1715. in Episcopatum immutavit optando Ecclesiam Tusculanam, anno demum 1721. D maximè contradicentibus *Cardinali Ursino*, & Cardinali Judice Sac. Collegii Decanatum obtinuit, & Episcopus Ostiensis dictus est. Præfectus etiam fuit Sacræ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, & Protector Hospitii S. Michaelis ad Ripam Tyberis.

Comitiis adfuit *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.*, sed postremi hujus Pontificis electionem non vidit. Obijt enim Sede vacante die 5. Maii anni 1724. ætatis suæ 74. Sepultus est in Ecclesia Patrum Car- E melitarum Discalceatorum *Sanctæ Mariæ de Victoria*, atque in tumulo suorum Majorum. *Alexander* verò Cardinalis Tanarius, & Marchio *Jo. Nicolaus* junior Fratres adhuc viventes, hanc, quæ sequitur, Epigraphen illi posuerunt.

D. O. M.

SEBASTIANO ANTONIO TANARIO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDIN.
EPISCOPO OSTIEN. SACRI COLLEGII DECANO
QVI VIXIT ANNOS LXXIV. MENS. III. DIE XIV.
MORTVO IV. NONAS MAII ANNI MDCCXXIV.
SED. VAC. SEBASTIANO ANT. EIVSDEM FRATRI
VTRIVSQVE SIGNAT. REFER.
PRIMA ÆTATE IMMATVRE DEFVNCTO
ANNO MDCXLVIII.
MARCHIO IO. NICOLAI SENAT. BONON.
ET LVCRETIÆ GHISLERIÆ FIL.
AC LAVRÆ CARPINEÆ CÆSARIS TANARI
AP. S. SED. BONONIENSIVM ORATORIS
CONIVGI CONCORDIS QVÆ VIXIT
ANN. LXXII. MENS. VII. ID. FEBR. AN. MDXCVI.
HIC IN FAMILIARI SEPVLCRO CONDITIS
ALEXANDER S. R. E. CARDINALIS DIACONVS
ET MARCHIO IO. NICOLAVS FRANCIOTTI
F. PROPATRVIS ET AVIÆ OPT.

Majus tamen decus *Sebastiano* Cardinali Tanario obvenit ex nova, quam BENEDICTVS XIV. apponi jussit, inscriptione in Atrio ante Sacrarium, sub marmorea ejusdem Cardinalis immagine, ut perenne in ipsum Cardinalem Pontificiæ amicitiæ extaret monumentum. Inscriptio vero est, prout sequitur.

D. O. M.

SEBASTIANO ANTONIO TANARI BONONIENSI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
QVI PRIMO BRVXELLIS INTERNVNTIVS
MOX APVD VBIOS LVSITANOS
ET LEOPOLDVM CÆSAREM
SEDIS APOSTOLICÆ NVNCIVS
AB INNOCENTIO XII.
INTER CARDINALES ADSCITVS EST
INDE LEGATIONI VRBINATENSI
EIVSQVE ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPALI
ADMINISTRANDÆ
DIV PRÆFVIT
DEMVM OSTIENSIS AC VELITERNVS EPISCOPVS
ET SACRI COLLEGII DECANVS
OBIIT ROMÆ IV. NONAS MAII MDCCXXIV.
ÆTATIS SVÆ ANNORVM LXXIV.
ET IN HAC ÆDE SANCTÆ MARIÆ DE VICTORIA
SEPVLTVS
BENEDICTVS XIV. P. M.
CIVI OPTIMO
ET AMICO BENEVOLENTISSIMO
MONVMENTVM POS.
PONTIFICAT. ANNO IV.



III.

JACOBUS BONCOMPAGNUS Bononiensis dienatus est 19. Maii anni 1653. in Insula, & Civitate *Soræ*, quam Jure Feudi possidet ejus prænobilis Familia. *Gregorii XIII.* Pontificis Maximi Atnepos erat; *Philippi* Cardinalis Abnepos, *Francisci* pariter Cardinalis, & Archiepiscopi Neapolitani Pronepos, *Hieronymi* vero Boncompagni, qui in Ecclesia Bononiensi ejus fuit Archiepiscopus Antecessor, ex Fratre Nepos fuit. Patrem habuit *Hugonem Boncompagni* ejusdem Soranæ Civitatis Ducem, nec non Arpini Dominum, & *Arcis Siccæ*, Marchionem *Vignolæ*, & Senatorem Bononiensem. Matrem verò *Mariam Ruffo* filiam Ducis *Bagnaræ*, & Patritiam Neapolitanam.

A

Ab infantia inter Equites Ordinis Hierosolymitani *Jacobus* adscitus fuerat, sed ut vitam Puer Ecclesiasticam inhiabat, hinc sub *Innocentio XI.* Romam venit, atque inter Præsules Romanæ Curiæ adscriptus est. Ab hoc Pontifice Gubernio Civitatis Urbevetanæ præpositus fuit. deindè evecto ad Apostolatus apicem *Alexandro VIII.*, statim Civitatis Firmanæ Vice-Gubernator est factus. Paucisque mensibus hoc genus Officii laudabiliter implevit. Nam vacante Bononiensi Archiepiscopatu, statim *Jacobus* huic insigni Ecclesiæ, tan-

B

quam

quam Civis, & de Ecclesia maximè meritus præficitur. Splendidè quidem vivebat, ut nobilem ejus conditionem decebat, sed majus impendebat studium, ut morum integritas, & severa vitæ Ecclesiasticæ disciplina undequaque effulgeret. In pauperes quippe effusissimus erat, morum correctioni studebat, Diœcesim lustrabat assiduè, & quò currum, aut equum adhibere prohibebatur ex asperitate viarum, pedes ibat. Cappellam ejus Gentilitiam in Metropolitana Bononiensi multipliciter ditavit, nitidisque marmoribus ornavit, & quatuor auxit Cappellaniis.

Die 12. Decembris anni 1695. ab *Innocentio XII.* inter Presbyteros Cardinales refertur in Diaconia *Sanctæ Mariæ in Via*, & Congregationibus adscribitur Rituum, Propagandæ Fidei, Episcoporum, & Regularium, nec non Sacri Concilii Tridentini Interpretum.

Splendidam nomine ejusdem *Innocentii XII.* Legationem obivit anno 1699. cum *Villelmæ Amaliæ* ex Ducibus *Brunsuicensibus* in Civitate Mutinensi obvius fuit; & uti de Latere Papæ Legatus, Cæsareas benedixit Nuptias, quas ipsa cum Josepho Rege Romanorum, qui fuit deindè Imperator, celebrabat. Regio fermè apparatu, ingentique pompa Legationem explevit. Nec absimili munificentiâ Poloniæ Reginam Bononiâ pertranseuntem excepit. Tumulum in Vaticana Basilica magnificè extruxit memoriæ *Gregorii XIII.* ejus Gentilis. Opus eximium ex pario marmore affabre exsculptum est manu celebris *Camilli Rusconi* cum hac inscriptione.

GREGORIO XIII. PONT. MAX.
IVSTITIÆ CVSTODI PIETATIS
CVLTORI RELIGIONIS VINDICI
ET PROPAGATORI IN VTROQVE ORBE
MVNIFICENTISSIMO
IACOBVS TITVLI SANCTÆ MARIÆ IN VIA
PRESBYTER S. R. E. CARD. BONCOMPAGNVS
ARCHIEP. BONONIÆ
ATNEPOS POSVIT ANNO SALVTIS MDCCXXIII.

Comitiis adfuit *Clementis XI.*, *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *&* *Clementis XII.* Diaconiam, quam ab initio nactus fuerat, immutavit, & in ordine Episcopali Albani Episcopatum obtinuit. Obiit die 24. Maii anni 1731. ætate annorum 78. mensium 10., & dierum 19. Funebria illi acta sunt in Ecclesia *Sancti Andreæ de Valle*, ibique ejus Cadaver depositi loco asservatum est, donec sequentibus diebus Bononiam translatum est, ut ipse supremis tabulis constituerat; atque in sepulcro suorum Majorum Gentilitio conditum est in Metropolitana Bononiensi propè *Hieronymum Cardinalem Boncompagni* Patruum suum, qui fuit pariter Archiepiscopus Bononiensis, ut dictum est.



JOAN-




IV.

JOANNES JACOBUS CAVALLERINUS EX GUARNERIO CAVALLERINO, ET VETURIA BONAVENTURA Nobilibus Romanis Romæ natus eſt die 16. Februarii 1639. Piè paterna in Domo educatus, deinde ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu ſtudiis liberalibus imbutus ſub *Alexandro VIII.* Præſulum Romanæ Curiæ amplexus eſt inſtitutum. Brevi Locumtenens Auditoris Cameræ renunciatus eſt, quo in munere annos viginti permanſit, & tanta quidem cum laude, ut maximam in foro exiſtimationem ſit conſequutus. Nonniſi ſub *Innocentio XI.* Auditor dictus eſt Rotæ Romanæ, pluresque per annos hoc etiam in Magiſtratu incorrupti, ac ſapientiſſimi Judicis partes omnes explevit. Tandem ſub *Innocentio XII.* Archiepiſcopus Nicænus, & Legatus ad Gallos eſt renunciatus. Legationem abſolvit ſine ulla querela, plurimiſque laudibus utrinque cumulatus.

Idem *Innocentius XII.* eum die 12. Decembris anni 1695. inter Purpuratos Patres adlegit sub Titulo *S. Bartholomæi*, & Congregationibus adscripsit Sac. Concilii Tridentini Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, & A Signaturæ Gratiæ. Præfectura etiam Signaturæ Justitiæ decoratus fuit. Romæ obiit die 18. Februarii anni 1699., qui erat ætatis suæ sexagesimus, & in Ecclesia Sancti Caroli de Cattinariis sepultus est.





FEDERICVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
CACCIA ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
MEDIOLANENSIS
CREATVS DIE XII. DECEMRIS M.DCXCV.

Obut die 13 Januari 1699 hora ottaua noctis.

Lud David Pinxit — *Benedictus Fariat Sculp*

Dominicus de Rubeis Heres Io. Iacob. de Rubeis formis Romę ad Templum S.M. de Pace cu Priu. S.P. et Sup. perm.

V.

FEDERICUS CACCIA Patria Mediolanensis, A origine Novariensis, Patrem habuit *Camillum Caccia*, Matrem vero *Ursulam Casati*. ex his Nobilibus Genitoribus in lucem editus est anno 1634. Piè enutritus, & sub disciplina traditus Patrum Societatis Jesu, Literas omnes perquisivit. Indè in Universitate Ticinensi Jurisprudentiæ sedulo incubuit; Lauream que Doctoralem est assequutus. Sic omnibus emensis Literarum studiis Mediolanum rediit, & Collegio adscriptus est Nobilium in ea Civitate Juristarum. Romam inde venit, & Advocatus Consistorialis dictus est. Inde inter Auditores Rotæ Romanæ locum uni ex Nobilibus Mediolanensibus reservatum, est assequutus. Demum Nuncius Apostolicus ad Hispanos renunciatur. Dumque varia hæc munia, & Magistratus laudabiliter implebat, va- B canti Archiepiscopatui Mediolanensi in Patria præficitur. Eum *Innocentius XII.* meritis, la-

laboribusque præclarum die 12. Decembris anni 1695. Sacro Purpuratorum Patrum Collegio adscripsit, atque inter Presbyteros Cardinales retulit sub Titulo *S. Pudentianæ*.

Adscriptus præterea fuit Congregationibus Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei. Ecclesiam A Mediolanensem egregiis moribus ornavit, legibusque saluberrimis emendavit. Sed brevi morbo impetitus occubuit die 13. Januarii anni 1699., laudesque ejus Oratione funebr. recitavit *Matthæus Buzzius*, atque in Cathedrali Mediolanensi sepultus est cum hac brevi Epigraphe.

FEDERICUS CARDINALIS CACCIA





TADDÆVS ALOYSIVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS DEL VERME PLACENTINVS CREATVS DIE XII. DECEMBRIS M.DC.XCV.

Obyt die 11 January 1717.

I. Blondeau Sculp

ex Officina Dominici de Rubeis Heredis Io. Iacob de Rubeis, Romæ ad Templ. S.tæ M.æ de Pace cum Priuil. S. P. et Sup. per.

VI.

THADÆUS ALOYSIUS DEL VERME Placentinus die nascitur 10. Maii an. 1641 ex *Jacobo del Verme*, & *Octavia Lupi Marchionissa Soragne*, & Patritia Parmensi. Prænobilis Familia *del Verme*, seu ex *Sabella* Gente descendat Romæ clarissima, ut aliis (*a*) visum est, vel ex alio quopiam vetusto Fonte suam deducat originem, pluribus certè ab hinc sæculis maximis fulget opibus, præclarisque affinitatibus.

Adeo *Thadæus* à pueritia proclivis erat ad pietatem, ut ad illam excolendam, divinumque cultum propagandum à natura editus esse videretur. Adeout Pater ejus spem omnem abjecerit illum ad militarem vitam inducendi, ut ab initio proposuerat. Novennis ab Episcopo Placentino Sacra Tonsura initiari voluit. Pubes deindè factus Mediolanum missus à Patre, Romam cœpit cogitare, eoque advenit anno 1665. ætatis suæ vigesimo quarto. Duorum in Urbe Roma præstantissimorum Cardinalium invenit patrocinium, *Hieronymi* nempè *Farnesii*, & *Marii Albericii* Neapolitani. Uterque Cardinalis *Thadæo del Verme* con-

(*a*) Palatius in Fastis Card. Tom. 2. pag. 116.

consanguinitate propinquus erat. Brevi tamen uterque morte præreptus est, sed utriusque munificentiam, quam eorum Testamento prætulerunt, Legati Jure Thadæus expertus est.

Viridi in hac ætate Fratrem equitem Sancti Stephani, & natu majorem amiserat, casu infelici in venatione cæsum. Equestri hinc eidem ordini adscribitur, & Commendam, seu Bailatum Placentinum, Primogenito ejus Familiæ reservatum suscepit. Feudi præterea *Sanguineti* in Agro Veronensi, & divitis suæ Domus majoratu in possessionem venit, quo factum est, ut cœptam in pauperes liberalitatem effusissime sit prosequutus. Solam egregiæ sobolis propagandæ spem Fratri natu minori reliquit. Ad Sacros ipse Ordines properavit, & quam animo proposuerat rigidissimam vitæ rationem, morumque austeritatem, eo magis arripuit.

Marius Albericius, quem supra nominavimus, Viennæ in Austria Nuncii Apostolici munere strenue fungebatur. *Thadæum* affinem suum accivit, ut familiari ejus consuetudine uteretur, tantamque morum innocentiam admiraretur. Anno igitur 1673. in Germaniam contendit. Ibi ægrotare incœperat *Albericius*, quo tempore ardua *Thadæus* Legationis Arcana direxit. Cum vero paulisper ipse Albericius convaluit, & Cardinalis à *Clemente X.* est renunciatus, Romam secum perrexit, annisque sequentibus eum immatura morte præreptum, ulnis excepit morientem, & Christianis juvit officiis; Hec pariter charitatis monumenta *Hieronymo* Cardinali *Farnesio* aliquot ante annis defuncto exhibuerat.

Vacaverat eo tempore Parmensis Episcopatus. Hunc Dux Farnesius *Thadæo* ultro obtulerat, atque ut jugum Domini subiret, serenissima illa Domus omni officiorum genere *Thadæum* hortabatur. Recusavit ipse, & cuncta incitamenta rejecit, nimis de viribus suis, ut ipse ajebat, diffidens. Tentatus etiam in Romana Curia similium Dignitatum oblatione, ab iis pariformiter abstinuit, viriumque imbecillitatem objecit. Edocti de hac ejus constanti renitentia nonnulli Theologi summa ope illi persuaserunt, ne Dei voces imposterum negligeret, sed ejus vocationi acquiesceret, manumque apponeret ad aratrum in Vinea Domini, ubi prima sese offerret occasio.

Vix hæc consilia ejus animum emolliverant, quod jussu *Innocentii XI.* Episcopatui Fani Fortunæ admovetur. Pontificis voluntati adstipulari cogitur, & rigidum illud vitæ genus, quod secreto semper adhibuit, ut aliis exemplo esset, omnibus patefecit. Mores Divi *Caroli Borromæi* præsertim sibi imitandos proposuit. Pedes ut plurimum suam lustrabat Provinciam. Qui in Ecclesiastica disciplina irrepserunt abusus sine satellite, & sine apparitore, quin etiam sine legibus emendavit; Patientia enim, humilitate, misericordia, & prudentia, proprioque exemplo Clerum sibi subjectum edocuit. Synodum tamen convocare non desiit, & Canones saluberrimos evulgavit. Inopes juvit assiduè non tam publicis, quam privatis largitionibus. Ut Orationi Divinisque precibus diutius vacaret, insomnes quandoque noctes ducebat; nec lectum petebat, sed in scamnis interdum cubabat, vel in Tabulis absque pulvinari.

Ut vero ejus sanctitatis fama percrebuit, auresque pulsavit *Innocentii XII.* ultroneo ejusdem Pontificis instinctu Presbyter Cardinalis assumitur sub Titulo *S. Alexii* die 12. Decembris anni 1695. consilium petiit ipse à Præposito Societatis Jesu, suoque Confessario, an licite posset Purpuræ nuncium remittere? Quibus objicientibus meritum obedientiæ, obmutuit, & amplissimam Dignitatem humilitate, ac mansuetudine decoravit. Præterea Congregationibus adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Rituum, & Visitationis Apostolicæ. Et cum Fanensem Ecclesiam moribus ordinasset sanctissimis; ad Imolensem Episcopatum translatus est. Eamdem ibi vivendi austeritatem est prosecutus, atque idem Populis sibi subjectis, præcipuè vero Ecclesiasticis, exemplum præbuit. Summo manè evigilabat quotidie, nec negocia impendentia assumebat, nisi incruentum Missæ Sacrificium absolvisset. Anno Jubilæi 1700., tantum auri contulit Peregrinis Romam petentibus, ut currum, equosque vendiderit, pedes per Urbem incedens. Hospitium præterea in suo Palatio Episcopali aperuerat, in quo Sacerdotes peregrinos excipiebat, eademque Mensa cum ipsis utebatur. Die sequenti incruentam Hostiam litabant, & recepta eleemosyna incœptum iter prosequebantur.

Quam vero Episcopalem vitam ipse semper abhorruerat, quam suis meritis digniorem reputabat, eamdem Dei consilio usque ad ultimum vitæ spiritum agere coactus est. Ex Imolensi Ecclesia ad Archiepiscopatum Ferrariæ iterum transfertur, ut hanc quoque celeberrimam Diæcesim moribus intaminatis, sanctissimisque legibus emendaret. Huic præfectus fuit Ecclesiæ à *Clemente XI.* anno 1701., quo Cardinalem *Fabricium Paulutium* Ferrariæ Episcopum ad munus Secretarii Status obeundum acciverat. Sexdecim per annos vigili, qua solitus erat sollicitudine, novum Pastorale munus exercuit. Arduo præsertim tempore, quo Civitas angebatur ob fluminum eluviones, ob exterorum exercituum invasiones, ob luem pecudum exitiosam, mirifica *Thadæi del Verme* emicuit vigilantia. Publicas indixit supplicationes, in quibus ab scondita ut solebat Cardinalis veste, habituque pænitentis superimposito, cæteris exemplo fuit; Divinamque justitiam placavit. Synodum cœgit, Diæcesim lustravit, Cathedralem, quæ nunc ad Metropolitanæ Dignitatem evecta est, magno sumptu reparavit. Anno demum 1716. licet gravem in morbum incidisset, invictum ab oratione, & à laboribus

animum non relaxavit. Donec die 11. Januarii 1717. ætatis suæ spatium complevit. Pauperes, & Ecclesiam suam æquis partibus ex Asse hæredes instituit. Publicus emersit dolor, publicaque mæstitia, ubi hujus acerbæ mortis fama percrebuit. Laudatus fuit in funere ab Archipresbytero *Hieronymo Baruffaldio.* V.CL., ejusque Corpus ad Cathedralem Ecclesiam delatum, ibique honorificè conditum fuit cum hac inscriptione, quam sibi ipse modestissimè composuerat.

D. O. M.
VERMIS DE VERME VERMIBVS VIXIT
MATER ET SOROR MEA VOS ESTIS
A ITEMQVE AIT VERMIS SVM ET NON HOMO
QVIA FIGVRA HOMINIS FACTA EST
VMBRA MORTIS
HVNC SIBI SEPVLCRI TITVLVM POSVIT
THADÆVS S. R. E. CARD. DE VERME
FERRARIEN. EPISCOP.
III. ID. IANVARII MDCCXVII.
DEFVNCTVS
CANONICI TANTÆ MODESTIÆ OBSEQVENTES
B VT CÆTERA MORVM POSTERI
CONJICERENT P. P.

Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus *Clemens XI.* fuit renunciatus.



BAL-



BALTHASSAR S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS CINCIVS ROMANVS
ARCHIEPISCOPVS, ET PRINCEPS FIRMANVS
CREATVS DIE XII. DECEMBRIS MDC.XCV.
Obyt die 20 May 1709.

Ioseph Passarus Pinx — *Benedict' Farjat Sc*

Dominicus de Rubeis Heres Io Iacobus de Rubeis ad Templum S. M. de Pace cum Priuil. S.P. et Sup perm.

VII.

BALTHASSAR CINCIUS Romanus die natus est 28. Februarii anni 1648. ex *Virginio Cincio*, & *Victoria Verospia* Patriciis Romanis. *Tyberio* alteri Cardinali *Cincio* affinis erat, quem *Innocentius X.* in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexerat. Hæc vetustissima Familia, plures alios enumerat meritis, ac titulis præstantes viros, præsertim verò *Johannem X.* Summum Pontificem. (*a*) Studiis Literarum Balthassar impensam à pueritia navavit operam in Collegio Romano Societatis Jesu. Enixius tamen Jurisprudentiæ incubuit, adeout sub *Clemente IX.*, quum inter Præsules Romanæ Curiæ fuit cooptatus, brevi cæteris anteivit, & singulari claruit nominis celebritate. In Congregatione Fabricæ Divi Petri locum nactus est, ut in illa suffragium ferret; & Judex illiusmet Congregationis est renunciatus.


Ab *Innocentio XI.* Pro-Legatus Avenionensis efficitur, plurésque per annos ibi consedit, præsertim verò quo tempore gravissimæ Gallorum discordiæ circa Jura Regaliarum fervebant: aliique conatus Cleri Gallicani an. 1682. Pa-

(*a*) Ciacconius in Vita hujus Pontif.

Parisiis congregati struebantur. Hostiles Gallorum Turbæ Comitatum Venaissinum, totumque Avenionensem Principatum invaserant. *Cincius* in Abbatiam *S. Pontii* ejusdem Ditionis Avenionensis priùs se receperat, protestatione renovata anathematis adversus milites irruentes. Mox in Nicæam Galliæ Narbonensis Civitatem secessit; ubi amicitia usus est, ac familiaritate *Caroli Thomæ Turnonii*, quem postea *Clemens XI.* sub Cincii disciplina ad grandia quæque eruditum, Visitatorem Apostolicum cum potestate Legati de Latere ad Sinas, Indosque Orientales allegavit. Nicææ Cincius privatam vitam egit toto *Innocentii XI.* Pontificatu, & usque ad electionem *Alexandri VIII.*, à quo dissidiis compositis Papæ redditum est Patrimonium, & Cincio Civitas restituta, cum libero Legationis exercitio. Magna hinc eidem laudis accessio facta est, ejusque consilium, & prudentiam, nedum prædicti Summi Pontifices, sed ipse Galliarum Rex probavere.

Assumpto demum ad Petri Solium *Innocentio XII.*, Romam Cincius revocatur, ejusque Cubiculo Pontificio præficitur, & Larisseo Archiepiscopatu donatur. Die indè 12. Decembris an. 1695. inter Presbyteros Cardinales refertur; nonnisi tamen, quam die 11. Novembris anni 1697. enunciatus fuit; Titulumque nactus est *S. Petri in Monte Aureo*, quum toto hoc tempore in pectore Pontificis servatus fuerit. Ferrariensi etiam Episcopatu insignitur, quem, ne aeris insalubritate læderetur, ad preces ejus Consanguineorum in alterum Firmi Archiepiscopatum immutari impetravit. Anno 1698. Firmanæ Ecclesiæ possessionem adivit, magnoque Civium, & Plebis plausu exceptus est; ita nedum exigente ejus fama virtutis, verum etiam Ecclesiæ diuturna vacatione, quæ post mortem Cardinalis Ginnetti septimum jam in annum protracta fuerat. Cleri reformationi, præcipuè verò Sacerdotum, & Parochorum, vehementer incubuit. Eorum scientiam in audiendis Confessionibus, atque in erudiendo Grege iis commisso maximè investigavit; præsertim in Visitatione, quam habuit suæ vastæ Diœceseos. Eosdem Clericos sacris initiandos, aut sanctimonialium Confessionibus præficiendos, aut ad animarum curam promovendos suo sumptu aluit; Æde in id designata sub optimi Sacerdotis, quem delegerat, disciplina. Verum cum ne hoc satis quidem sibi esse videretur, anno 1702. Congregationem Presbyterorum, quam Missionis dicunt, in Urbem Firmanam invexit. Optimis iis Sacerdotibus peramplas ædes extruxit, idoneosque redditus constituit. Nobilibus etiam adolescentibus sub cura Patrum Societatis Jesu Seminarium aperuit. Alterum Archiepiscopale Seminarium Beneficiis auxit Ecclesiasticis. Hinc pietatem ubique promovit, & Dei cultum propagavit;

Frugali cibo, parvoque somno utebatur, sibi soli severus cilicio aliisque macerationibus debile corpus affligebat. Anno hinc 1708. graviter ægrotare incœperat. Pastoralia tamen Officia, admodum licet fatigatus, numquam intermisit; sed Pthisi, qua premebatur, ingravescente, anno 1709. diem suæ dissolutionis adesse intellexit, obiitque serenâ fronte, constantique in Deum fiducia die 26. Maii ejusdem anni 1709. ætatis suæ 61. Magnifico elatus est funere in Ecclesia Firmi Metropolitana, amplius tamen virtutibus præmium ipsi obvenit ex Populi luctu, publicaque mæstitia; atque in ejusdem Ecclesię sacello propè Portam Majorem Sanctæ Mariæ Virgini dicato sepultus est absque ullo funebri elogio, & solo signo Rubri Galeri supra sepulcrum apposito. Comitiis adfuit, in quibus *Clemens XI.* electus est. Congregationibus adscriptus erat Sacri Concilii Tridentini Interpretum, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, & Sacrorum Rituum. Plura alia de hoc insigni Cardinali congessit doctissimus Præsul *Alexander Borgia* ejus in Firmano Archiepiscopatu Successor, in illius vita nondum publici Juris facta, ex qua nonnulla excerpsimus.





FR.THOMAS MARIA S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS FERRARI ORD.PRÆDICATORVM
MANDVRIENSIS
CREATVS DIE XII.DECEMBRIS M.DC.XCV.
Obijt die 20 Augusti 1710

L. David Pinxit — *Benedictus Fariat Sculp.*

Dominicus de Rubeis Heres Io. Iacob. de Rubeis formis Romæ ad Templum S.M. de Pace cum priu. S.P. et Super. perm.

VIII.

THOMAS MARIA FERRARIUS Mandurienſis propè Hydruntum in Regno Neapolitano, die natus eſt 20. Novembris anni 1649. ex honeſtis, ſed pauperibus Parentibus. *Antonius Franciſcus* Pater ejus vocabatur. Mater verò *Victoria Bruni* (*a*) A piis hiſce Genitoribus Chriſtianam edoctus Fidem, Religioni, Diviniſque rebus impensè incubuit, quibus à natura addictus eſſe videbatur. Vitam arripere Eccleſiaſticam avidiſſimè concupibat, & puer adhuc imaginem Deiparæ Virginis dietim venerabatur in Eccleſia Mandurienſi Domini- A canorum; Hinc anno ejus XV. inter Confratres Ordinis Prædicatorum adſcriptus fuit. Acutiſſimi adoleſcens erat ingenii, & ſponte ſua ad doctrinam adipiſcendam incitabatur. Undè cum humili in illo loco majora ſtudia deſideraret; Neapolim miſſus eſt, ut in Cœnobio Sancti Spiritus ad literas, & ad eruditionem intentum animum eo magis adjungeret.

B Ætatem nactus idoneam Sacerdotali dignitate ornatus fuit, & in eadem Civitate Philoſophiam docuit in celebri Collegio S. Thomæ

Aqui-

(*a*) In relationibus Hiſtorici s Arcadiæ Tom. primo pag. 58. Palatius in Vita hujus Cardinalis.

Aquinatis. Mox vero promovente Cardinali Imperiali juſſu *Innocentii XI.* Bononiam mittitur ſtudiorum Rector, ut primariam ibi PP. Prædicatorum Cathedram moderaretur. Quod rectè præſtitit *Ferrarius* adeout pietatis, & virtutis fama celeberrimus haberi cœperit. Quare ab eodem *Innocentio* XI. Romam evocatus Magiſter dicitur Sacri Palatii Apoſtolici poſt Cardinalis *Capizzucchii* ad Cardinalis dignitatem promotionem; & cum graviſſimum in morbum incidiſſet Pater *Recanati* ex ordine Cappuccinorum Sancti Franciſci, munuſque ſibi commiſſum Concionatoris Apoſtolici explere non poſſet; *Ferrarius* imparatus, & brevi paucorum dierum intervallo, nitidos adeo ſermones habuit coram Papa, Purpuratiſque Patribus, ut Sancti, & graviſſimi Oratoris nomen meruerit. Hoc genus Officii laudabiliter exercuit uſque ad *Alexandri VIII.* Pontificatum, in quo *Pater Candiottus* minorum Obſervantium ad hoc munus Apoſtolicum electus fuit.

Evecto demum ad ſupremum Sacerdotium *Innocentio XII.*, qui dum Bononiæ de Latere Legatus moraretur familiari uſus erat *Ferrarii* conſuetudine, ejuſque noverat eruditionem, illum die 12. Decembris anni 1695. inter Presbyteros Cardinales retulit ſub Titulo *S. Clementis*. Eum præterea adjecit clarioribus Urbis Congregationibus, nempè Sancti Officii, Epiſcoporum, & Regularium, Sacri Concilii Tridentini, Rituum, Examinis Epi-

A ſcoporum, & Indicis Librorum prohibitorum; fructibus etiam Eccleſiaſticis decenter auctus eſt; Abbatia præſertim S. Bartholomæi in Galdo Diœceſis Beneventanæ.

Nova ampliſſima dignitas veteres *Ferrarii* mores non immutavit. Religioſum vivendi genus, quo hactenus uſus fuerat, & regulam ſui Ordinis Prædicatorum, accuratè implevit. Eruditioni vero impenſius incubuit, & ab *Innocentio XII.* in gravioribus Eccleſiæ controverſiis adhibitus eſt. Vindex Eccleſiaſticæ Im-

B munitatis, ſapienter ſcripſit de materia Regaliarum, & conatus, & quæ in vulgus mittebantur dicteria illorum Epiſcoporum repreſſit, qui anno 1682. Comitiis Cleri Gallicani adſtiterunt: Has autem *Ferrarii* lucubrationes nonnulli rigido examine notarunt, præſertim vero aliqui ex ipſo Dominicanorum Ordine ſumma cum libertate contempſere. Non jure tamen, quia *Ferrarii* ſcripta nec levem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Sacrorumque Canonum peritiam, nec vulgarem doctrinam redole-

C bant.

Vaticanis adfuit Comitiis, in quibus electio contigit *Clementis XI.* Die tandem 20. Auguſti anni 1716. laboribus, anniſque confectus occubuit. Ejus corpus humatum fuit in Eccleſia Dominicanorum Sanctæ Sabinæ, quam ex Aſſe hæredem inſtituit, brevemque juſſit cum ſolo ejus nomine Inſcriptionem apponi, ut quam vivens profeſſus fuerat, moriens etiam humilitatem exhiberet.





I X.

JOSEPH SACRIPANTES Narnienſis Patrem habuit *Hyacinthum Sacripantem*, *& Victoriam Sanali* nobiles illius Civitatis, in qua natus eſt die 19. Martii anni 1642. Maximè à pueritia ad ſtudia Literarum Joſeph proclivis erat. Hinc ut iis impenſam navaret operam, viridi in ætate Romam venit, iiſdemque ènixè incubuit vivido ingenio, & cura, ac diligentia ſingulari. Tota vero mente Juriſprudentiam percoluit, ex qua ſupremas dignitates, & ſacram Purpuram eſt aſſequutus.

Ut vero intima Legalis facultatis arcana luſtraret, apud *Hieronymum Priulum* in Rota Romana Venetum Auditorem, Forenſes quæ-A ſtiones, & practicas controverſias perdidicit. Hinc mortuo eodem *Priulo*, ipſe in Foro cauſſas egit, & magni nominis Advocatus emerſit. Evulgata idcircò illius dexteritate, ac doctrina, eum *Innocentius XI.* anno 1683. inter Advocatos Conſiſtoriales motu proprio adſcripſit. Anno deindè 1687. ad munus Subdatarii illum promovit; Canonicum præterea dixit Baſilicæ Lateranenſis. Anno inſuper 1688. Abbreviator de Curia efficitur; atque ultimo illius Pon-B tificatus tempore aliquamdiu etiam Auditoris Papæ vices geſſit, dum Præſul *Arrighius*, qui à cognitionibus erat Pontificis, graviſſimo morbo diſtineretur.

Mor-

Mortuo eodem Venerabili Servo Dei *Innocentio XI.*, ab illius Successore *Alexandro VIII.* confirmatur in munere Subdatarii, & Secretarii Congregationis Avenionensis, & Lauretanæ. In iisdem porro muneribus confirmatur etiam ab *Innocentio XII.*. qui eum præterea adhibuit in aliis gravioribus negociis, ac præsertim in celebri Urbis Tribunalium reformatione; atque idem Pontifex quum anno 1695. *Fabronium* renunciasset Secretarium Congregationis de Propaganda Fide, *Sacripantem* accivit ad munus præcipuum Secretarii supplicum Libellorum. Eodemque anno 1695. die 12. Decembris, eum inter Purpuratos Patres evexit sub Titulo *Sanctæ Mariæ Transpontinæ*. Illum præterea Congregationibus adjecit Concilii, Propagandæ Fidei, Episcoporum, & Regularium, Rerum Consistorialium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Signaturæ Gratiæ, & Disciplinæ Ecclesiasticæ. Eidem etiam Congregationi de Propaganda Fide Præfectus fuit; ac Præfectus etiam Congregationi Concilii; præterea Protector Hospitii Apostolici S. Michaelis ad Ripam Tyberis; Protector Regni Scotiæ, ac totius Ordinis Carmelitani, & Græci Collegii. Titulum S. Mariæ Transpontinæ immutavit in alterum *S. Praxedis* die 3. Martii 1721., & fuit Prior Presbyterorum.

Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus *Clemens XI.* ad Pontificatum assumptus fuit, quo electo Datarii munus laudabiliter implevit, toto tempore diuturni illius Pontificatus. Comitiis etiam adfuit *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.*, sub quo diem clausit extremum gravis ætate, & laboribus die 4. Januarii anni 1727. sepultusque est in Ecclesia S. Ignatii in sacello, & propè Aram S. Josephi, quam vivens magnificè extruxerat, & dotaverat sibi, & suæ consulens Agnationi cum sequenti Inscriptione.

D. O. M.

IOSEPH S. R. E. CARDIN. SACRIPANTES
CLEMENTIS XI. PONT. MAX. PRODATARIVS
ET S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
PRÆFECTVS
SANCTO IOSEPHO PATRONO SVO
SACELLVM CENSV ANNVO
DIVINÆ REI QVOTIDIE FACIENDÆ
CONSTITVTO SIBI SVISQVE SEPVLCRVM
POSVIT ANNO DOMINI MDCCXII.



DON CŒLESTINVS MONACHVS ORD. S. BENEDICTI
S.R.E PRESBYTER CARDINALIS SFONDRATVS
MEDIOLANENSIS
CREATVS DIE XII. DECEMBRIS M.DC.XCV.
Obijt die 4 Septembris 1696 hora quarta noctis

L. David Pinxit. *Bened. Fr. et Sculp.*

X.

DOMNUS CÆLESTINUS SFONDRATUS Mediolanensis *Gregorii XIV.* Romani Pontincis Pronepos, & *Pauli* alterius Cardinalis *Sfondrati* ex Fratre Nepos, ex pervetusta Mediolanensi Familia natalem adspexit diem anno 1644. Patrem habuit *Valerianum* Comitem *della Riviera*. Duodecimo ætatis anno à Parentibus in Germaniam mittitur, & Rosaci ad Lacum Acronianum sub disciplina Patrum Sangallensium in contubernio aliorum Nobilium adolescentum pietati, & studio doctrinarum impensè incubuit. Sub cura dictorum Patrum valdè in Literis profecit. Hinc grati animi instinctu, & Religionis amore, ut inter Mona-
A chos illius præclari Ordinis reciperetur flagrantissimè postulavit. Libentius receptus fuit, & biennio, quo Tyrocinium posuit, morum innocentia, & cupiditate discendi cæteris anteivit. Nondum Sacerdotali Caractere insignitus fuerat, quando in alteram celebrem Campidonensem Abbatiam traductus fuit, ut ibi
B publicè Theologiam doceret. Domum inde revocatus in ipsa Abbatia Sancti Galli Lector renunciatus, nedum Theologiam, sed & Jus Canonicum interpretatus est. Atque adeo utilem muneri sibi commisso navavit operam, ut plures in omni facultate dederit eruditissimos discipulos. Quos vero in eruditione, &

in

in studio literarum Auditores imbuerat, eosdem in Religiosæ vitæ exercitiis (superiorum jussu) optimè instituebat; sed ut jam peculiaris ejus eruditionis rumor percrebuerat, hinc facile evenit, ut à domesticis parietibus in publicam arenam evocaretur. Etenim Salisburgensis Universitatis Lector assumitur, ut publicè Jus Canonicum edoceret. Tanta erat ejus Auditorum frequentia, ut aula illius Lycæi, quamvis perampla, vix tamen sufficeret turmæ Discipulorum, undequaque affluentium. Emerserant ea tempestate, ac præcisè anno 1682. celebres illæ quatuor Propositiones Cleri Gallicani, quibus Romani Pontificis, & Sanctæ Romanæ Sedis auctoritas multipliciter impetebatur. Episcopus Salisburgensis pro sua in SanctamSedem reverentiâ eidem Universitati Salisburgensi istas propositiones damnandas commisit. Obtigit veritatis propugnandæ gloria *Cœlestino*, qui nobilem edidit Librum, cui titulus *Regale Sacerdotium*, ubi a calumnia Pontificiam Dignitatem strenuè, ac eruditè vindicavit. Alterum etiam edidit Librum, cui Titulum adjecit = *Gallia Vindicata* = in quo ipsam Galliam ab hujuscemodi erroribus curans vindicare, & Immunitatem Ecclesiæ asseruit, & Regaliæ causam optimè egit.

Ab Universitate Salisburgensi idem Abbas Sancti Galli *Cœlestinum* advocat, eumque *Rosacum* nobili curæ animarum præponit. Ibi ipse Parochi munus obeundo, ad Populum Germana lingua declamavit, atque omnia officia vigilantissimi Pastoris explevit. Otii interea insolens, subsecivis horis cursum Philosophicum composuit, typis postea Sangallensibus excusum.

Iterum à suis Superioribus è *Rosaco* ad Monasterium *S. Galli* advocatur, & Vicarius dicitur Generalis ejusdem Abbatis *S. Galli*. Prudentiam, ac sollicitudinem Religionis promovendæ, studium quoque instaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ ita exhibuit *Cœlestinus*, ut populus etiam illius vastæ Diœcesis eum tamquam Patrem veneraretur.

Interea *Innocentius XI.* maximus tanti viri æstimator ipsum licet invitum, & reluctantem, vacanti Novariensi Episcopatui admovit; sed dum Pontificis obsequens imperio Novariam adire parat, mors contigit ejusdem Abbatis *S. Galli*, atque unanimi illorum Patrum suffragio hujus insignis Monasterii Abbas eligitur. Dimisso itaque Episcopatu (ipso Romano annuente Pontifice) Abbas, & Princeps creatur; hoc in munere nihil de pristino in Sanctam Sedem studio remisit, & Jura Abbatiæ feliciter asseruit. Præterea in studio literarum semper assiduus, plures alios edidit Libros inferius enumerandos. Hos nocturnis ut plurimum horis elucubraverat; nam publici sui muneris nihil nè oblitus Abbat em se quotidiè, & Principem ostendit. Vastissimam Diœcesim visitavit; saluberrimis editis Legibus, mores Subditorum correxit, & passim Germanico idiomate ad Populum conciones habuit, non in Basilica *S. Galli* dumtaxat, sed in vicinis etiam Paræciis. In pauperes misericors, in sontes severus, & sui psius rigidissimus observator.

Innocentius XII. virum hunc omnibus ornatum virtutum meritis die 12. Decembris anni 1695. inter Purpuratos Patres adscripsit, eumque, deposita *S. Galli* Abbatia, Romam advenientem titulo decoravit *S. Cæciliæ*. Præterea Congregationibus eum adjecit Sac. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Indicis Librorum prohibitorum, & Sacrorum Rituum. Vix tamen Romam pervenerat, quum adversa cœpit valetudine conflictari. Ejus ægrotatio octavum in Mensem protracta, quum in dies ingravesceret, brevi ad extremum vitæ discrimen adductus est. Pœnarum satis perpessus, & sacris ritè munitus, piè obiit die 4. Septembris anni 1696. ætatis suæ 52. Ei tamen, qui Princeps, & Abbas fuit ditissimi Monasterii, sumptus defuit funeris, adeò Religiosæ paupertatis Custos permanserat. Expensis Cameræ Apostolicæ sepultus fuit in Ecclesia ejus Titulari Sanctæ Cæciliæ, in qua ejus Patruus jacet *Paulus* Cardinalis *Sfondratus*, & sequens Cælestino apposita fuit inscriptio.

CÆLESTINVS TITVLI S. CÆCILIÆ
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS SFONDRATVS
MISERRIMVS PECCATOR
ATQVE EIVSDEM VIRGINIS HVMILIS SERVVS
AD CVIVS PEDES HIC HVMILITER REQVIESCIT
VIXIT ANNOS LII.
OBIIT PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS
ANNO MDCXCVI.
ORATE DEVM PRO EO.

Libri, quos Cælestinus Cardinalis Sfondrati evulgavit, sunt, qui sequuntur.

Gallia Vindicata.
Regale Sacerdotium.
Legatio Lavardini.
Historia Nepotismi.
Nodus Prædestinationis dissolutus.
Regalia exentrata, & explosa.
De probabilitate.

Libri ejusdem, nondum evulgati, nec integrè absoluti.

Meretrix Babilonica, seu animadversio contra pestilentem Librum Heiddegeri Tygurini.
De Atheismo.
In Jus Canonicum Libri tres. (*a*)

FRA-

(*a*) Palatius in Fastis Card. vol. 5. Gregorius Ioseph Eggs in Purpura docta edita anno 1714.



X I.

FRATER HENRICUS NORISIUS Veronensis insigne ornamentum nedum Patriæ suæ celeberrimis Scriptoribus quacumque ætate clarissimæ; sed Reipublicæ Literariæ, imo & superioris sæculi decus & lumen. Omnigenam, discretamque eruditionem feliciter complexus est, vividumque ejus ingenium nullis se finibus concludi passum in singula voluit pervagari; atque Oceanum imitatus litora omnia fluctibus alluentem, in omnes eruditionis campos pervasit. Impiger in disquirenda temporum ratione, ut ejus *Epistola Consularis*, & *Dissertationes de anno*, & *Epochis Syro Macedonum* abundè declarant. Doctissimus in Theo-

A logica disciplina, ut *Vindiciæ Augustinianæ* ostendunt, & dissertatio de *uno ex Trinitate passo*, item, & *Janseniani erroris calumnia sublata*, & ubique ejus egregia scripta præseferunt. In quibus non sola Theologia illa effulget, quæ *Scholastica* nuncupatur, quæque quandoque ab inutilibus contentionibus, & methaphisicis subtilitatibus distrahitur, & contorquetur, sed uberior, & elegantior dominatur Theologia, utpotè quæ Dei verbo, nempè Sacra Scriptura, traditione, Conciliis, B Pontificum, & Patrum dictis maximè nititur; & à Dialecticorum dumetis semota, ad campi liberioris spatia revocatur; felix in loco-

rum

rum descriptione, in sacrâ prophanâque geographiâ, & Historia, in Inscriptionum, & Numismatum usu versatissimus.

Henricus Norisius die natus est 29. Augusti anni 1631. ex honestis Parentibus, nempè ex *Alexandro Norisio*, qui librum de *Bellis Germanicis* eruditè conscripsit, & ex *Catherina Manzana*. Cum sacra lustrali aqua ablutus fuit, *Hieronymi* nomen acceperat. Ut primum per ætatem licuit, vividumque ejus emersit ingenium, *Melchiori Mazzoleno* viro egregio erudiendus traditur, indè in ætate annorum 15. Ariminum mittitur in Collegio Patrum Societatis Jesu, ubi Rhetoricam hausit, & Philosophiam.

Norisius non ex eo tantum proficiebat, quod ex Præceptorum ore prodibat, sed avidus addiscendi optimos ipse Libros volutabat assiduè, atque in iis αὐτοδίδακτος abditos eruditionis fontes inquirebat. Quotidiana Sanctorum Patrum delectabatur lectione, præsertim verò Divi Augustini. Hinc hujus insignis Doctoris amore incensus, Religiosum Augustinianorum Institutum amplexus est; relictoque Hieronymi nomine *Henricus* vocari voluit. Ipso primo probationis anno, dum inter novitios moratur, cuncto ferè Augustinianorum Ordini patuit præclarum ejus ingenium. Patuit etiam ipsi totius Ordinis Præposito Generali, qui *Norisium* ad Urbem Romam accersivit; ibi in studiis eloquentiæ avidè versabatur, fretus præcipuè familiaritate, atque amicitia *Christiani Lupi* Augustiniani, viri eruditissimi, & de sacris Literis optimè meriti.

Citò emenso scientiarum curriculo, quas pius ille Ordo suis Asseclis præscribit, tradendæ ipse Philosophiæ per biennium præficitur. Indè viridi in ætate annorum 27. Pisaurum mittitur Theologiæ Præceptor, quod & Perusiæ item præstitit. Patavium tandem petit in eodem munere Magistri Theologi. Hosce per annos, quibus Philosophiam, & Theologiam docuit, doctrinam S. Augustini Parentis sui, censuris injustè impetitam, cupiens vindicare, tria illa composuit Opera nempè = *Historiam Pelagianam*; *Dissertationem de Synodo V. Oecumenica*, *& Vindicias Augustinianas*.

Ut verò ferè semper solet evenire, quod livor, & invidia insectetur virtutem, hinc factum est, quod de hisce operibus malè nonnulli obloquebantur. Arduam Gratiæ doctrinam erroneè ab Authore traditam ajebant. Ipse Inquisitor Fidei, qui Patavii morabatur, vetuit, ne liber evulgaretur, nisi Romæ universalis Inquisitionis approbatio præcessisset. Erat tunc Assessor ejusdem Romanæ Inquisitionis celebris *Hieronymus Casanate*, qui postea fuit amplissimus Cardinalis. Is *Henrico Norisio* persuasit, ut ipsemet Romam petens, obortas in Libri censura difficultates dilueret. Obtemperavit *Norisius*, præsensque scripto & voce rigidas animadversiones facile superavit. Tantamque gratiam apud eumdem *Hieronymum Casanate* nactus est, ut eo promovente, à *Clemente X.* Summo Pontifice *Qualificator S. Officii* fuerit renunciatus.

Patavium lætus revertitur, libroque feliciter evulgato, magna illi laudis accessio fuit. Invidia tamen penitus non obmutuit, quinimò non defuere quamplurimi obtrectatores, qui iniqua in dies interpretatione ejus scripta detorserint, atque perstrinxerint.

Sed inter *Norisii* laudatores aderat præcipuè *Antonius Magliabechius Cosmi III.* Etruriæ Magni Ducis Bibliothecarius. Cynicus iste vir, celebris memoria admirabili, & perpetua lectione Librorum, quos nocturna, diurnaque versabat manu, omni ope *Cosmo III.* persuasit, ut Norisium Florentiam arcesseret. *Magliabechii* consilium probavit optimus ille Princeps, & Literatorum æstimator acerrimus. Facilè idcircò obtinuit, ut *Norisius* Florentiam peteret, nec recusavit ipse, quum hac viâ latiorem studiis campum sibi patere intelligeret. Theologus ergo ejusdem Magni Ducis est renunciatus, & Præceptor *Johannis Gastonis* illius filii, Etruriæ Principis, qui postea Magnus Dux etiam evasit. Publicus item Historiæ sacræ Professor in Universitate Pisana effectus fuit.

Pisis legere cœpit frequentissimis Auditoribus anno 1674., quo tempore *Jacobus Gronovius* ab eodem Magno Duce ad ipsam Universitatem Pisanam Professor accitus erat. Magna inter utrosque egregios viros necessitudo intercesserat, & in eodem Cœnobio S. Nicolai convivebant. Hoc eodem anno acrem *Patri Francisco Macedo* ex instituto Minorum Observantium responsionem paravit *Norisius*, atque edidit, quam *Adventoriam* nuncupavit. Nam *Pater Macedo* in Accademia Patavina Ethices interpres offensus fuerat, quod in Historia Pelagiana Norisius affirmasse, *Vincentium Lerinensem*, *& S. Hilarium Arelatensem* Semipelagianis erroribus infectos fuisse, antequam Semipelagianorum hæresis damnaretur. Viriliter accusationem refellit Norisius.

Non multo post dissertationem evulgavit *de Numismate Imperatoris Diocletiani*, *& Maximiani*, atque alteram *de Nummo Liciniani Licinii Augusti*, & tertiam postremo addidit *de votis decennalibus*. Anno demum 1681., alterum egregium opus in vulgus edidit inscriptum *Cenothaphia Pisana*, ubi luculenter declarat, quid indicent monumenta Pisis existentia, sive Inscriptiones, quibus *Caii*, *& Lucii* Cæsarum memoria est consecrata; atque utriusque Cæsaris vitam, gesta, annuasque eorumdem Inferias exponit. Aliquando etiam licet invitus, nec nisi sæpius lacessitus, suis obtrectatoribus respondit. Hos inter Parisiis aderat celebris Pater *Harduinus*, qui eum palliato nomine, libellisque in vulgus editis sine nota Authoris hostiliter insectabatur. Curabat Norisius contentiones silentio premere, sed eo magis ejus patientiâ *Harduinus* abutebatur. Hinc non in abscondito, ut in more erat ejus Adversarii, sed palam *Harduinum*

aggreditur Norisius in Libello, cui titulum adjecit *Paræneſis ad virum clar. Jo. Harduinum*. Diù tunc ſiluit obtrectatorum turba. Diùque maledica ſcripta lucem effugerunt.

His, aliiſque in dies operibus Rempublicam Literariam, nomenque ſuum ornabat *Henricus* ab invidis quidem laceſſitus, ſed à bonis omnibus præcipuo cultus honore, longumque eſſet hominum, ea tempeſtate eruditione præſtantium, Catalogum texere, qui eum ſtudiis omnibus proſequebantur. Hac ſorte contentus *Noriſius*, nil amplius in votis habebat, B quam actuoſam in Libris vitam inſumere. Oblatas Dignitates conſtantiſſimè recuſavit, præcipuè Epiſcopatum Piſtorienſem, cui *Coſmus III.* eum præficiendum curaverat. Haud aliter incitamenta rejecit *Clementis X.*, & *Innocentii XI.* Summorum Pontificum, qui eum Romam evocabant, ut in aliis præclariſſimis Urbis muneribus illius Doctrina uterentur. Stimulos iſtis Pontificibus adjiciebat *Chriſtina* Svecorum Regina, & Literatorum fautrix aſſidua, irrito tamen labore; ſed evecto ad C Apoſtolatus apicem *Innocentio XII.*, decrevit omninò, ut tantus vir negociis Sanctæ Sedis admoveretur. Maxima Pontificem hujus rei invaſit cupido, utque hominis ingenium noverat, *Coſmo III.* Magno Etruriæ Duci palam fecit, ut abſque cunctatione Romam vir tantus accederet; Et ſi novas necteret moras, aut excuſationes interponeret, præcepto ſe illum coacturum ſignificat. Venit ille tandem, ſed maximè dolens de erepta ſibi, aut ſaltem præpedita, ut ajebat, ſtudiorum ſuorum occaſione. D

Omnibus amoris atque exiſtimationis indiciis exceptus ab *Innocentio XII.* pronam illi obedientiam, obſequiumque devovet. Se ſuaque ſtudia illi offert. Hoc unum ſupplex rogat, ut à publicis muneribus ſe abſtinere, publiciſque Magiſtratibus abeſſe ſinat. Hinc ultro oblatam Præfecturam Apoſtolici Sacrarii, quæ poſt mortem Patris *Euſanii* vacaverat, iterum reſpuit. Sed è vivis erepto celebri *Schelestratio*, qui Vaticanæ Bibliothecæ primus erat Cuſtos, hæc etiam dignitas illi E defertur. Novum hoc officii genus libens admiſit *Noriſius*, utpote quia & dignitatis plurimum contineret, & propter ſelectorum librorum commoditatem, maximam cum literis affinitatem haberet. Nonnulli tamen ejus æmuli veteres accuſationes inſtaurabant, ejuſque libros licet communi plauſu ubique receptos, Janſeniano Dogmate infectos inſimulabant. Id porrò in cauſa fuit, quod iterum, & tertio prædicti ejus libri ad ſupremæ Inquiſitionis Tribunal delati, totidem etiam vicibus F (quod raro aut numquam id ipſum contigit), nedum ab erroribus immunes, ſed maxima commendatione digni habiti ſunt. Tantamque apud *Innocentium XII.* æſtimationem invenerant, ut iterum, atque iterum obſtrepentibus ejus adverſariis omnem altercandi anſam penitus ademerit, atque ut ejus

A criminatores prorſus obtunderet, die 12. Decembris anni 1695. illum inter Presbyteros Cardinales retulit ſub Titulo *S. Auguſtini*. Hoc fuit ultimum *Innocentii* reſponſum libellis illis, qui in dies prodibant, nec amplius ejus Cenſores oblatrare auſi ſunt.

Lætitia geſtiverunt omnes literatorum ordines, & præcipue Cives Veronenſes, qui anno 1696. ejus Familiam inter Patricias illius ampliſſimæ Civitatis cooptarunt. *Noriſius* vero novam Cardinalitiam Dignitatem non honoris, ſed oneris loco habuit. Pluribus enim adſcriptus Congregationibus, omni ſtudio illis incubuit. Idque adamuſſim *Henrico* evenit, quod perſæpè ſolet accidere iis, qui de Clauſtro ad Cardinalatum evocantur, ut tanta diſtractus varietate negociorum, quorum jejunus in ſcenam advenerat, & ſtudia reliquerit domeſtica, & multiplici obrutus curarum diverſitate, iis ſeſe imparem fore ſenſerit. Reverà nullus poſt Cardinalatus adeptam dignitatem ejus in lucem emerſit liber; Et licet Congregationibus, quas nactus fuerat, aſſiduus eſſet, ex illis tamen & fatigatus, & moleſtia affectus ut plurimum diſcedebat. Poſtquam Sac. Purpura ornatus fuerat, ardua illi Provincia fuit demandata à *Clemente XI.* ſuper reformatione Kalendarii, de qua antequam promoveretur, diſſertationem ediderat inſcriptam = *De Paſchali Latinorum Cyclo* = & alteram = *De Cyclo Paſchali Ravennate* = Alios illi *Clemens XI.* adjunxerat egregios viros, quos inter aderat celebris *Præſul Franciſcus Blanchinius Veronenſis*, & *Quarteronus* publicus in Urbe Matheſeos Profeſſor; At res licet diutius protracta, & in pluribus Congregationibus perpenſa, infecta tamen remanſit.

Poſt mortem Cardinalis *Caſanatæ*, ad Præfecturam Bibliothecæ Vaticanæ aſſumptus fuit; ſed ejus corporis conſtitutio jam declinare inceperat. Ab anno 1699. laborare cœpit ophtalmia, à qua tamen brevi ſuæ redditus eſt ſanitati. Ab hoc tamen morbo liberatus in aliud gravius incidit, nempè in Hydropem, à qua graviter correptus ab an. 1700. ad 1703. ægram, atque imbecillam traduxit vitam. Decem tamen menſes integros ſæviora morbi incommoda invicta tulit animi fortitudine. Donec ſacris piè, ſancteque munitus, obiit die 22. Februarii anni 1704. Elatus fuit in Eccleſia S. Auguſtini, quæ erat ejus Titularis, ſolemneſque Exequiæ habitæ ſunt à S. Collegio illic præſente, Tumuloque hæc addita fuit inſcriptio.

FRATRI HENRICO NORISIO VERONENSI
ORDINIS AC TITVLI S. AVGVSTINI
PRESBYTERO CARDINALI
S. R. E. BIBLIOTHECARIO
AVGVSTINIANA EREMITARVM FAMILIA
THEOLOGO CHRONOLOGO HISTORICO
B. M. P.
HENRICO MONVMENTVM INGENS SESE EXPLICAT
ORBIS
PHÆNICVM AD LITTVS LITTOREAB HESPERIÆ

INSCRIBVNT TVMVLO QVIDQVID DVXERE PERENNI
ÆRE ARGENTO AVRO SÆCVLA ET HISTORIA
NORISIO MINOR EST TITVLVS TV GRANDIOR ESSE
AVGVSTINE POTES PAR TVMVLO TITVLVS
OBIIT VIII. KAL. MARTII
ANNO ÆRE CHRISTI MDCCIV.
ÆTATIS LXXIII.
EX A. D. IV. KAL. SEPTEMBRIS.

A

Pluribus in locis, variisque orationibus laudatus fuit in funere. Augustinianorum Veronensium Familia statuam illi ex marmore posuit, ut *Norisius* vivens *Panvinio* fecerat. Fuit Norisius statura procerus, oculis vivacibus, lata fronte, facie longa, colore ad fuscum accedente. Congregationibus adscriptus fuit Sac. Concilii Tridentini, Indicis Librorum prohibitorum, Rerum Consistorialium, Propagandæ Fidei, Episcoporum, & Regularium, & Sac. Inquisitionis. Comitiis adfuit, in quibus *Clemens XI.* Romanus Pontifex est renunciatus. Ejus opera avide ubique Terrarum excepta, sæpius etiam recusa sunt. Ultimo loco quatuor in Tomos digesta Typis edita sunt Veronæ à Fratribus de *Ballarinis*. Hæc vero præclara opera eodem, quo in hac impressione edita sunt, ordine à Nobis describuntur.

B

C

TOMO I.

Historia Pelagiana.

Dissertatio Historica de Synodo V. OEcumenica, in qua Origenis, ac Theodori Mopsuesteni Pelagianæ scholæ Doctorum justa damnatio exponitur, & Aquilejense Schisma describitur.

D

Vindiciæ Augustinianæ, quibus S. Doctoris scripta adversus Pelagianos, ac Semipelagianos à recentiorum censuris asseruntur.

Adventoria P. Francisci Macedo, in qua de Inscriptione Libri S. Augustini de Gratia disseritur.

Responsiones P. Francisci Macedi adversus propositiones Parallelas Fratris Jo. à Guidicciolo ab Annibale Riccio collectæ.

E

Confutatio Palinodiæ sub nomine P. Henrici Noris publicatæ.

Responsa P. Francisci Macedi adversus Gerras Germanas Germanitatum Cornelii Jansenii, & Henrici Noris.

Huic accedit confutatio Pseudo Epistolæ sub nomine P. Henrici Noris per dolum publicatæ.

F

TOMO II.

Annus, & Epochæ Syromacedonum in vetustis Urbium Syriæ nummis, præsertim Mediceis, quinque Dissertationibus expositæ.

Fasti Consulares Anonymi è manuscripto Bibliothecæ Cæsareæ deprompti.

Dissertatio ad eosdem Fastos.

Epistola ad V. C. Antonium Pagium de nummo Herodis Antipæ.

Dissertatio de Paschali Latinorum cyclo annorum LXXXIV.

Dissertatio de Cyclo Paschali Ravennate annorum XCV.

Epistola Consularis, in qua Collegia LXX. Consulum ab anno Christianæ Æpochæ XXIX. usque ad annum CCXXIX. in vulgatis Fastis hactenus perperam descripta corriguntur, supplentur, & illustrantur.

Dissertatio de Numismate Imp. Diocletiani, & Maximiani.

Dissertatio de Numismate Liciniani Licinii Augusti.

Dissertatio Cronologica de Votis Decennalibus.

TOMO III.

Cenotaphia Pisana Caii, & Lucii Cæsarum Dissertationibus illustrata, in quibus Coloniæ Juliæ Pisanæ origo, vetusti Magistratus, & Sacerdotum Collegia; Cæsaris utriusque Cenotaphii Latinitas demonstratur. Cum parergo de annis Regni Herodis, de Præsidibus Syriæ, ac Romanis in Asia Provinciis.

Historia controversiæ de uno ex Trinitate passo.

Apologia Monachorum Scythiæ.

Anonymi scrupuli circa veteres Semipelagianorum sectatores evulsi, & eradicati.

Responsio ad Appendicem Authoris Scrupulorum, Janseniani erroris calumnia sublata.

Censura in Notas Jo. Garnerii ad Inscriptiones Epistolarum Synodalium XC. & XCII. inter Augustinianas.

Somnia quinquaginta Frat. Macedi in Itinerario Sancti Augustini post Baptismum Mediolano Romam excussa.

Parenesis ad V. C. Jo. Harduinum.

TOMO IV.

Historia Donatistarum ex Norisianis Schedis excerpta in ordinem digesta, & suppleta.

Appendix ad eamdem Historiam, seu Lectiones Norisianæ habitæ in Accademia Pisana.

Historiæ Gothescalcanę Synopsis.

De Sanctitate Syricii Papæ Dissertatio.

Corrigenda, & addenda ad Historiam Pelagianam Epistolæ variæ.

Appendix ad Norisii editionem; seu observationum in Sacra Norisii Opera Libri tres.

Defensio Norisianæ dissertationis de Synodo V. adversus P. Garnerium.

Vitam Cardinalis Norisii nonnulli alii exararunt, à quibus non pauca excerpsimus: Nempè Italice celebris vir *Franciscus Blanchinius*: Latinè verò Pater *Hieronymus Zazzerius Augustinianus*. *Jo. Palatius* in Vitis Cardinalium, & Fratres de Ballarinis Veronenses Operum Norisii editores.



IO. BAPTISTA SPINVLA S.R.E. PRESBYT.
CARDINALIS ET CAMERARIVS
IANVENSIS
CREATVS DIE XII. DECEMBRIS M.DC.XCV.
Obiit die 19. Martij 1719

Io Baptista Gaulli pinx. — *Benedictus Fariat Sculp.*

Dominicus de Rubeis Heres Io. Iacob. de Rubeis formis Romę ad Templum S. M. de Pace cum priu. S. P. et Super. perm.

XII.

JOANNES BAPTISTA SPINULA dictus Cardinalis S. Cæsarei ex Diaconia, quam nactus fuerat, Genuæ natus est die 3. Augusti anni 1646. Nepos erat ex Fratre *Julii* Cardinalis *Spinulæ*, quem *Joannes Baptista* impubes sequutus fuit, quum ad Cæsarem Nuncius Apostolicus Viennam in Austria missus fuit. Tantamque apud ipsum Cæsarem gratiam adeptus erat, ut ejus Cubicularius honoris, ac proindè Eques aureæ clavis fuerit renunciatus; sed sub Patrui disciplina emenso jam studiorum curriculo, Patrui ipsius exempla sequutus, Romam redux Præsul Romanæ Curiæ renunciatur in Pontificatu *Clementis* X. Variis Ditio-

A nis Ecclesiasticæ Civitatibus laudabiliter præfuit in munere Gubernatoris, nempè Tyburis, Fani Fortunæ, & Asculi. Mox inter Præsules relatus fuit, qui in Congregatione Sac. Consultationis suffragium ferunt. Indè Præceptor dicitur Sancti Spiritus in Saxia. Ex quo munere, ad aliud insignius Secretarii ejusdem Congregationis Sacræ Consultę ab *Alexandro VIII.*, vix ad Apostolatum evecto, tradu-

B ctus fuit.

Hoc in Officio tantam sibi Justitiæ, & in coercendis criminibus severitatis famam adjunxit, ut vacanti Gubernio Urbis suffectus fuerit; atque hac de causa huic muneri præfe-

ctus

A ctus est, ut abusus, qui irrepserant, ex clementia, nimiaque facilitate alterius *Joannis Baptistæ Spinulæ* ejus Agnati, opposita ejus austeritate compesceret. Uterque Cardinalis ejusdem nominis, ejusdemque Familiæ alter ab *Innocentio XI.*, alter vero ab *Innocentio XII.* creatus, ob nominis similitudinem à nonnullis confunditur; & quia coævi, eodemque tempore Cardinales fuerunt; solo Cardinalatus titulo sunt distincti. Primus enim Cardinalis *Sanctæ Cæciliæ* dictus fuit, secundus vero, de quo nunc scribimus, Cardinalis *Sancti Cæsarei* est appellatus. B

Prævisâ igitur Joannes Baptista, & morum corruptioni necessaria usus est severitate in administrando Gubernatoris Urbis imperio. Nulli pepercit crimini, reos insectatus est etiamsi Magnates, etiamsi Regiis Ministris addictos, undè nonnullorum sibi peperit invidiam; sed communem sibi existimationem adjunxit, & hac via Romæ libertatem restituit. Die igitur 12. Decembris 1695. magno bonorum omnium plausu Cardinalis dicitur in Diaconia, C quam diximus *Sancti Cæsarei*. Bononiam indè de Latere Legatus proficiscitur, ubi consueta integritate Provinciam gubernavit; sed aeris expertus insalubritatem, de reditu cogitavit. Honorificè à Romano Pontifice revocatus fuit, quum arduum illi munus Quæstoris, seu Camerarii S. R. E. injunctum est. Romam redux in recta novi muneris administratione totus fuit. Ærarium Pontificium restituit, & abusus evellit, qui ex injusta consuetudine irrepserant.

Congregationibus adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini, Sacræ Consultationis, Fabricæ S. Petri, Ecclesiasticæ Immunitatis, & Propagandæ Fidei. Protector insuper fuit totius Ordinis Cappuccinorum, & Monachorum Sancti Benedicti, qui de Monte Oliveto dicuntur. Protector etiam Hospitii Apostolici Sancti Michaelis ad Ripam fluminis. Anno demum 1719. graviter podagræ doloribus cruciatus interiit die 19. Martii, annum ipse quum ageret 72, menses 7., & dies 16. Magna funebri pompa ejus Cadaver elatum fuit in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Minorum Conventualium, indè translatum fuit ad Ecclesiam S. Andreæ Patrum Jesuitarum, quam de Novitiatu appellant; ubi propè sepulcrum Julii Cardinalis *Spinulæ* Patrui sui honorificè conditum est cum hac Epigraphe sequenti.

D. O. M.
IOANNES BAPTISTA CARDINALIS SPINVLA
S. R. E. CAMERARIVS
PATRVI CINERIBVS MORTALITATIS SVÆ
SOCIATO DEPOSITO
AMOREM TALI VIRO DEBITVM
VEL MORTVVS TESTATVR
OBIIT DIE XIX. MARTII ANNO MDCCXIX.



Do-



XIII.

DOMINICUS TAURUSIUS Urbevetanus Ferrariæ natus est, ubi Pater ejus munere ut dicunt Auditoris illius Rotæ fungebatur, die 28. Januarii anni 1638. Pater ejus *Franciscus Taurusius* vocabatur, Mater vero *Catherina Ardiccionia*, lectissima Matrona. Familia Taurusia, licet in Civitatem Urbis Veteris jamdiu domicilium invexerit, originem tamen à Civitate Montis Politiani in Etruria traxit, egregiosque viros edidit, præsertim vero sanctitate, & doctrina præstantes (*a*) Hos inter *Beatus* Bartholomæus, & Beata *Dominica* recensentur, necnon *Franciscus*, qui *Julio III.* Romano Pontifici affinis fuit, quique emensis laudabiliter plurimis Ecclesiasticæ Hierarchiæ muneribus à *Clemente VIII.* inter Cardinales fuit assumptus.

A

Pater ejus quum in Patriam rediisset, optimum hunc adolescentem liberaliter instituit sub disciplina egregii Sacerdotis, qui in Civitate Urbis Veteris Doctrina & morum integritate fulgebat. Romam deinde traductum, locatumque in Collegio Romano Patrum Jesuitarum, eloquentiæ addixit, & cujusdam Patris

B

(*a*) Nicolaus de Simonibus in vita hujus Cardinalis.

tris *Mauri* Auditorem fecit in Philosophica facultate. Uberes quidem eruditionis fructus referebat, sed in ætate annorum 18. egressus è Collegio intentum Jurisprudentiæ addiscendæ animum adjunxit. In celebri Urbis Universitate vix huic facultati operam dare incœperat, quum anno 1656 Perusiam se recipere cogitur ob pestem, quæ Romam invaserat. Sequenti anno, quum morbi vis remissa esset, *Taurusius* Romam regreditur, Legalique Disciplinæ intentius incubuit. Posito plures per annos hoc ætatis tyrocinio, relatisque in eadem Romana Universitate Doctoratus insigniis sedulam etiam practicæ Jurisprudentiæ navavit operam. Hinc sub clientela *Angeli Celsi* XII. Viri Romanæ Rotæ susceptus est, illique in Causis judicandis à secretis fuit.

Quod vero in Urbe Roma maximam Doctrinæ famam sibi conciliaverat, id porrò in causa fuit, ut anno 1670. à *Clemente X.* Lusitaniam missus fuerit, munere Assessoris illius Nunciaturæ decoratus. Id nedum jucundè accidit Nuncio Apostolico, nempè Præsuli *Ravizza*, Archiepiscopo Sidoniæ, sed majorem ipsi peperit existimationem; spartam quippè, quam nactus fuerat, laudabiliter ornavit. Absoluto Nuncii Apostolici Magistratu, Romam *Præsul Ravizza* regreditur, secumque reversus est *Taurusius* comes laborum. Nulla verò à Romano Pontifice remuneratione donatus fuit, nulloque, ut speraverat Beneficio obstrictus. Diu casum patienter tulit. Donec ex sua industria majora petens, arduum Advocati munus aggredi, & causas in Foro agere incœpit.

Cardinalis *Chisius*, qui maximi Taurusium faciebat, eum sibi Assessorem delegit; nihilque illi antiquius fuit, quam ut ejus sapientiam, & in rebus agendis dexteritatem Pontifici commendaret. Quare anno 1682. eodem Cardinale *Chisio* promovente inter Advocatos Consistoriales relatus est. Anno vero 1689. ut in difficiliori Urbis ministerio Jus diceret, Locumtenens Auditoris Cameræ renunciatur.

In definiendis innumeris Litigantium controversiis incredibili labore, studioque perenni advigilabat. Quare in Pontificatu *Innocentii XII.* proborum hominum æstimatoris, vacantem per mortem Præsulis *Benincasi* XII. Viri Sacræ Rotæ dignitatem Tuscis addictam, anno 1694. adeptus est. Publicas sustinuit Theses, ut vetus est institutum tanti Tribunalis, aliaque cæremonialia explevit, quæ Auditoribus nuper electis præscripta sunt; sapienterque suffragatus est in plurium Causarum Decisione. Quum vix anno elapso ab ejus assumptione, hac die 12. Decembris anni 1695. Diaconus dicitur Cardinalis S. Mariæ de Schala, eodemque tempore vacanti Ferrariensi Episcopatui admovetur.

Eximia affectus est lætitia *Taurusius*, quod Pater, & Pastor evaserit illius Civitatis, in qua natalia sortitus erat, & cujus proinde filius vocabatur. Majori tamen plausu exceptus est, quum illius Ecclesiæ possessionem adivit. Ferrariam advenit die 2. Martii 1696., statimque manus admovit ad vineam Domini excolendam. Conservatorium *Sancti Matthæi* nuncupatum, ubi pauperes excipiuntur, & aluntur, instauravit. Ut divinum cultum propagaret, Ecclesias intra septa Civitatis visitavit, indè æstate adveniente Diœcesim lustrare incœpit. Qua in re adeò adlaboravit, ut in morbum inciderit, quod diabetes dicitur. Plura, sed inutilia artis Medicæ remedia adhibita sunt. Quinimo in dies extenuatus magis, & ad extremam maciem redactus mortis diem adventare intellexit. Sacris demum ritè munitus piè obiit die 27. Decembris anni 1696. ætatis suæ 58. Annus vix effluxerat ejus Cardinalitiæ Dignitatis. Casum illacrymata est Ferrariæ Civitas universa, egregiumque Pastorem condoluit ostentatum, raptumque simul. Elatus est in Ecclesiam Cathedralem, ubi justa funebria peracta sunt, adstante Cardinali *de Abdua* Legato, publicoque Magistratu, & Clero; adfuit etiam Patriciorum cætus communi consilio lugubri veste indutus. Laudes ejus recitavit in funere Pater *Almericus de la Fabra* Ferrariensis ex Congregatione Somasca. Postquam vero in eadem Ecclesia honorificè sepultus fuit, ipsius Ecclesiæ Canonici ejus memores benevolentiæ, hanc inscriptionem posuerunt.

D. O. M.
DOMINICO TAVRVSIO VRBEVETANO
E. S. ROMANÆ ROTÆ AVDITORI
AD PVRPVRAM ET EPISCOPATUM FERRARIENSEM
ASSVMPTO
QVI VNDECIMO REGIMINIS SVI MENSE
VIX INCHOATO
PIETATE VIGILANTIA EXEMPLO OBVINCTIS
SIBI CIVIVM ANIMIS CLERO PATERNIS OFFICIIS
PROSEQVVTO ECCLESIA SVPELLECTILIS SACRÆ
LEGATO LARGITER HONORATA
EXCESSIT VI. KAL. IANVARII MDCXCVI.
CANONICI ET CAPITVLVM MÆRENTES
NE DEBITVS PRETIOSO CINERI TITVLVS DEESSET
VNANIMI VOTO MONVMENT. HOC DEDICARVNT
CVI PARITER ANTONII TROMBETTÆ
CIVIS FERRARIENSIS ET EPISC. REGIEN.
OSSA RELIGIOSE SERVATA ADHÆRENT.

Congregationibus adscriptus fuit Episcoporum & Regularium, S. Concilii Tridentini, Episcoporum Examinis, & rerum Consistorialium. Statura fuit Taurusius prægrandi, & corpulentus; albido colore, vultu tamen rubore suffusus, nigris oculis, aspectu hilaris.



XIV.

HENRICUS DE LA GRANGE Gallus Dominus *Arquiani*, & Oppidi de *Montigni* apud *Bituriges*. In ea Provincia vetusta hæc Familia, pluribus ab hinc sæculis opibus fulget, & clarissimis affinitatibus. *Henricus* die natus est 13. Aprilis 1609. ex *Francisco Grangæo* Galliæ Marescíallo, & ex *Gabriella de Crevant*; Quum adhuc esset impubes, ad artem militarem arripiendam à Patre instruebatur. Hinc Sacro Ordini Hierosolymitano adscriptus fuit. Hinc maritimis expeditionibus in Barbaros obeundis in Insula Melitensi incubuit. Quibus absolutis, in Galliam reversus, Equitum centurio dictus est, Castri viriduni vulgo *Verdun* Gubernator, atque Eques Regii Militaris Ordinis Sancti Spiritus. Uxorem etiam duxit, ex qua duos habuit Masculos, & quinque Fœminas. Quarum duæ apud sanctimoniales virginitatem Deo voverunt, reliquæ verò tres, egregias in sæculo nuptias contraxerunt. Etenim harum una nupsit Marchioni de *Bethunes*, altera *Magno Cancellario* Regni Poloniæ, & tertia, quæ *Casimira* vocabatur *Joanni Subjesko* ejusdem Regni Senatori, & Cracoviæ Palatino, qui sua adnitente virtute, Rex etiam inauguratus est sub celebri nomine *Joannis III.*

Postquam *Joannes III.* Sarmatici Regni habe-

benas assumpsit; *Henricus* Cracoviam petiit, ut Reginam ejus filiam inviseret. Mortua ejus Conjuge, maxima eum incessit cupido obtinendæ Cardinalitiæ dignitatis. Ab eodem *Joanne* Rege nominatus fuit, & ab *Innocentio XII.* inter Diaconos Cardinales relatus est hac die 12. Decembris anni 1695. in Diaconia *S. Nicolai in Carcere*; prædiviti etiam Abbatia donatus fuit à Christianissimo Rege *Ludovico XIV.* Annum ipse agebat octogesimum sextum, quum Cardinalis renunciatus est. Mortuo vero *Joanne III.*, ipse cum Regina ejus filia Romam petiit; quo advenit die 24. Martii anni 1699. Ritus Cæremoniales abhorrebat. Hinc solutus, & liber ad sui libitum induebatur. Vestes tamen assumebat Purpureas, ut Cardinalem decebat, sed indiscriminatim diebus feriatis, & non feriatis, atque etiam in pervigilio majorum solemnitatum; nec monitus ab incœpto destitit. Epulabatur splendidè. In Conclavi, cui interfuit, ipse *Clementi XI.* suffragatus est; demum in ætate decrepita annorum 98. Romæ interiit die 24. Maii anni 1707. Honorificè sepultus fuit in Ecclesia Gallicæ Nationis *Sancti Ludovici*, ubi jacet cum hac Inscriptione.

OSSA HENRICI DIACONI CARDINALIS
DE LA GRANGE DE ARQUIAN.

Congregationibus adscribi meruit Sac. Concilii Tridentini, Sac. Consultationis, & Rerum Consistorialium.

Secunda Cardinalium Promotio facta

AB

INNOCENTIO XII.

Die 22. Julii Anni 1697.

15 Aloysius De Sousa Lusitanus Archiepisc. Ulyssiponen. Rege Lusitano intercedente.
16 Georgius Cornelius Venetus Archiepisc. Rhodien. Nuncius apud Lusitanos. Republica Veneta intercedente.
17 Petrus Armandus Cambout de Coaslin Gallus Episc. Aurelianen.. Intercedente Galliarum Rege.
18 Fabritius Palutius Foroliviensis.
19 Alphonsus De Aguillar de Corduba Hispanus. Hispaniarum Rege Intercedente.
20 Vincentius Grimanus Abbas Venetus. Cæsare Intercedente.





X V.

ALOYSIUS DE SOUSA Lusitanus Ulyssipone natus est die 14. Februarii anni 1631. Prænobilis ejus Familia inter clariores illius Regni recensetur. Ipse vero in Aula Regum Hispaniæ educatus, Reginæ Uxori *Philippi IV.* sedulum præbuit Ministerium. Evecto demum *Bragantiæ Duce* ad Lusitaniæ Regnum, postquam Aloysius, ut exteros mores addisceret, Europam peragraverat, in patriam revocatur, & primariæ illius Ecclesiæ Canonicatu insignitur. Cappellanus Major etiam dicitur ejusdem Lusitaniæ Regis. Tandem Ar- A chiepiscopus Ulyssiponensis renunciatur, & primus Regni Consiliarius, sive à Secretis Status assumitur. Hæc tria ardua munera, uni eodemque tempore collata, singulari animi dexteritate, ac robore *Aloysius* implevit. Postremo ad preces ipsius Lusitaniæ Regis *Innocentius XII.* illum inter Cardinales adscripsit in hac ejus secunda enunciatione diei 22. Julii anni 1697.

Unicam ejus ex Fratre Neptem hæredem amplissimi Patrimonii Conjugem dedit Princi- B pi de *Ligni* Belgarum potentissimo, qui Re-

gius erat apud Cæſarem Orator; *Aloyſius* vero Regi acceptiſſimus ſolertem in Regni adminiſtratione navavit operam, nec abſimilis fuit ejus in Archiepiſcopatu gerendo ſollicitudo. Eccleſias reparavit, Metropolitanam præcipuè, ubi perennia verę pietatis monumenta A reliquit. Prægrandem inſtruxerat Bibliothecam. Romam cum ipſe non advenerit, nec Titulum obtinuit Cardinalitium, nec Pileum. Meritis demum, anniſque onuſtus, obiit Ulyſſipone die 3. Januarii anni 1702., annum ipſe cum ageret ſeptuageſimum ſecundum.





XVI.

A GEORGIUS CORNELIUS Venetus die natus est prima Augusti anni 1658. ex Equite *Friderico*, qui fuit filius Sereniſſimi Venetæ Reipublicæ Principis *Franciſci Cornelii*, qui pariter filius fuit *Joannis* alterius Veneti Principis. Præterea Fratrem habuit *Joannem* nomine, qui & ipſe Patriæ ſuæ Dux fuit, & Princeps, nec locus hic eſt recenſendi tot alios clariſſimæ Familiæ egregios viros in Litteraria Republica, & in re militari præſtantes, aut Infulis, aut Sacra Purpura decoratos; nec *Catharinam* Cypri Reginam, quum geſta Cardinalium perſtringere, non verò eorumdem texere Genealogias noſtrum ſit Inſtitutum.

Liberalibus *Georgius* incubuit diſciplinis Veronæ in Collegio Clericorum Regularium de Somaſca. Patavium indè venit, ubi intentum Juriſprudentiæ animum adjecit, ibique anno 1677. Laurea ornatus eſt Doctorali. Patrem demum ſequutus eſt *Fridericum*, qui apud Hiſpaniarum Regem Venetus degebat Orator. Totam *Georgius* Hiſpaniam peragravit, Luſitaniam etiam luſtravit, futuræ quaſi conſcius Legationis; Indè in Galliam abiit, mox ad Britannos, pluresque demum Germa- B niæ Civitates inviſit, ibique ſubſtitit, uſque ad deditionem Argentorati ampliſſimæ in Alſatia inferiori Civitatis, quò ipſe diverterat

An-

Anno 1681. ſpectator Triumphi feliciſſimi Regis *Ludovici XIV.* Urbes inſpexit omnes, & Caſtra, & Oppida à Gallis capta.

Redux in Patriam ſecularibus vacavit muneribus. Civica indutus Toga nonnullos obiit Magiſtratus, præſertim verò Præfecturam Navalis Armamentarii. Anno demum 1688. Orator pro Veneta Republica eligitur ad *Ludovicum XIV.* Regem Gallorum; ſed ut res erat maximi impendii, atque Eccleſiæ inſervire jamdiù exoptaverat, anno 1690. Toga relicta, ſacra initiatur Tonſura *à Gregorio* Cardinali *Barbadico*. Eodemque anno Romam venit, quo tempore Petri Cathedram conſcenderat Cardinalis *Otthobonus* Civis ſuus ſub nomine *Alexandri VIII.*

Prothonotarius dictus eſt de numero Participantium. Indè Præſes Cameræ Apoſtolicæ, & in Congregatione Rituum ſuffragium tulit. Ut verò eâ tempeſtate aliquas Regni Neapolitani Civitates peſtilentia invaſerat, & Litora pulſabat Ditionis Eccleſiaſticæ, hinc Proviſor ſanitatis *Georgius* dictus eſt ab *Alexandro VIII.*, & Legatus ad oras Adriatici Maris. Aſſidua vigilantia fines ſervavit Eccleſiæ ab imminenti diſcrimine.

Mortuo *Alexandro VIII.*, atque ad Apoſtolatum evecto *Innocentio XII.*, Is haud minoris fuit *Georgii* æſtimator. Illum enim Titulo decoravit Rhodienſis Archiepiſcopi, & vacantem ad Luſitanos Nunciaturam illi contulit; & in hac ejus ſecunda Promotione diei 22. Julii 1697. Presbyterum dixit Cardinalem ſub *Titulo SS. XII. Apoſtolorum*. Hanc dignitatem Cardinalitiam, nedum Georgii virtutes, quam preces Veneti Senatus illi attulerunt. Primus is fuit, qui ex munere Nuncii Luſitani ad Purpuram aſcenderit; ſicque ſolo annorum ſeptem intervallo ex Toga ad Purpuræ decus aſſumptus eſt. Paucis indè diebus Epiſcopatui Patavino admovetur, ſeptimus de Gente *Cornelia*, qui nobiliſſimam illam Diœceſim adminiſtraverit. Vacaverat illa Eccleſia morte *Gregorii* Cardinalis *Barbadici*.

Certior *Georgius* factus ſuæ Promotionis, Romam venit die 9. Martii anni 1698., ibique Pileum accepit, & prædictum Titulum *Sanctorum XII. Apoſtolorum*. Congregationibus inſuper donatus fuit Sacri Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Sacræ Conſultationis, & Sacrorum Rituum.

Tantis auctus muneribus Patavium pergit, ubi in procurando Divini Cultus incremento totus fuit, & *Gregorii Barbadici* Anteceſſoris ſui, & verè Sanctiſſimi Præſulis exemplum ſibi maximè imitandum propoſuit. Comitiis quum adfuerit Vaticanis, in quibus *Clemens XI.* electus fuit, ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, morum innocentia, & vigilantia Paſtorali ſemper emicuit. Divitem in Statu Veneto Abbatiam obtinuerat nuncupatam *S. Andreæ del Buſco*, & conſpicuam Cypri Commendam de Jurepatronatus Gentis Corneliæ, ob quam Crucem Ordinis Hieroſolymitani anno 1697. aſſumpſerat. Comitiis iterum adfuit Vaticanis, in quibus *Innocentio XIII.* & ipſe ſuffragatus eſt. Demum adverſa preſſus valetudine, fractuſque viribus obiit in eadem Civitate Patavina die 9. Auguſti anni 1722. ætatis ſuæ 64., atque in Cathedrali ejuſdem Civitatis, ubi alii Corneliæ Gentis Epiſcopi conditi ſunt, honorificè ſepultus eſt.

Tribus poſt mortem *Georgii* Cardinalis diebus, obiit Venetiis *Joannes Cornelius* ejus Frater, qui & ipſe toties à majoribus adminiſtratum Patriæ ſuæ Principatum gerebat.





XVII.

PETRVS ARMANDVS DV CAMBOVT DE COASLIN Gallus, Parisiis natus est mense Novembris anni 1636. ex *Cæsare du Cambout de Coaslin* Barone *de Bonchateau*, & de la *Roche Bernard*, & ex *Maria Seguier* Filia Galliarum Cancellarii. Familia *de Coaslin* satis clara est in Brittania inferiori, quam Armoricam dicunt. *Cæsar* verò Pater ejus (qui ex Sorore Nepos erat celebris *Armandi* Cardinalis *Richelii*) in Belgio fortiter pro Christianissimo Rege dimicans occubuit; duosque filios reliquit, quorum Primogenitus Franciæ fuit Par, & *Dux*, alter vero fuit *Petrus Armandus*, de quo sermonem instituimus. Is à pue-

A ritia studiis Literarum intentum adjecit animum. Impubes anno 1647. Canonicus Ecclesiæ Parisiensis dicitur; deindè Abbas S. Joannis Ambianensis, S. Gildasii de Nemore, & S. Victoris Parisiensis. Plura alia obtinuit ditissima Sacerdotia. Mox in præclara Sorbonæ Universitate gravioribus incubuit disciplinis, atque in Theologica, & Legali facultate Laurea Doctorali ibidem fuit insignitus. Pietati
B addictus, morum severitatem coluit, studiumque literarum.

Positis hisce tyrocinii rudimentis, ipsius Christianissimi Regis gratiam mirificè sibi conciliavit. Quare magnus Regni Eleemosinarius

re-

renunciatur, & anno 1665. vacanti Aurelianensi Episcopatui admovetur. Anno 1666. Ecclesiam suam solemniter ingressus, plura mirifice præstitit ejus consulens utilitati. Anno 1670. Titulum Beatæ Mariæ de Campis, & Capitulum S. Aviti extinxit, & Seminario univit, quod à fundamentis extruere cœpit eodem, quo prius erat Ecclesia, loco; quod ædificium perficere morte præventus non potuit, sed absolvit ejus Successor. Eamdem Cathedralem Ecclesiam pluribus auxit Beneficiis.

Die 22. Julii anni 1697., eodem Galliarum Rege promovente, ab *Innocentio XII.* Presbyter Cardinalis renunciatur sub Titulo *Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio*, quo nomine Ordinis Fratrum Minorum fuit Protector. Hunc tamen Titulum, & Pileum accepit die 30. Martii 1700. à *Clemente XI.*, cui suffragatus fuit in Conclavi, ad quod è Gallia advenerat. Præterea Congregationibus adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Propagandæ Fidei. Denique post piè administratam Aurelianensem Ecclesiam per annos 40. Versaliis obiit die 5. Februarii anni 1706., annos natus 70. Cadaver ad Aurelianos allatum in Cathedrali Ecclesia humatum fuit cum hoc prolixo Epitaphio.

HIC IACET EMINENTISSIMUS D. PETRUS
DU CAMBOUT DE COASLIN
S.R.E. TITULI SS. TRINITATIS IN MONTE PINCIO
PRESBYT. CARDIN. EPISC. AURELIANENSIS
ANTIQUISSIMA APUD AREMORICOS
NOBILITATE ILLUSTRIS
ANIMI ÆQUABILITATE MODESTIA
CANDORE BENIGNITATE MORUM
INTEGRITATE ILLUSTRIOR
ECCLESIIS SIBI COMMISSIS
PIOS PRUDENTESQUE RECTORES
POPULIS ERUDIENDIS
SACRÆ PRÆCONES DOCTRINÆ
A CLERICIS INFORMANDIS
AC PROPRIO ETIAM SUMPTU ALENDIS
PRÆPOSITOS IDONEOS
PASTORALIS SOLLICITUDINIS
DILIGENTES VICARIOS SOCIOS SIBI
ET COOPERARIOS SEMPER ADIUNXIT
ECCLESIASTICÆ PACIS AMANTISSIMUS
TURBAS COMPOSUIT CONCORDIAM FOVIT
PATERNA INCENSUS CHARITATE DISPERSIT
DEDIT PAUPERIBUS
AMPLUM HIS EXCIPIENDIS HOSPITIUM
HAC IN URBE EXTRUI CURAVIT
B INNATAM HONESTO LOCO NATIS INOPIÆ
VERECUNDIAM
LIBERALI COMITATE SUBLEVAVIT
OMNIBUS DENIQUE PRODESSE STUDUIT
NEMINI NOCERE
OB HÆC MERITA LUDOVICO MAGNO
CUIUS GRATIAM ET FAVOREM SIBI
AB INFANTIA CONCILIAVIT SUMME CARUS
CUNCTIS GALLIARUM PROCERIBUS
QUOS NATIVA URBANITATE SIBI DEVINXIT
GRATIOSISSIMUS SUMMORUM PONTIFICUM
AMOREM TOTIUS CARDINALIUM COLLEGII
NOBILIUM ROMANORUM
C IPSIUS PLEBIS STUDIA ET VOTA
IN SE CONVERTIT
BONIS OMNIBUS SUI DESIDERIUM RELINQUENS
OBIIT NONIS FEBRUARII
ANNI DOMINI MDCCVI.
ÆTATIS LXX.
EPISCOPATUS XL. CARDINALATUS IX.


Inverso postea sepulcrali lapidi alia sequens adjuncta est Epigraphe.

HIC IACET EMINENTISSIMUS D. PETRUS
DU CAMBOUT DE COASLIN
S.R.E. TITULI SS. TRINITATIS IN MONTE PINCIO
D PRESBYTER CARDIN. EPISCOP. AURELIANENSIS
MAGNUS FRANCIÆ ELEEMOSINARIUS
REGIORUM ORDINUM COMMENDATOR
OBIIT NONAS FEBRUARII
ANNO DOMINI MDCCVI.
ÆTATIS LXX. EPISC. XL. CARD. IX. (a)



FA-

(a) Gallia Christiana Tom. 8. pag. 1493. editionum Parisiens. anni 1744.



XVIII.

FABRITIUS PAULUCCIUS Foroliviensis die nascitur tertio Aprilis an. 1651. ex *Cosmo Paulutio* Comite Calbuli, & ex *Lucretia Filia* Marchionis *Josephi Albicini*. *Fabritius* in tenera ætate annorum octo Romam venit, ut sub Disciplina *Francisci* alterius Cardinalis Paulutii ejus Propatrui, artibus imbueretur liberalibus, & in Collegio Romano Patrum Jesuitarum eloquentiæ incubuit, Philosophiam & Theologiam perdidicit. Studia etiam Mathematica lustravit; & tandem impensam Jurisprudentiæ navavit operam. Eodem Pro-A patruo suo promovente Abbatia donatus est Montis Sarchii. Quod tamen alterum Fabritius in Urbe Roma habebat Fratrem *Josephum* nomine natu majorem, qui in magnam spem crescebat, maximisque fulgebat in Aula Romana muneribus; Hinc privatam ipse vitam arripuit, humilem, Deique cultui addictam.

Anno salutis 1685. ætatis ejus 33. ita exigente ejus vitæ castitate, morumque integri-B tate ab *Innocentio XI.* Episcopus eligitur Maceratensis, & Tolentinas. In eo annos duodecim pietatem coluit, Deique timorem po-

pulo

pulo sibi commisso ingessit. *Cosmum III.* Magnum Etruriæ Ducem illuc pertranseuntem, ut Virginem Lauretanam veneraretur, mirifica excepit munificentia, eumque propterea semper fautorem habuit, sed infelix mors, quâ occubuit emeritus Præsul *Joseph* Paulutius ejus Frater, ita Pontificis mentem miseratione permovit, ut *Fabritium* nostrum maxime sua sorte contentum, quique intra suos Pastorales fines sese pacificè continebat, ad majora provehere statuerit. Obiit miser ille Præsul Mense Octobris anni 1695. feriis autumnalibus, quibus ipse Albani vacaverat. Romam revertebatur cum Præsule *de Aste*, curruque simul vehebantur. Quum Rhedarii equi effræni, ac pœnè indomiti præpetem arripiunt cursum, & fræno inobsequentes currum rapiunt. *Paulutius* ex eo imprudens prosiliit, sed capite saxis illiso, statim interiit.

Casum indoluit Romanus ipse Pontifex, qui meritis permotus *Fabritii* Fratris hunc ex Episcopali, quam sanctè degebat, vita, ad majora Sanctæ Sedis negocia pertractanda excitavit. Eum Coloniam Agrippinam Apostolicum Nuncium allegavit. Ibi comiter etiam ab Heterodoxis exceptus fuit. Mortuo an. 1696. *Joanne III.* Poloniæ Rege, ad Sarmatas Nuncius extraordinarius transfertur, dum evecto ad Sarmatici Regni fastigium *Augusto II.* Saxonum Duce, & Bellum instabat Civile, & Fides periclitabatur Catholica. Sed pius ille Princeps Lutheranismum ejuravit; Et *Michaelem Radzieovvski* Gnesnæ Archiepiscopum, & Regni Primatem Regi, Regnique Palatinis post longa discrimina conciliavit *Paulutius*.

Præmia huic virtuti adstruens *Innocentius XII.* Ferrariensi primum Episcopatui illum admovit, inde verò in hac Promotione die 22. Julii anni 1697. amplissima eum auxit Cardinalatus dignitate. Romam rediens, Viennam in Austria pertransiit, ubi plura cum Cæsare sibi commissa arcana communicavit. Indè Romam se recepit, hilari exceptus amplexu *Innocentii XII.*, qui & Pileum Cardinalitium, & Titulum illi attribuit *SS. Joannis, & Pauli*. Exeunte Majo anni 1699. Ferrariam abiit, Civibus, & Populo gestiente. Diæcesim lustravit, Clericorum inquisivit mores, & crimina insectatus est. Visitatione absoluta Romam rediit, ut anno sæculari Pontificem adiuvaret in aperitione Portæ Sanctæ.

Mortuo *Innocentio XII.* in Vaticanis Comitiis pro novi Pontificis electione, director ipse assumptus est XXV. Cardinalium ab eodem *Innocentio* creatorum, ut dignum Petri Successorem aliis eligendum proponeret. *Clementi XI.* & ipse suffragatus est. Novus vero Pontifex *Paulutium* sibi à Secretis Status assumpsit, & primum in Apostolatu administrum, & coadjutorem elegit. Hinc die 12. Martii 1701. Episcopatum Ferrariensem liberè in manibus Papæ dimisit, ut oblato ministerio, nutibusque Pontificis promptius obsequeretur. Ultroneam tantæ Ecclesiæ abdicationem rependit Pontifex, & divitem Cardinali *Paulutio* contulit Abbatiam, quæ morte Cardinalis Millini in Agro Cremonensi vacaverat.

Ab eodem *Clemente XI.* Pænitentiarius etiam major dictus est. His aliisque auctus muneribus *Fabritius*, patiens laboris, & recti tenax, cuncta prosperè exequebatur; Curisque obrutus, iis verò minimè vexatus, Romæ toto mansit tempore Pontificatus *Clementis XI.* Postquam verò supremum iste Pontifex explevit diem, Comitiis iterum Fabritius adfuit Vaticanis, atque electioni assentitus est *Innocentii XIII.*, à quo Papæ Vicarius renunciatur, dimissa altera dignitate Pænitentiarii majoris, qua ille Pontifex decoratum voluit ejus Fratrem Cardinalem *Bernardum de Comitibus*. Rursus hoc Pontifice e vivis sublato, & Vaticanum Conclave iterum *Fabritius* ingressus pro electione *Benedicti XIII.*, cui ipse suffragatus est; r ursus inquam ab hoc novo Pontifice Regni particeps, & à Secretis Status assumitur. Duobus ipse Pontificibus acceptissimus fuit, & a sanctioribus consiliis, quod perraro commemoratur Tt a .le\ vero pressus curis, distractusque mr ıeibu , Pri n- cipi tamen, & Populo gratissimu , rarius qu i- dem est exemplum.

His demum laboribus fractus, atque gra i- vis, læthali morbo correptus ın. 1726. obi it die 12. Junii. Morientem plures adivit *Ben e- dictus XIII.*; piisque juvit oficiis. Duos, quos habuit, ex Fratre Nepotes ante ejus di- scessum sibi immatura morte præreptos vid it. Ultimus itaque Nobilis suæ Familiæ superstes, duos alios ejus Nepotes hæredes dixit, quos ex sorore, quæ in Domo nupsit *Merlina*, susceperat.

Ultra ea, quæ recensuimus munera (bis nempe fuit à Secretis status, semel Pœnitentiarius major, quam dignitatem in alteram Vicarii Papæ Generalis immutavit) pluribus aliis, & quidem amplissimis officiis ornatus fuit. Etenim eodem, quo hæc munera agebat, tempore Præfectus fuit S. Congregationi Episcoporum, & Regularium. Præfectus alteri Congregationi Sacrorum Rituum, Præfectus item Congregationi Avenionensi, & Lauretanæ, Secretarius Sancti Officii, Protector Clericorum Minorum Regularium, Protector Hospitii Apostolici Pauperum invalidorum Sancti Michaelis propè Ripam Fluminis. Omnibus fere adscriptus fuit Sacris Congregationibus, quę vel gubernium Principatus, vel universalis Ecclesiæ administrationem respiciunt. Titulum ejus Cardinalitium pluries immutavit, usque ad Episcopatum Ostiensem, & Veliternum, cum quo Decanatum sustinuit Sac. Collegii.

Benevolentiam, qua viventem *Paulutium* prosequutus fuerat *Benedictus XIII.*, eamdem prorsus post ipsius mortem testatus est. Si-

quidem exequiis adfuit, quas totus Cardinalium cætus in Ecclesia Sanctorum XII. Apostolorum magnificè illi peregit. Iisque absolutis solemni ritu, ut Decanum Sacri Collegii maximè decebat, ejus cadaver in Ecclesiam translatum fuit Sancti Marcelli, ibique tumulatum in Cappella *Beati Peregrini Laziosi* quam magno sumptu vivens ornaverat, atque ibi sepulcrum sibi extruxerat. Tumulo vero sequens adjecta est Inscriptio.

A

D. O. M.

B

FABRITIO CARDINALI PAVLUTIO
PATRITIO FOROLIVIENSI
EPISCOPO OSTIEN. ET VELITERNEN.
SACRI COLLEGII DECANO
SVMMIS MVNERIBVS
MAIORIS PÆNITENTIARII
PONTIFICIS IN VRBE VICARII
CLEMENTIS XI. ET BENEDICTI XIII.
PER ANNOS XXIII. PRIMI ADMINISTRI
SVMMA CUM LAVDE PERFVNCTO
RELIGIOSISS'MO INTEGERRIMO
IN DEI CVLTVM
AC PAVPERES MVNIFICISSIMO
CAMILLVS MERLINVS ARCHIERICONII
IN FAMILIÆ NOMEN
ET HÆREDITATEM VOCATVS
AVVNCVLO INCOMPARABILI POSVIT
OBIIT PRIDIE IDVS IVNII
ANNI DOMINI MDCCXXVI.
ÆTATIS LXXVI.



Al-



Alphonsus de Aguilar de Corduba Hispanus
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus a S.^{mo} D.N.
INNOCENTIO XII. in Consistorio secreto die 22 July 1697.
Obiit die 19 Septembris 1699

XIX.

ALPHONSUS DE AGUILLAR DE CORDUBA Hispanus Patrem habuit *Aloysium Ignatium Fernandez de Corduba Figuer*, & *Aguillar* Marchionem de Priego, ac Ducem de Feria, aliorumque Castrorum Dominum. *Alphonsi* vero Mater fuit *Maria de Corduba*, & Aragon, *Antonii* de Corduba, & Aragon Sessæ Ducis filia. Ex his primæ in Hispania Nobilitatis Parentibus in lucem editus anno 1653., literis à pueritia incubuit in Collegio Cuencano, seu Valeriæ Universitatis Salmaticensis. Canonicus indè Cordubensis re- A nunciatus, plurimisque ditatus est Beneficiis, præsertim verò Abbatia Collegiata Bazensi, alteraque Abbatia, quæ Ruttensis dicitur. Aliis etiam gravioribus detentus fuit muneribus à Rege Catholico, & ab Universo Cleri Hispaniei cœtu. Majoribus tamen Ecclesiæ dignitatibus abstinuit, oblatosque, Regis munificentiâ Episcopatus sæpius rejecit.

Ad preces demum ejusdem Catholici Regis, B ab *Innocentio XII.* Cardinalis creatur in hac Promotione diei 22. Julii 1697., nec Titulum, nec Pileum obtinuit Cardinalitium, quia mor-

te præventus Romam venire non potuit, ut ſtatuerat anno ſæculari in munere Regii Oratoris, quo nuper decoratus fuerat. Fuit Inquiſitor Generalis de rebus ad Fidem ſpectantibus Regnorum Hiſpaniæ poſt mortem Cardinalis *Roccaberti* jam Ordinis Dominicani Procuratoris Generalis, indè verò Cardinalis de Valentia nuncupati; ſed viridi in ætate annorum 46. Alphonſus obiit die 19. Septembris anni 1699., quacumque erepta ſpe, quæ ex ejus virtutibus affulgebat.

A





VINCENTIVS S.R.E. DIACONVS CARDINALIS GRIMANVS VENETVS CREATVS DIE XXIJ. IVLIJ M.DC.XCVII.

Obyt Prorex Neapoli die 26 Septembris 1710

X X.

VINCENTIUS GRIMANUS Venetus, Mantuæ tamen natus eſt die 26. Maii anno 1655. ex Antonio *Grimani* Patricio Veneto, & ex *Elena Gonzaga*. Alteri Marchioni Gonzaga Sororem Vincentius nuptui dederat. Hinc avitæ generis nobilitati, qua gemini Cardinales, pluresque Aquilejenſes Patriarchæ adnumerantur, novum hoc adjunxit honoris lumen ex hac cum Mantuæ Principibus affinitate deductum. Hac igitur fretus ſanguinis propinquitate, & clientela, poſtquam egregiam Indolem liberalibus ſtudiis Vincentius ornaverat, & ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu ſcientias omnes luſtraverat, prædivite *Lucedii*

A Abbatia à Duce Mantuano donatur. Ex hac inſigni Abbatia, gravi tametſi onerata penſione in emolumentum cujuſdam Filii naturalis ipſius Ducis Mantuani, ſplendidam ſui ſubſtentationem, lautamque vitam percipiebat.

Hujus verò Beneficii fructus ex Agro Duci Sabaudiæ ſubjecto magna ex parte colligebantur. Ducem hinc Allobrogum Vincentius adiit; adeòque ad illius gratiam aucupandam animum adjunxit, ut brevi amicitiam cum eo, B & ſingularem Familiaritatem inſtituerit. Nec ſegnis, nec inanis fuit *Grimani* obſervantia, aut neceſſitudo. Eo quippe tempore, quo Galli ingruebant, cunctæque Italiæ minitaban-

tur-

tur, & ipse Sabaudiæ Dux interpretem quærebat, & pacis sequestrem cum Cæsare; Vincentius ad grandia natus, ut optatam restitueret Italiæ pacem, secreto, & quasi aliud agens, Viennam petit. Nulli propterea suspectus, & fidei tenax, ea arte credita sibi Arcana Cæsari enunciavit, ipsique Nuncio Apostolico animi secreta communicavit, ut pax priùs reddita, quam tractata Gallo renunciaretur. Gratissima hinc nedum Cæsari, sed ipsi Romano Pontifici evasit *Vincentii* prudentia, & consilium.

A

Avidè *Innocentius XII.* exoptabat, ut in nominatione futuri Cardinalis *Vincentium* Cæsar eligeret. Ultrò assentitus est. Cæterisque postpositis Imperii Magnatibus, qui hanc dignitatem ambiebant, ad preces *Leopoldi* Imperatoris *Grimanus* inter Diaconos Cardinales assumptus est hac die 22. Julii 1697. Romam adveniens, Pileum, & Diaconiam nactus est *S. Eustachii*. In Congregationes insuper adlectus est Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, & Sacrorum Rituum.

Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus *Clemens XI.* electus fuit. Sub Cæsaris vero Patrocinio adeò semper mansit, ut ejus Consilii particeps, & maximarum rerum fuerit administer. Neapolim ipsius Augusti Cæsaris Pro-Rex allegatur. In hac suprema dignitate Justitiæ vindex habitus est, & effusissimæ liberalitatis

B

se præbuit exemplar; sed jura Cæsaris amplificare desiderans, non semel Ecclesiæ Immunitatem neglexit, & Pontificiæ authoritati obdurato nimis animo adversatus est. Tandem laboribus magis, quam annis pressus in eadem dignitate, & in ipsa Neapolis Urbe interiit die 26. Septembris anni 1710. ætatis suæ LV.

Tertia Cardinalium Enunciatio habita

AB

INNOCENTIO XII.

Die 14. Novembris 1699.

21 Nicolaus Radolovicus Neapolitanus Archiepiscopus. Teatinus.
22 Joseph Archintus Mediolanensis Archiepiscopus Mediolani.
23 Andreas de Sancta Cruce Romanus ad Cæsarem Nuncius Apostolicus.
24 Marcellus de Aste. Romanus.
25 Daniel Marcus Delphinus ad Ludovicum XIV. Nuncius Apostolicus. Venetus.
26 Sperellus de Sperellis. Assisiensis.
27 Don Joannes Gabriellius Ordinis Cisterciensis Sancti Bernardi. Tifernas.





XXI.

NICOLAUS RADOLOVICUS Neapolitanus, Epidauri tamen, quod hodie Ragusium dicitur, in Dalmatia natus est. Ibi enim ejus Familia (quæ ex Germania originem ducit) domicilium invexerat. Demum inter Neapolitanas meruit connumerari. *Nicolaus* die natus est 28. Decembris anni 1626. Eximii ab ineunte ætate ingenii visus est adolescens; impubes enim scientias omnes avidissimè perquisivit, atque annos 22. natus Romam venit, exeunte Pontificatu *Urbani VIII.*, à quo inter Curiæ Præsules adscriptus est. Pluribus indè præfuit Ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus in munere Gubernatoris. Ex Civitate Reatina, ubi hoc munus agebat, Procurator sanitatis assumptus est, & Commissarius pro arcenda peste, quæ finibus instabat Ecclesiæ.

Evecto demum ad Apostolatum *Innocentio XII.*, ad *Teates*, vulgo Chientinum Archiepiscopatum in Aprutio allegatur. Ab eodem Pontifice rursus Romam *Nicolaus* evocatur, & à Secretis dicitur Congregationis Visitationis Apostolicæ. Deindè cum *Marcellus de Aste* ad munus Pro-Legati Urbini adlectus

fue-

fuerit, Summus Pontifex *Radolovicum* ei suffecit in Officio Secretarii Episcoporum, & Regularium.

Facilis hinc ad Cardinalatum ascensus, facilioremque semitam reddiderunt laudationes, quas Regulares, & causarum Actores ejus sapientiæ concinebant. Die igitur 14. Novembris anni 1699. Presbyter assumitur Cardinalis sub Titulo *S. Bartholomæi in Insula*. Congregationibus insuper adjicitur Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Indicis Librorum prohibitorum, & Sacræ Visitationis.

In Comitiis, quibus adfuit Vaticanis, *Clementi XI.* suffragatus est, qui Petri Cathedram ascendit. Curis tandem, laboribusque confectus, obiit die 27. Octobris anni 1702. octogenarius. Ejus Cadaver loco depositi ad Ecclesiam Sancti Marcelli traductum fuit. Indè verò die 2. Octobris anni 1703. in Ecclesiam Sancti Bartholomæi in Insula translatum fuit.]





IOSEPH S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
ARCHINTVS MEDIOLANENSIS
ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
CREATVS DIE XIV. NOVEMBRIS MDCXCIX.

Ioseph Passarus Pinxit — R.V. Auden Aerd Sculp.

Dominicus de Rubeis Heres Io. Iacobi de Rubeis ad Templum S. M. de Pace, cum Priuil. Sum. Pont. et Sup. perm.

XXII.

A JOSEPH ARCHINTUS Mediolanensis die natus est 27. Aprilis anni 1651. Liberali educatione, ut præclara ejus decebant natalia, institutus fuit. Ut primum enim per ætatem licuit, omnia nedum optimarum disciplinarum rudimenta, sed scientias ipsas suo eruditis Preceptoribus optime perdidicit. Cum vero ad pubertatem pervenit, in Universitate Ingolstadii in Bavaria Cæsareo, & Canonico Juri sedulam navavit operam, atque ibidem in utraque facultate Lauream Doctoralem adeptus est. Indè, ut mores alienigenarum dignoscere propius, non vana, sed sapienti peregrinatione Europam ferè totam lustravit.

Redux in Patriam de capessendo Statu Clericali, quod jamdiù cogitaverat, serius egit, utque huic suæ voluntati indulgeret, Romam venit, quo tempore Apostolatum gerebat *Innocentius XI.*, cui sanguine propinquus erat *Archintus*. Statim Bononiæ Pro-Legatus efficitur; sed cum indè discesserit pretextu gravissimæ impensæ, nec prius, ut par erat, à Papa veniam, seu missionem efflagitasset, parum abfuit, quin ab excitata fortuna descisceret.
B *Livius* Papæ Nepos in pristinam Patrui gratiam illum restituere conatus est, atque ut in Etruriam Nuncius Apostolicus allegaretur, impetravit. Religionis maximè cultor, atque

Immunitatis Ecclesiasticæ vindex apparuit; & ſub pio Principe *Coſimo III.* Etruriæ Duce, Sanctæ Sedis dignitatem, & Jura asseruit.

Haud aliter Venetiis ſe geſſit, ubi ſecunda ornatus Legatione Nuncius pariter Apoſtolicus fuit. Sedente demum *Innocentio XII.*, qui *Federicum Caccia* ex Hiſpanica Nunciatura ad Cardinalatum extulerat, *Archintum* tertia ornavit Legatione, eumque ad Catholicum Regem immiſit. Licet verò eidem Hiſpano Regi ſubjectus eſſet, fidei tamen tenax, Pontifici, cui inſerviebat, omnino obſequebatur. Eo tempore Matriti morabatur, quo Rex *Carolus II.* graviſſimè ægrotabat: Solerter, & quam citiſſimè Pontifici nunciabat, quid Regina, quid Regni Optimates cogitarent.

Mortuo demum Cardinali *Caccia*, cui in Hiſpanica Legatione *Archintus* ſuffectus fuerat; etiam in Archiepiſcopatu Mediolanenſi illi

A Succeſſor datus eſt. Nam *Innocentius XII.* pluribus à Senatu Mediolanenſi propoſitis viris *Archintum* prætulit. Inde vero die 14. Novembris anni 1699. illum inter Presbyteros Cardinales recenſuit ſub Titulo S. Priſcæ. Congregationibus item eum adſcripſit Sac. Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Epiſcoporum, & Regularium, & Propagandæ Fidei.

Comitiis cum adfuerit Vaticanis, in quibus

B *Clemens XI.* aſſumptus fuit, iterum ſuæ Eccleſiæ reſtitutus, Sacram Viſitationem explevit, in Clericorum mores inquiſivit, criminibus obſtitit, pauperes adjuvit. Sic ille vixit uſque ad annum 1712., quo plenus meritis, atque omnibus deſideratus occubuit die 9. Aprilis, & ſolemni funebri Ritu in Metropolitana illius Civitatis humatus fuit.





ANDREAS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
DE SANCTA CRVCE ROMANVS
CREATVS DIE XIV. NOVEMBRIS MDCXCIX.

Ioseph Pas... Pinx. *I. V. Audenaerd Sculp.*

Dominicus de Rubeis ... Romae ad Templ. S. M. de Pace cum Privil. ... Pont. et Sup. perm.

XXIII.

ANDREAS DE SANCTA CRUCE Romanus clarissimis ortus natalibus, egregiisque Parentibus, nempè Marchione *Scipione de Sancta Cruce*, & *Marchionissa Octavia Corsini*, Romæ natus est die 22. Novembris anni 1655. Optimis imbutus disciplinis, legalique Laurea donatus in Universitate Romana, exeunte Pontificatu *Clementis X.* inter Præsules Romanæ Curiæ cooptatus, Tyburtinæ Civitati Gubernator est datus. Ab *Innocentio XI.* ad gradum Pro-Legati Bononiensis admotus fuit, quo tempore in eadem Civitate de Latere Legatus sedebat *Antonius Pignattellus* postea *Innocentius XII.*

A

B

Evecto ad Apostolatum *Alexandro VIII.*, qui Equitum levis armaturæ Præfecturam *Marchioni Antonio de Sancta Cruce* ejus Fratri abstulerat, contuleratque Marchioni *Astallio*; ut damnum rependeret Fratri illatum, *Andream* Sarmatici Regni Nuncium Apostolicum renunciat, & Archiepiscopum dicit Seleuciensem. Demum quum *Innocentius XII.* promovisset ad Sacram Purpuram Cardinalem *Tanarium*, in ejus locum Nuncius ad Cæsarem Apostolicus *Andreas* suffectus est. Arduam felici eventu provinciam administravit, difficili præsertim tempore, quo Comes *de Martinitz* Cæsareus Romæ Orator elato nimis

animo negocia apud Sanctam Sedem gerebat A Austriacæ Domus. Nonnulla etiam Castra Cameræ addicta Apostolicæ, Cæsaris subesse dominio imperiosè ajebat. Hinc eorumdem Castrorum possessores, ut Imperium recognoscerent, urgebat, & Sacramentum Cæsari præstarent. Graviter indignatus Pontifex invicto animo Cæsarei Oratoris audaciam repressit, Nuncioque Apostolico edixit, summa ope curaret, ut Comitem *de Martinitz* à demandato Oratoris munere Cæsar revocaret. Nulli pepercit studio *Sancta-Crucius*, resque, B ut in votis erat, prosperè processit. Piissimus enim Princeps Comitem *de Martinitz* Viennam revocavit, alterumque ejus loco Oratorem suffecit Comitem *de Lamberg*, qui omni officii, ac reverentiæ genere Romanam Sedem percoluit.

Die demum 14. Novembris anni 1699. inter Presbyteros Cardinales assumitur Andreas, qui Romam adveniens, Titulum nactus est *Sanctæ* C *Mariæ de Populo*. Congregationibus etiam decoratus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Sacræ Consultationis; indè Episcopatu Viterbiensi donatus. Decente insuper reddituum Ecclesiasticorum substentatione adjutus fuit, ex quibus vitam transegit integerrimam, usque ad diem 11. Maii anni 1712., quo obiit ætatis anno 56.

Comitiis *Clementis XI.* interfuit, eidemque suffragatus est. Sepultus fuit in Ecclesia *Sanctæ Mariæ in Publiculis* ejus Familiæ gentilitia cum hac Inscriptione.

D. O. M.
ANDREÆ PVBLICOLÆ SANCTA-CRVCIÆ
SCIPIONIS FILIO
S. R. E. PRESB. CARD.
TIT. S. MARIÆ DE POPVLO
QVI OB EGREGIAS ANIMI DOTES
SUMMI PONTIFIC. INNOCENTII XI.
ET ALEXANDRI VIII.
COMMENDATVS LEGATIONIBVS
POLONICA ET GERMANICA
PRO SEDE APOSTOLICA IN SVMMA RERVM
ET TEMPORVM DIFFICVLTATE
DILIGENTER ET FIDELITER OBITIS
AB INNOCENTIO XII. PONT. MAX.
IN SACRVM COLLEGIVM COOPTATVS EST
VITERBIENSI ECCLESIÆ PRÆFECTVS
PASTORALEM SVAM VIGILANTIAM OMNIBVS
PROBAVIT
VIXIT ANN. LV. MENS. V. DIES XX.
OBIIT V. IDVS MAII
ANNO REP. SAL. MDCCXII.



Mar-



XXIV.

MARCELLUS DE ASTE Romanus Patriciis ortus Parentibus, nempè ex Barone *Mauritio De Aste*, & *Vincentia Caraffa*. In *Atellæ* Civitate, quæ hodie Aversa dicitur, in Regno Neapolis natalem suum sortitus est die 21. Julii anni 1657. Huc Genitores ejus per id temporis confugerant, ut pestilentiam vitarent, quæ miserè Romam vexabat. Ut dira morbi vis remissa est, timore abjecto Romam revertuntur Parentes ejus, atque hunc adolescentem pietati, studiisque deditum literarum, in Collegio Clementino Patribus Congregationis de Somasca educandum tradunt. Decennis erat, & tamen egregiam indolem assidua librorum lectione excolebat. Scientias omnes lustravit. Sed vix decimum octavum agens annum, malo ejus fato Genitorem amisit. Ut rebus suis domesticis incumberet, egressus è Collegio, Domus suæ curam assumpsit. Inde Affinium, amicorumque impulsu, postquam in Urbis Universitate Lauream Doctoralem fuit adeptus, inter Præsules Romanæ Curiæ recensetur. Praxi Legali incubuerat apud Præsulem *De Cavaleriis* Sac. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium, & apud Advocatum *Arrighium*, qui postea fuit *Innocentii XI.* à cognitionibus, & Papæ, ut dicunt, Auditor.

Vix

Vix inter Referendarios utriusque Signaturæ relatus erat, quum ab eodem Pontifice *Innocentio XI.* Judex Tribunalis Reverendæ Fabricæ Divi Petri dictus fuit. Eodem tempore cœtus causidicorum universus Præsidem seu Patronum Congregationis Sancti Ivonis eum elegit, quo in munere Pauperum causas juxta Canones illius instituti maximè promovit.

Evecto ad Apostolatum *Alexandro VIII.*, motu ejus proprio Assessorem suum Marcellum pronunciavit. Nil sibi tale opinabatur, nec preces inter ambientium turbam, nec ullum officii genus ipse adhibuerat. Pontifex verò, ut novis eum beneficiis prosequeretur, Canonicatum Basilicæ Vaticanæ illi contulit, & Consultorem Sac. Universalis Inquisitionis esse jussit, & inter XII. viros, qui in Signatura Gratiæ suffragium ferunt, adnumeravit. Illum præterea Congregationibus adscripsit Sac. Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Visitationis Apostolicæ, Avenionis, Laureti, & Firmi. Tantis auctus *Marcellus* honoribus, patiens curarum, ac laboris summa integritate, & justitia unicuique muneri respondit.

Sed brevi è vivis sublato *Alexandro VIII.*, assumptoque ad Apostolatum *Innocentio XII.*, Marcellus nil ultra petens, quam è sæculi vicissitudinibus, atque è Romano strepitu se subducere, privatam prorsus vitam amplexus est. Congregationibus Immunitatis, & Sacrorum Rituum frequens erat, præsertim vero Basilicæ Vaticanæ, ut pium decebat Canonicum, quotidiè inserviebat. Sed novus ille Pontifex æquus proborum hominum æstimator, sponte sua Nuncium Apostolicum ad Helvetios eum misit, & Archiepiscopum dixit Athænarum. Papæ obsequens imperio novum etiam munus mirificè exequutus est. Hæreticos in Religiosos viros & præcipuè in universum Cappuccinorum cœtum maximè sævientes, constanti animo repressit, abusus verò in Monachorum cænobiis invectos evellit, sed ut imbecilla erat valetudine, brumali in illo climate minus benè se habere cœpit. Summa hinc ope à Papa missionem efflagitavit. Ejus votis assentitus est Pontifex, sed inertem, vacuamque illum Romæ vitam degere minime passus est. Secretarium eum dixit Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod munus morte Præsulis *de Altovitis* nuper vacaverat. Strenuè, & maxima, ut solitus erat, cum sedulitate, novum hunc etiam Magistratum obibat, sed ut infirmo erat corpore, fractæque ejus vires in dies imminuebantur; Pontifex misericordia ductus Legatione Urbinatensi eum præposuit, ut faciliore in munere convalesceret, minusque laboris impenderet. Deindè verò in hac Cardinalium enunciatione eum in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum invexit, sub Titulo Sancti *Martini in Montibus*.

Nec multo post Episcopus Anconæ electus

A est. Silentio vero prætereundum non est, quod in Consistorio, in quo Pontifex ejus electionem evulgavit; ad perpetuum Gloriæ *Marcelli* Monumentum, his verbis ipse Pontifex usus fuerit = *Damus Anconæ Episcopum Sanctum* = Revera comites sui Pastoralis Ministerii egregias attulit animi sui dotes, exactam nempè morum severitatem, studiumque in Dei cultum perenne. Ut vineam Domini coleret, atque exornaret, accitos ex Urbe

B Roma Presbyteros Missionarios adhibuit; Maximè verò adlaboravit in Diæcesis visitatione, in qua Doctrinam Christianam pueros ipse edocebat, & Sacramenta ministrabat. Præcipua vero cura in Clericorum mores inquirebat, nec eorum quemquam ad Sacerdotium, multo verò minus ad animarum curam assumebat, nisi longo probatum tyrocinio. Parcus cibo, & somno persæpè noctu assurgebat, & flagris debile corpus verberabat, piis-

C que precibus vacabat. Hoc fuit perpetuum suæ vitæ genus in Episcopatus administratione. Et tamen summo mane evigilabat, negocia explebat impendentia, supplicesque, & eos, qui fandi copiam petebant, excipiebat assiduè.

Sed virium, præsertim vero stomachi imbecillitas & fracta ejus corporis habitudo in dies ingravescebat; Ut paulisper requiesceret, medicorum consilio Bononiam valetudinarius secessit. In Cænobio Patrum Sancti

D cti Dominici, ubi domicilium elegerat, omnia infirmitati remedia exquisivit; sed plura expertus, exasperabatur quotidiè tenax morbi vis. Humanitati obtemperandum fuit. Bononiæ piè obiit die 11. Junii anni 1709., qui erat ætatis ejus quinquagesimus secundus. In eadem Ecclesia Patrum Sancti Dominici justa illi funebria acta sunt, adstantibus Cardinale *Grimaldo* de Latere Legato, & Cardinali *Boncompagno* Archiepiscopo. Laudes ejus reci-

E tavit Pater Magister *Venturini* ex eodem Ordine Prædicatorum. In eadem Ecclesia humatus fuit cum hac brevi Inscriptione, ut ipse in Testamento præscripserat.

HIC CARNIS RESVRRECTIONEM EXPECTAT
MARCELLVS S. R. E. CARDINALIS DE ASTE
EPISCOPVS ANCONÆ

Cor ejus translatum fuit ad Anconæ Eccle-

F siam Cathedralem. Ibi iterata funebri pompa, magno exceptum luctu Cleri, & Populi, conditum fuit; atque hoc illi adjectum fuit Elogium.

MARCELLVS TITVLI S. MARTINI IN MONTIBVS
S. R. E. CARDINALIS DE ASTE ROMANVS
VT POST OBITVM HIC ESSET
COR VBI VIVENTIS FVERAT
THESAVRVS TESTAMENTO IVSSIT
PASTORI AMANTISSIMO
COMES LAVRENTIVS DE FERRETTIS

CVM LACRYMIS POSVIT
DECESSIT BONONIÆ
ANNO DOMINI MDCCIX.
III. ID. IVNII ANNORVM LII.

Alterum à Capitulo illius Cathedralis memoriæ illius positum fuit monumentum. Alterum etiam à publico Magistratu in Aula illius Palatii.

A Comitiis interfuit, in quibus *Clemens XI.* renunciatus est Summus Pontifex. Congregationibus adscriptus erat Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, & S. Immunitatis Ecclesiasticæ.





XXV.

DANIEL MARCUS DELPHINUS Venetus, *Joannis* Cardinalis Delphini ex fratre Nepos, alteriusque *Joannis* Cardinalis *Delphini* senioris Abnepos fuit. Patrem habuit *Nicolaum*, Matrem vero *Elisabetham Gradonicam*, ex quibus Patriciæ Gentis Parentibus lucem adspexit die 5. Octobris anni 1654.

Is à *Joanne Delphino* ejus Patruo, qui junior dici potest, Romam adducitur, quum ad Conclave advenerit, in quo *Innocentius XII.* electus fuit. *Daniel* maturæ jam erat ætatis, utque scientias omnes sub Patrui disciplina delibaverat, sic eodem Patruo promovente, novo notus fuit Pontifici, ejusque existimatio- A nem est assequutus. Primo etenim inter ejus Cubicularios honoris est relatus, deindè inter Referendarios utriusque Signaturæ cooptatus, ad præclarum munus Pro-Legati Avenionensis traductus fuit. Ibi Jura Sanctæ Sedis vindicavit, nec tamen Gallos finitimos offendit. Quinimo & à Papa, & ab ipso Christianissimo Rege magni semper est habitus. Quare vacantem in Gallia Apostolicæ Nunciaturæ B Legationem utrimque desideratus obtinuit.

Novum, ac perdifficile munus solita cum dignitate exercuit. Solers in promovenda Ecclesiæ Romanæ debita reverentia, severus in vita, quam agebat, honestissimâ, Magnifi-

cus

cus vero in reliquo vivendi genere. Nobiles, ac Regni Primates Conviviis excipiebat quotidiè.


Hinc abditos cæterorum Ministrorum sensus, & Regni quasi latebras rimabatur. Quid Gallia, quid fermè Europa cuncta moliretur, Pontificem certiorem faciebat. Virum hinc tot meritis commendatum Pontifex Brixiensi primum Episcopatui admovit, deindè in hac Promotione diei 14. Novembris anni 1699. inter Cardinales assumpsit. Quum vero Romam advenisset, eum & Pileo donavit, & Titulo *S. Susannæ*. Parisiis excedens, ne Purpuræ Dignitatem deprimeret, nevè honori, aut loco cederet, Principes Regi affines, *quos de sanguine* appellant, nequidem visitavit, ut ejus Antecessor Cardinalis *Cavallerinus*, Sancta Sede inconsulta, prætiterat.


Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus *Clemens* XI. electus fuit, iisque expletis ad suam Brixiensem Ecclesiam remeavit; ubi pluribus editis pietatis ac singularis munificentiæ monumentis, innocuam egit vitam usque ad annum 1704.; quo obiit die 5. Augusti omnibus desideratus, & in illa Cathedrali in Cappella Sanctissimi Sacramenti honorificè tumulatus cum hoc Elogio.

D. O. M.

HIC IACENT OSSA MARCI DELPHINI
S. R. E. CARDINALIS BRIXIÆ EPISCOPI
DONEC EX HOC TVMVLTVARIO
IN DIGNIOREM TVMVLVM TRANSFERANTVR
OB. V. AVGVSTJ ANNI MDCCIV.
ANNVM IPSE AGENS L.
INGENTI ANIMO ET VIRTVTIBVS
VIR IMMORTALITATE DIGNISSIMVS

Congregationibus adscriptus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Sacrorum Rituum.





SPERELLVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS DE SPERELLIS ASSISIENSIS,
CREATVS DIE XIIII. NOVEMBRIS MDC.XCIX.
Obyt die 22 Marty 1710.

Antonius Odatius Pinxit. *Arnold' Wan Westerhout Scul*

Romæ ex Chalcographia Dominici de Rubeis heredis Io Iacobi ad Templ S. Mariæ de Pace, cum Priuil Sum Pont et sup perm

XXVI.

SPERELLUS DE SPERELLIS Assisiensis die nascitur 15. Augusti anni 1639. ex *Antonio de Sperellis*, & *Julia Filippucci* eximia Maceratensi Matrona. Paterna ejus Familia de Sperellis ex Civitate Perusii fortasse oriunda (*a*) Assisium pluribus ab hinc sæculis translata, viros undequaque emisit Bello, Literisque præstantes. Bello quidem antiquitus claruere *Joannes*, & *Philippus* Fratres, de quibus extat in eadem Civitate marmoreum, prout sequitur, perenne monumentum.

A

IOANNI SPERELLO EXERCITVVM DVCTORI
ET PHILIPPO FRATRI APOSTOLICO LEGATO
OB PATRIAM SERVATAM
CIVITAS ASSISII MONVMENTVM POS.
ANNO MCCXXXXIX.

Literis etiam præstitere in eadem Familia ipse *Philippus*, qui sæculo XIII. ad Helvetios Nuncius fuit Apostolicus, pluresque alii aut dignitatibus Episcopalibus benè gestis, aut splendidè latis legationibus, aut editis in legali facultate voluminibus clarissimi.

B

Ju-

(*a*) Ut ex Vita hujus Cardinalis in Relationibus Arcadiæ Tom.III.

A *Julia Filippucci* ejus, ut diximus, Mater uno fœtu geminos Fratres edidit, *Sperellum* nempè, de quo sermonem instituimus, & *Cæsarem*, qui Interamnæ præfuit Episcopus. Moribus hinc, vultu, & ingenio ambo simillimi extiterunt; voluntate item pari, mutuâque benevolentia. *Sperellus* impubes adhuc Francisco *de Sperellis* Patruo suo, atque Episcopo Septempedano (*a*) educandus traditur. Prima ibi scientiarum rudimenta posuit. Indè verò in ætate annorum 16. Perusium venit, ut sedulam Jurisprudentiæ navaret operam. Annos natus 21. unacum Cæsare ejus Fratre Laurea Doctorali insignitur. Mox Eugubium transfertur, ubi alter Patruus ejus *Alexander de Sperellis* Episcopus præerat vigilantissimus. In ardua Diœcesis administratione hujus persæpè Nepotis consilio utebatur. Imo plurium Beneficiorum ab hoc piissimo Præsule in eamdem Ecclesiam, & Civitatem Collatorum *Sperellus* Auctor fuit.

Annum agens vigesimum quartum Romam venit. Ab omnibus Literatorum hominum cœtibus desideratus, exceptusque. Infœcundorum Accademiam frequens adiit. Alteram in Collegio Propagandæ Fidei institutam peculiari studio percoluit. Postremæ hujus Accademiæ, quum Cardinalis evasit, Protector fuit. Practicæ Jurisprudentiæ incubuit, & Cardinalis *de Luca* jam celeberrimi Causidici Auditor fuit. Ipse etiam difficile Advocati munus obivit; nulla tamen lucri cupiditate hunc laborem suscepit, sed solo juvandorum Civium, aut amicorum studio. Nullis ditatus Ecclesiæ Sacerdotiis, soloque licet angusto sui Patrimonii censu contentus, parcam, honestam tamen degebat vitam. Cardinalis *Franzoni*, & *Felicis* Cardinalis *Rospigliosi* Assessor assumptus fuit. Indè ab *Innocentio XI.* Episcopus renunciatur Interamnæ; ubi sine crimine, & sine querela oves sibi creditas Pastor vigilantissimus regebat.

Innocentius XII. tanti viri virtutibus excitatus, ex Episcopali Ministerio Romam eum advocat, & Romæ Vicesgerentem dicit. Is Episcopatum dimisit favore *Cæsaris* Fratris sui, qui tali ratione Episcopus, ut innuimus, Interamnensis emersit. Tantamqae apud *Innocentium XII.* existimationem Sperellus nactus est, ut posthabito interdum Cardinali *de Carpineo* ejus Vicario, ipsi soli abdita Urbis arcana concrederet. Eum præterea dixit Assessorem Romanæ, & universalis Inquisitionis; atque in priori Cardinalium enunciatione facta anno 1695. ipsum ad Sacram Purpuram admovisset, ni vulgata de eo calumnia in homicidio *Ulderici* Comitis *Fluminis* Sperellum conspirasse, Pontificis animum retraxisset; sed ejus innocentiæ testis tota Urbs extitit. Dilatam proinde Purpuram illi tribuit in hac Cardinalium enunciatione diei 14. Novembris anni 1699., atque inter Presbyteros Cardinales recensuit; eum tamen in pectore retinuit usque ad diem 24. Novembris ejusdem anni 1699., quo eum publicavit, & titulo decoravit *Sancti Joannis ante Portam Latinam*. Locum insuper obtinuit in Congregationibus Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & SS. Inquisitionis.

Plausu excepta fuit ejus Promotio, nedum proborum hominum, sed quamplurium Ditionis Ecclesiasticæ Civitatum. Urbs Septempedana, quæ inter Patricias olim suas Familiam *Sperelliam* adnumerabat, stemma ejus gentilitium, & Elogium, prout sequitur, erexit.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
SPERELLO SPERELLIO
PATRICIO SEPTEMPEDANO
AB INEVNTE ÆTATE
PERQVÆSITÆ SAPIENTIÆ GRADVS
OMNIVMQVE VIRTVTVM CONCENTVM
AD VATICANÆ PVRPVRÆ CVLMEN
FELICITER EVECTO
ORDO SEPTEMPEDANORVM
LIBENTIS ANIMI ERGO
MAIORA PRÆSAGIENTIS FAVSTI
PRINCIPATVS PRIMORDIA
GENTILITIO STEMMATE DEVOTISSIME
CONSECRAT
HVMILLIME DICAT
INSTAVRATÆ SAL. AN. MDCXCIX.

Deindè ejusdem Civitatis Protector assumptus fuit.

Congregationibus sibi attributis adesse non destitit; vitamque egit integerrimam, & actuosam usque ad annum 1710., quo ægrotare cœpit. Die tandem 22. Martii ejusdem anni occubuit, sepultusque est in Ecclesia ejus Titulari *Sancti Joannis ante Portam Latinam*, cum hac Epigraphe.

SPERELLO DE SPERELLIS ASSISIENSI
HVIVS TITVLI S. IO. ANTE PORTAM LATINAM
S. R. E. PRESB. CARD. NOBILITATE GENERIS
MORVM INNOCENTIA INGENII ACVMINE
AC TENACI AD ADMIRATIONEM MEMORIA
SPECTATISSIMO
QVI IVRIS CIVILIS ET PONTIFICII SCIENTIAM
ELOQVENTIA SINGVLARIQVE ERVDITIONE
CVMVLAVIT
VIVERE DESIIT AN. ÆTAT. LXXI. SAL. MDCCX.
CÆSAR EPISCOPVS INTERAMNÆ
IO. OCTAVIVS EQVES AC COMMEND. S. STEPHANI
ET ASCANIVS FRATRI OPT. P. C.

Vaticanis adfuit Comitiis, in quibus *Clemens XI.* ad Apostolatum ascendit.

(*a*) San Severino.



XXVII.

DOMNUS JOANNES MARIA GABRIELLIUS Tifernas ex honestis Parentibus die nascitur 10. Januarii anni 1654. A

Puer Romam traducitur, ubi sub cujusdam Avunculi sui disciplina studiis incubuit humanioribus. Literas nedum Latinas, sed Græcas etiam optimè calluit.

Logicam, Philosophiam, & Theologiam ita lustraverat, ut in publicis, quas passim habuit, disputationibus, præclara doctrinæ, & B vividi ingenii specimina ediderit. Annum agens decimum septimum, ut S. Spiritus afflatibus obsequeretur, in Congregatione S. Bernardi Ordinis Cisterciensis adscribi obtinuit. Tyrocinio expleto, ut alios ex eadem Cistercii Familia edoceret, Lector Philosophus, & Theologus assumptus est.

Viginti per annos, quibus Philosophiam, & Theologiam, præcipuè Polemicam enarravit, etiam in erudito dicendi genere excultus est. Sacras quandoque habebat ex sugestu orationes. Pietatis hinc & doctrinæ, atque omnigenæ eruditionis famam adeptus est. Pluries eum *Innocentius* XI. ad Episcopatum assumen-

mendum ultro evocaverat. Oblatas tamen dignitates modesto, & constanti animo recusavit. Nil ampliùs in votis habuit, quam ut tranquillam in Religionis officiis, atque in pulvere Literario ageret vitam.

A

Alexander vero *VIII.*, eum in publicis muneribus cœpit adhibere. Inter Consultores adscriptus Sac. Congregationis Indicis Librorum prohibitorum, plures de Sancta Catholica Doctrina inter primarios Theologos lucubrationes enucleavit; nonnullas etiam publici Juris fecit, proprio tamen suppresso nomine. Omnia, & suprema sui Ordinis munera obivit. Visitator Generalis, deindè verò Procurator etiam Generalis fuit in Romana Curia. Tandem ad summum Ordinis sui apicem pervenit; Abbas enim dictus est Generalis.

B

Sed majores ejus fama doctrinæ progressus habuit sub *Innocentio XII.* Qualificator enim primum dictus est Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, deindè Collegii Urbani de Propaganda Fide studiorum Præfectus. Quumque in eodem Collegio inter suos Alumnos cuidam disputationi Theologicæ incumberet, Nuncius adventat de ejus facta in Cardinalem electione. Nihil sibi tale ominabatur, atque inter suas Theses sedulam disceptando navabat operam oleo tranquillior; nec turbavit animum Hominis verè Philosophi inexpectatum Nuncium. Disputationem iterum, atque iterum prosequendam jussit; donec nobilium, ac Præsulum undequaque affluentium, & gratulantium concursu circumseptus argumentandi finem imposuit.

C

D

Sic ille inter Presbyteros Cardinales relatus est die 14. Novembris anni 1699. sub Titulo *S. Pudentianæ*. Congregationibus adscriptus fuit Sanctissimæ Inquisitionis, Sacri Concilii Tridentini, Indicis Librorum prohibitorum, Sacrorum Rituum, Examinis Episcoporum, atque Episcoporum, & Regularium. Ab eodem *Innocentio XII.* in gravissimis Fidei controversiis adhibitus fuit. Quasdam Dissertationes, seu Libros typis edidit, sine tamen authoris nomine, quos omnes proindè recensere facile erit. Præsertim vero scripsit circa suspectam doctrinam eruditissimi in Gallia Præsulis *de la Mothe Fenelon* Archiepiscopi *Cameracensis*. Sic *Gabriellius* actuosam, piamque vitam transegit usque ad annum 1711., quo obiit die 17. Septembris in Oppido Caprarolæ, quo se contulerat, ut fractas ejus vires reficeret. Ejus Cadaver ad Ecclesiam Sancti Bernardi translatum in Odèo ejusdem Ecclesiæ humatum fuit cum hac Inscriptione, quam vivens sibi ipse exaraverat.

D. O. M.
IOANNES MARIA GABRIELLIVS TIFERNAS
EX ABBATE GENERALI CONGREGAT. S. BERNARDI
S. R. E. TIT. S. PVDENTIANÆ PRESBYTER CARD.
AB INNOC. XII. PONT. MAX.
CREATVS XIV. NOVEMBRIS MDCXCIX.
MORTIS MEMOR VIVENS SIBI POSVIT
OBIIT ANNO MDCCXI. DIE XVII. SEPTEMBRIS
ÆTATIS SVÆ LVIII.

Comitiis adfuit, in quibus Clemens XI. electus fuit (*a*).


Quarta, & ultima Cardinalium Enunciatio facta
AB
INNOCENTIO XII.

Die 21. Junii 1700.

28 Ludovicus Antonius De Noailles Gallus Episcopus Parisiensis.
29 Joannes Philippus Lamberg Germanus Episcopus Passaviensis.
30 Franciscus Borgia Hispanus Canonicus Toletanus.

Lu-

(*a*) Vide Lilia Cistercii à Marotio Episcopo Salutiarum conscripta.



Dominicus de Rubeis formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priuil. Summi Pont.

XXVIII.

LUDOVICUS ANTONIUS DE NOAILLES Parisiis natus est die 27. Maii anni 1651. ex Patriciis, primæque Nobilitatis Parentibus, nempè ex *Anna* Duce de Noailles Præfecto primæ Cohortis stipatorum Regis, & ex *Ludovica Boyer*. Dum gemini ejus fratres, ut mos erat, hujus egregiæ Familiæ, strenuam rei Militari navabant operam; *Ludovicus Antonius* Literis, ac pietati intentus in Universitate Sorbonica exemplo cæteris anteibat. Ibi Lauream Doctoralem adeptus est anno 1676. Ex ejus vitæ austeritate, & ex scientia doctrinæ Ecclesiasticæ, necnon ex ejus generis præclara conditione excitatus *Ludovicus XIV.*, A cito Regiis Beneficiis eum affecit. Anno enim 1679. Episcopus primo electus est Cadurcensis *Chalons* deinde ad Catalaunensem, an. 1680. translatus est. Ubi vero ad Archiepiscopatum Parisiensem eum admovere cogitavit, summa ope nisus est, ut Regem à sententia abduceret; incassum tamen, & quo magis per humilitatem renuebat, alacrius Judicio Regis, & Populorum plausu exceptus est: atque adeo ejus fama pietatis percrebuerat, ut ipse *Innocentius XII.* sedulo incubuerit, mutuamque contulerit manum, ut illius electio B perficeretur, & Bullas Pontificias gratis indulsit. Die 10. Novembris anni 1695. Parisiensis Ec-

clesiæ adiit possessionem, atque in ejusdem Civitatis Senatu Dux, & Par Franciæ sedit. Die 20. Maii sequentis anni Gastonem ejus Germanum Fratrem Episcopum Catalaunensem consecravit. Seminarium Clericis aperuit. Synodum totius Diæcesis anno 1697. celebravit. Tandem ad ipsius Christianissimi Regis preces in hac promotione diei 21. Junii anni 1700. Presbyter Cardinalis assumitur, pauloque post sequuta morte ejusdem Pontificis, Romam petiit, & in Vaticanis Comitiis *Clementi XI.* novo Pontifici suffragatus est. Ab eo Cardinalitio pileo, & Titulo *Sanctæ Mariæ Supra Minervam* donatus est.

In Galliam indè reversus pluribus Ecclesiam, cunctamque Diæcesim prosequutus est beneficiis. Anno 1701. primum posuit lapidem Ecclesiæ, quam pro Monialibus Benedictinis magnifico sumptu apud Carentonem Rex extruxit. Anno 1709. cunctam suam argenteam supellectilem erogavit in pauperes, fame laborantes in magna, quæ tunc ingruebat, Annonæ caritate. Anno 1710. Sorbonæ Provisor electus est, & Regii Ordinis Sancti Spiritus Commendator, Generalibus Cleri Gallicani Comitiis pluries præfuit. Anno 1719. Regem Ludovicum XV. Sacro Chrismate confirmavit.

Sed in tanto virtutum nitore plura occurrunt inter eum, & Sanctam Sedem dissidia, & quidem obfirmato nimis animo diutius protracta, quæ præclaram ejus memoriam inquinarent, ni tandem sententiam mutasset, & Palinodiam cecinisset. Celebri siquidem Pontificiæ Constitutioni, quæ incipit *Unigenitus* fortiter obstitit, & plura evulgavit, publicique Juris fecit, quibus *Paschalem Quesnellium*, ejusque Libros, nedum à Papa, & in Italia, sed & in Galliis à probis, doctisque viris, præsertim vero à quamplurimis piissimis Episcopis, ab Universitate Parisiensi, à Rege ipso damnatos, & tanquam noxios, & hæreticos proscriptos; ipse pervicaci nimis animo substinuit, & veluti utilissimos osculatus est. Visenda hæc sunt in collectione ejus Mandatorum Parisiis edita anno 1718.

Sed major venit post cineres fama. Siquidem antequam moreretur, eamdem Constitutionem *Unigenitus* probavit, & ratam habuit, atque omnia filialis reverentiæ officia Romano exhibuit Pontifici. Obiit die 4. Maii anni 1729., sepultusque est in Ecclesia Parisiensi ante Sacellum Beatæ Mariæ cum hac inscriptione.


AD PEDES DEIPARÆ
QVAM SEMPER RELIGIOSE COLVERAT
HIC IACET
VT TESTAMENTO IVSSIT
LVDOVICVS ANTONIVS DE NOAILLES
S. R. E. CARD. ARCHIEPISCOPVS PARISIENSIS
DVX SANCTI CLOTOALDI PAR FRANCIÆ
REGII ORDINIS S. SPIRITVS COMMENDATOR
PROVISOR SORBONÆ
AC REGIÆ NAVARRÆ SVPERIOR COMMISSI
SIBI GREGIS SOLLICITVDINE PASTOR
CARITATEM PATER MORIBVS FORMAM
DOMVI SVÆ BENE PRÆPOSITVS
DOMVS DOMINI ZELO ACCENSVS
IN ORATIONE ASSIDVVS
IN LABORE INDEFESSVS
IN CVLTV MODESTVS IN VICTV SIMPLEX
SIBI PARCVS IN CÆTEROS SANCTE PRODIGVS
A TENERIS AD SENIVM ÆQVALIS
IDEMQVE SEMPER PRVDENS MITIS PACIFICVS
VITAM TRANSEGIT BENEFACIENDO
ECCLESIAM PARISIENSEM ANNIS XXXIV.
REXIT D'REXIT EXCOLVIT ORNAVIT
EIVS BENEFICENTIAM HOMINES SI TACENT
HVIVS BASILICÆ LAPIDES CLAMABVNT
OBIIT PLENVS DIERVM OMNIBVS
FLEBILIS DIE MAII IV.
ANNO DOMINI MDCCXXIX.
ÆTATIS SVÆ LXXVIII.
VIRO MISERICORDI
DIVINAM MISERICORDIAM APPRECARE.

Congregationibus adscriptus erat Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Sacrorum Rituum. Titulum immutavit S. Mariæ supra Minervam, & ad alium promotus fuit Sancti Sixti Veteris (a).



JOAN-

(a) Gallia Christiana Tom. 1. pag. 153. & Tom. 7. pag. 188. Vita *Clementis XI.* lib. 4.



XXIX.

JOANNES PHILIPPUS LAMBERG Germanus die nascitur 26. Maii anni 1651. ex *Joanne Maximiliano* Sac. Romani Imperii Comite *Lamberg* Barone Ortenech, & Ottenstein, Domino Dinastiæ in Steyr, Equite Velleris aurei, Legato Cæsareo ad Hispanos, ac in Conventu Wesphalico Plenipotentiario; & ex *Esther Eleonora* Comitissa Boema in *Vvirten*, & *Freidental*. Joannes Philippus inter Natalium splendorem, ac Genitorum curas optimè educatus, in Civitate Salisburgensi literis incubuit humanioribus, atque in illa Cathedrali Canonicatum adeptus est. Viennam indè in Austria se contulit, ibique Philosophiæ sedulam na- A vavit operam, atque in utroque Jure Lauream Doctoralem est assequutus.

Honores, & benevolentiam in Aula Cæsaris, ut in more est hujus prænobilis Familiæ, facillimè invenit. *A Leopoldo* primo Imperatore ad Brandemburgicos Legatus mittitur; indè in Saxoniam, ut Viennæ à Mahometanis obsessæ suppetias impetraret. Magna obtinuit B subsidia, nam adjutricem Christiani Principes operam præstitere, & copiis undique accitis, Metropolim illam Austriæ in libertatem vindicarunt. Tertia tandem decoratus fuit Legatione, & ad Sarmatas abiit, omnemque movit lapidem, ut *Fridericus Augustus* Saxoniæ

Dux,

Dux, Poloniæ Rex salutaretur. Voti compos effectus fuit, magisque lætus quievit, ex quo, ejuratis Lutheri erroribus, Princeps ille Catholicam amplexus est veritatem.

Tantis ornatum meritis *Leopoldus* Cæsar grati animi officiis virum hunc undequaque percoluit. Primò enim ultra Canonicatum Salisburgensem, alterum in Cathedrali Passaviensi Canonicatum illi contulerat. Deindè vacanti eidem Episcopatui Passaviensi eum admovit. Hoc in munere omnes vigilantissimi Pastoris partes explevit. Diœcesim lustravit, Templa instauravit, ac sacrâ supellectile ditavit; Sanctissimis editis legibus Populum edocuit, sed magis docuit exemplo. Indè ad Dietam Ratisbonensem Legatus, & Plenipotentiarius missus, Cæsaris jura asseruit, & Imperii pacem firmavit.

Tandem, eodem Cæsare proponente, in hac Promotione diei 21. Junii anni 1700. inter Purpuratos Patres assumitur ab eodem *Innocentio XII.* Quo mortuo ad Comitia adveniens Vaticana, & ipse suffragatus est *Clementi XI.*, qui Summus Pontifex fuit renunciatus. Demum ab hoc Pontifice pileum obtinuit Cardinalitium, & Titulum *S. Silvestri in Capite*.

Roma discedens *Philippus* Cardinalis de *Lamberg*, quosdam convenit Italiæ Principes, ut eos nomine *Leopoldi* Cæsaris excitaret in Gallos eidem Cæsari Bellum denunciantes. Utrinque enim disceptabatur, mortuo *Carolo II.* Hispaniarum Rege, cui Jure hæreditario tot præclara Regna obvenirent. Viennam rediit, ibique optimus *Leopòldi* Consiliarius fuit, atque hoc Principe è vivis sublato, eàdem fidei constantia adstitit *Josepho I.*, & *Carolo VI.* Imperatoribus. Tandem die 20. Octobris anni 1712. flebilis Aulæ Cæsareæ, & Passaviensibus suis occubuit.





X X X.

FRANCISCUS BORGIA Hiſpanus natus eſt die 27. Martii anni 1659. ex Carolo *Borgia Gandiæ* Duce, & Comite de *Oliva*, & ex *Màrìa Ponza de Leon* Filia Ducis De Arcos. Parem clariſſimis natalibus nactus eſt educationem, atque in Collegio S. Idelphonſi Univerſitatis Complutenſis omnes diſciplinarum fontes luſtravit. Ibi nedum Laurea Doctorali donatus fuit, ſed ipſe ex Cathedra docendo plura, & ingentia Doctrinæ ſpecimina exhibuit. Archidiaconus primum dictus eſt Calatravæ, deindè Canonicus Toletanus. Et cum ubique ob pietatem, ſtudiumque Literarum optimum ſe præbuerit exemplar, à Rege

A *Carolo II.* inter Conſiliarios aſſumitur Aragonenſes. Quinquennio Arcana Regis tractavit ea integritate, ac fide, ut Principis benevolentiam promeritus, Epiſcopatum primo Calaguritanum in Hiſpania Tarraconenſi, & deindè ejuſdem Regis nominationem ad Cardinalatum obtinuerit.

Itaque ad preces ejuſdem *Caroli* Regis inter Presbyteros Cardinales ab *Innocentio XII.* recenſetur die 21. Junii 1700. Eodemque Pontifice è vivis ſublato, quum Romam *Fran-*
B *ciſcus* profectus eſſet, ut novi Pontificis adeſſet electioni, ipſi ſoli Conclavis Arcana Rex crediderat, ſed vix arrepto itinere, ejuſdem

Regis *Caroli II.* tristissimus obitus supervenit. Hinc ab Aulicis, & Hispaniæ Magnatibus Matritum revocatus, ad suam se convertit Diæcesim, ubi piè, & sanctissimè vixit usque ad diem 4. Aprilis anni 1702., quo omnibus desideratus occubuit in viridi ætate annorum 43.

Cardinales mortui in toto Innoc. XII. Pontificatu,

INNOCENTII X.

1 Alderanus Cybo è Massa Carrariæ Decanus Sac. Collegii.
2 Franciscus Maidalchinus. Viterbiensis.
3 Carolus Barberinus. Romanus,

ALEXANDRI VII.

4 Flavius Chisius. Senensis.
5 Jacobus Fransonus. Januensis.
6 Palutius Albertonius De Altieriis. Romanus.
7 Joannes Nicolaus De Comitibus. Romanus.
8 Julius Spinula. Januensis.
9 Antonius Bichius. Senensis.
10 Joannes Delphinus Patriarcha Aquilejensis. Venetus.

CLEMENTIS X.

11 Federicus Columna olim Baldeschius. Perusinus.
12 Hieronymus Casanate. Neapolitanus.
13 Frater Philippus Thomas Hovvart De Nortfolcia. Anglus.

A

INNOCENTII XI.

14 Franciscus Bonvisius. Lucensis.
15 Fridericus Vicecomes Archiepiscopus Mediolani. Mediolanensis.
16 Frater Raymundus Capisuccus Ordinis Prædicatorum. Romanus.
17 Frater Laurentius Brancatus Cardinalis de Lauræa nuncupatus. De Lauræa.
18 Joannes Franciscus Ginettus. Romanus.
19 Jacobus de Angelis. Pisanus,
20 Opitius Pallavicinus. Januensis.

B

21 Carolus Cicerus. Comensis.
22 Joannes Goessen. Germanus.
23 Joannes Casimirus Denhoff. Polonus.
24 Domnus Joseph de Aguirre Monachus Sancti Benedicti. Hispanus.
25 Fortunatus Carafa. Neapolitanus.
26 Dominicus Cursius. Florentinus.
27 Raynaldus Estensis Mutinensis, qui anno 1695. Cardinalatum dimisit.

EIUSDEM INNOCENTII XII.

28 Jacobus Cavallerinus. Romanus.


C

29 Federicus Caccia Archiep. Mediolani. Mediolanensis.
30 Domnus Cælestinus Sfondratus Ordinis Sancti Benedicti. Mediolanensis.
31 Dominicus Taurusius. Urbevetanus.
32 Alphonsus de Aguillar de Corduba. Hispanus.
33 Daniel Marcus Delphinus. Venetus.

Tres itaque *Innocentius XII.* Sedes Vacan-

D

tes reliquit in Sacro Senatu.



Numiſmata ſelectiora, quæ in Pontificatu Innocentii XII. ſunt percuſſa.

I.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I.
PACEM DONES PROTINVS.

Spiritus Paraclitus in ſolita columbæ ſpecie in poſtica apparet. Pacem, quam invocato Spiritus Sancti præſidio in maximis Eccleſiæ calamitatibus Roma ſperaverat, Innocentius XII. vix Summus Pontifex renunciatus, reſtituit. Plura interius, exteriuſque compoſuit. Chriſtianos Principes diuturno, ac pertinaci afflictos bello conciliare ſategit; pluresque alios Catholicos Principes à Romana Sede diſſidentes, ad concordiam perduxit; præſertim vero Galliam, & contentiones Cleri Gallicani anno 1682. Pariſiis coacti conciliavit. Hanc pacem, cujus jam *Alexander VIII.* prima jecerat fundamenta, *Innocentius XII.* feliciter abſolvit; ut dixi in ejus vita pag. 394. lit. E.

II.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I.
IVSTITIA ET ABVNDANTIA PACIS.

Duplex hoc juſtitiæ, paciſque ſtudium in poſtica expreſſum ſub forma mulieris ſedentis, dexteraque manu olivæ ramum, ſiniſtra vero librum tenentis, atque enſem in terra projectum conſpicientis, proprium verè fuit Innocentii XII. Juſtitiam maximè coluit tum in rectâ ac prudenti imperii adminiſtratione, tum in maximis ædificiis in id extructis, ut in ejus vita pag. 393. lit. F., & alibi paſſim. Paci vero in Eccleſiæ ſinum invehendæ adeo incubuit, ut fructus hujuſmodi optatæ pacis relatus ſit uberrimus, ac multiplex, ut inferius etiam patebit, & paſſim in ipſa ejus vita recenſetur.

III.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.

Eadem fere poſtica intentum, ut ſupra, juſtitiæ, paciſque artibus Pontificis animum ſignificat.

IV.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I.
A DEO DATVS DIE XII. CORONAT. XV. IVLII.

Electio hujus Pontificis, illiuſque coronationis ritus univerſus ſupra in ejus vita exprimitur pag. 391. lit. F.

V.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I.
A DEO ET PRO DEO.

Supra fidem miſerator, & miſericors fuit Innocentius. Ejus in pauperes liberalitatis mirifica, & maxima ſuperſunt adhuc monumenta. Ea ſingillatim retuli in ejus vita ferè univerſa; præſertim vero pag. 392. lit. F., & pag. 393. Idque potiſſimum ſignificat Mulier in poſtica ſtans, quæ puerum in ulnis tenet, alioſque duos è lateribus pueros nummos è Vaſis profundentes.

VI.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. I.
TV DOMINVS ET MAGISTER = atque in exergo = EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Hoc Numiſma in aliis etiam Pontificibus obſervatum, ſolitam pedum peregrinorum lotionem exprimit, quam ritu veteri peragit Romanus Pontifex feria V. in Cœna Domini.

VII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. A. II.
BEATVS QVI INTELLIGIT SVPER EGENVM ET PAVPEREM.

Prolixius agerem, ſi plura de Innocentii in pauperes liberalitate hic referre decernerem. Vide in ejus vita ferè univerſa, præſertim vero pag. 393.

VIII.

INNOCENTIVS XII. PONT. OPTIM. MAXIM. AN. II.
EGENOS VAGOSQVE INDVC IN DOMVM TVAM. *Iſai.* 58. 7.

Palatium Lateranenſe à Sixto V. pro Romanis Pontificibus olim extructum, curandis, alendiſque pauperibus Innocentius adſcripſit; eos eſſe inquiens ſuos Nepotes tanto dignos domicilio. In hoc igitur Palatium pauperes puellas invexit, ut lanificio incumberent, & Chriſtianæ fidei rudimenta perdiſcerent, ut dixi pag. 393. Diſcretum etiam locum attribuit egenis maſculis, ut ſuo loco memoravimus, inferiuſque patebit.

IX.

INNOCENTIVS XII. VNIVERSÆ ECCLES. PONT. MAX.
SAVVS CARD. MILLINVS VRBEVET. ECCLES. EPISC.
IN INNOCENTIA ET SAPIENTIA FVNDATA AN. DOMINI MDCXCIII. DE MENSE IVNII IN TERRA VVLSINII.

In antica Templi ichnographia aſſurgit & Cardinalis Millini parvum ſtemma. In Poſtica vero gentilitium Innocentii XII. ſtemma ſupernè appoſitum cum duplici Palmæ ramo; infernè vero rurſus ejuſdem Cardinalis Millini inſignia.

Conspirantibus Innocentii liberalitate, & pauperum eleemosynis in terra Vulsinii anno 1693. magnificum templum extrui cœptum est, quod Sanctissimæ Eucharistiæ dicatum fuit.

X.

INNOCENTIVS XII. PONT. MAX. A. III.
ERIT EGENO SPES. IOB.V. inferius MDCXCIV.

Maximi ædificii adspectus, qui in postica assurgit, Hospitium Apostolicum significat ad ripam Tyberis propè Portam, quæ Portuensis dicitur. Hospitium hoc ab Innocentio pauperibus attributum, maximè ab eo auctum, nuncupatum indè fuit *Hospitium S. Michaelis*. Amplissimos illi redditus contulit, puerosque instituendos dedit Patribus Scholarum Piarum. Curandæ præterea hujus pii loci rei domesticæ tres Cardinales præfecit, quibus administrandi etiam Lateranensis Ginæcæi Provinciam delegavit.

XI.

INNOCEN. XII. PONT. M. A. III.
VIGILAT QVI CVSTODIT EAM MDCLXXXXIV.

S. Petrus stans cum clavibus è conspectu Urbis Romæ, ejus in ipsam Urbem patrocinium significat.

XII.

INNOCEN. XII. PONT. OPT. MAX. = inferius = BEATRIX HAMERANA.
SIGNVM SVVM APERVIT EGENIS.

Solitam in pauperes Pontificis liberalitatem Numisma exprimit. Symbolum charitatis in postica aspicitur; nempè Pellicanus stans in quadrato lapide, in cujus fronte ann. 1694., atque in lateribus Pontificis gentilitia insignia incisa sunt. Pellicanus rostro pectus discindit, & sanguinem filiis bibendum præbet.

XIII.

INNOC. XII. PONT. MAX. AN. IV.
IVSTITIÆ ET PIETATI CIƆIƆCVC.

Alterum, atque eximium magnanimitatis Innocentii monumentum est Forum Innocentianum in postica hujus Numismatis expressum. Hoc etiam *Curia Innocentiana*, & *Mons Citatorius* dictum fuit. De eo fusius egi in ejus vita pag. 393. & 394.

XIV.

INNOCENTIO XII. PONT. MAX. A. IV.
GASP. CARD. DE CARPINEA VRB. VIC.
ÆDIS D. MARIÆ DEVM NOBIS EXORANTIS PIORVM ELEEMOSYNIS FVNDAMENTA IACTA VETERI COMPRÆHENSO CVRA SACELLO IOSEPHI FARALDI IN FIGVLINIS VATICANIS IAMPRIDEM CONSTRVCTO AN. MDCXCIV.

A QVO CLASSIS ROMANA FÆDERATIS AD CHII EXPVGNATIONEM SVBSIDIO ADFVIT.

In antica Templum S. Mariæ ad Fornaces exprimitur; In postica vero vetus sacellum memoratur, à *Josepho Faraldo* olim extructum. Templum hoc Benedictus XIII. Fratribus Hispanis Redemptionis captivorum absolvendum, & inhabitandum una cum proximo Cœnobio dedit. Quum primum inibi lapidem jecerit *Cardinalis Carpineus* anno 1694. die 6. Septembris, quo classis Christianorum Principum pio fœdere Sociatorum ad Chii Insulam appulit; maximi B hinc moduli hoc Numisma cudi fecit. Cæterum fæderatæ classis, & Venetorum triumphos hoc anno de Barbaris relatos, superius recensui pag. 396.

XV.

INNOCENTIVS XII. PONT. MAX. A. IIII.
EGENORVM SVBSIDIO ET PVBLICO MERCIVM COMMODO. C

Postica Telonium exhibet ad ripam Tyberis, vulgo = *Dogana di Ripagrande* = nuncupatum, & hoc etiam ingens monumentum ab Innocentio XII. extructum est, ut dixi pag. 394. lit. B.

XVI.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
IMPETVS LÆTIFICAT.

D Memoratum Telonium iterum postica exhibet, ac prope illud Fluminis Tyberis effigiem coronatam cum cornucopiæ, & urna. Ideoque Annonæ ubertatem Pontificis beneficio in Urbem invectam significat.

XVII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. AN. V.
QVÆSTVS MAGNVS PIETAS CVM SVFFICIENTIA MDCIIIIC.

E Alterum Telonium in postica visitur *Dogana di Terra* nuncupatum. Et hoc pariter ab Innocentio extructum est, qui antiquis usus est fundamentis Basilicæ Antonini Pii Imperatoris, ut dixi pag. 394. lit. B., & fusius refert cl. vir Rodulphinus Venuti (*a*).

XVIII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
VIRTVS PROMOTA.

F Ignotos Innocentius, & solâ sibi commendatione virtutis acceptos viros, ad maximas dignitates, & ad Cardinalitiam Purpuram evexit, ut *Morigiam*, *Norisium*, pluresque alios. Hoc vero anno 1695. die 12. Decembris quatuordecim emeritos viros in sacrum Senatum invexit, ut dixi pag. 404., & in illorum quatuordecim Cardinalium.

Vita

(*a*) Numismata Rom. Pont. in Numismatibus Innoc. XII. num. XV.

A Vita. Virtutis symbolum postica numismatis pars exhibet in juvene alato, qui solem gestat in pectore, coronam dextera, lævaque hastam tenet; atque in exergo Artificis nomen habet *Ferdinand. de S.Urbain.*

XIX.

INNOC. XII. PONT. MAX.
VOTA PVBLICA.

Postica duas habet stantes mulieres, quæ junctis invicem dexteris palmæ ramum tenent, B & stemma Pontificium, sinistris vero libram, & facem arma comburentem. Pontificem propterea justum, & pacificum significare videtur; atque hac de caussa vota publica fortasse exprimit pro ejus incolumitate emissa. Porro quo studio, quave amoris sollicitudine cultus fuerit Innocentius dixi pag. 393. lit. C., ubi populi, ac præsertim C pauperum in eum benevolentia perenni testimonio recensetur.

XX.

INNOC. XII. PONT. MAX.
HÆREDITAS SANCTA.

Effusam, ut sæpius dictum est, in pauperes liberalitatem Pontificis numisma refert. Ideoque plures in postica pauperes conspi- D ciuntur, vel jacentes, vel genuflexi, qui larga manu a muliere stante stipe donantur.

XXI.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
SED MAIOR CHARITAS.

Alatus juvenis adest in postica, qui tres ollas ardentes gestat in manibus, media vero ex hisce ollis multo majorem emittit flammam. In his autem tres potissimæ Inno- E centii virtutes exprimuntur, spes, Fides, & Charitas. Charitas vero per majorem flammam expressa, virtus fuit Pontificis præcipua, & maxima.

XXII.

INNOCENTIUS XII. PONT. MAX. Inferius L.V.F.
OLLA SPEI MEÆ *Ps.59.*

Piam Pontificis spem postica exprimit, qua Ecclesiæ hostes conterere confidit; ideo- F que mulierem velatam exhibet dæmones conterentem, dexteraque olivæ ramum, ac Crucem tenentem, sinistra vero ollam offerentem Spiritui Sancto, cujus superne symbolum irradiatum cernitur.

XXIII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. A. VI.
ANNUNTIATE INTER GENTES.

Immanem pecuniæ summam quotannis pendebat Innocentius pro alendis Missionariis, aliisque Evangelii Ministris in qualibet orbis parte; atque uno die centum quinquaginta millium aureorum donavit Collegio Urbano de Propaganda Fide, ut fusius dixi pag.399. litt. F. Ideo plures Religiosi viri in postica adspiciuntur, quibus Pontifex in throno sedens, & Crucifixum illis ostendens eis bene precatur, ut longa aggrediantur itinera, & Christi annuntient veritates.

XXIV.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
ASSAGIUM GENERALE MDCLXXXXVIII.

Percuti solent hæc numismata in officina monetali ad pertentandam, probandamque auri, vel argenti bonitatem. In iis Pontificis effigies exprimitur, & Vexillum Ecclesiæ cum clavibus decussatis. Hæc postea S. R. E. Camerario, & Cameræ Apostolicæ Clericis distribui solent.

XXV.

INNOCEN. XII. PONT. MAX. A. VII.
FVNDAMENTA FIDEI CIϽIϽCIIC.

Imagines SS. Apostolorum Petri, & Pauli in postica expressæ, eorumdem Apostolorum præsidium significant pro Romanæ Ecclesiæ, Romanæque Urbis incolumitate.

XXVI.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
SVB TVVM PRÆSIDIVM MDCIC.

Beatissimæ Virginis Icon, quæ in magno atrio Quirinalis Palatii Pontificii conspicitur, in postica apparet.

XXVII.

INNOC. XII. PONT. MAX. A. VIII.
IVBILÆI SÆCVLARIS INDICTIO CIϽIϽCIC.

Porta Sancta, & Angelus duplicem gerens tubam, hunc indictionis Jubilæi pium ritum significat; eamdem tamen Portam Sanctam gravi morbo correptus per seipsum reserare non potuit, ut dixi pag.400.

XXVIII.

INNOCENTIVS XII. PONT. MAX. A. VIII.
HIC DOMVS DEI, ET PORTA CÆLI R. O. M. DEO PORTA HÆC PVBLICA IN ÆDEM SACRAM ERECTA SERENISS. DVCVM BRVNSVIC. LVNEB. &c. 1700.

Hoc numisma in Catalogo Vossiano refertur; sed in postica Clementem X. habet.

XXIX.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
APERI EIS THESAVRVM TVVM.

Idem ut supra.

XXX.

INNOC. XII. AN. IVB. MDCC.
INTROITE PORTAS EIVS.

Magna peregrinorum multitudo, item & supplicatio in postica exprimitur;

XXXI

INNOC. XII. PONT. MAX. A. IVB.
APERVIT DOMINVS THESAVRVM SVVM MDCC.

Ut supra.

XXXII.

INNOCEN. XII. PONT. MAX.
DOMVS DEI PORTA CÆLI in exergo 1700.

Licet in his numismatibus Pontifex appareat Portam Sanctam reserans; eamdem tamen Portam Sanctam per se ipsum non reseravit, ut dixi; multo minus clausit; obiit enim die 27. Septembris anni 1700., ut in ejus vita pag. 400.

XXXIII.

VENIT VENIA VENITE MDCC.
FELICITAS NOVI SÆCVLI = CONCORDES MANEANT.

Hoc numisma habetur in Catalogo Vossiano.

XXXIV.

SATVRNIA REDDIT.
PACAT. VR. NOVI SÆCVL. FEL. IVBI. ECCLESIA

In Catalogo item Vossiano refertur hoc numisma.

XXXV.

INNOC. XII. PONT. MAX. A. IVB. MDCC.
TV DOMINVS ET MAGISTER.

Pluries explicatum est hoc numisma, & ad exemplum Christi Servatoris, pedum peregrinorum lotionem significat.

XXXVI.

SEDE VACANTE MDCXCIX.
VENI LVMEN CORDIVM. inferius ROMÆ

Spiritus Sanctus adest in postica. Mortuo enim Innocentio XII. cusum fuit hoc numisma. Ideo pro anno 1699. legendus est an. 1700.

FINIS PRIMI TOMI.



14 SS. Giov. e Paolo

Illustrations


p. 18 Col. Traiana.

pp 22 & 26 V. Papa Giulia & V. Borghese.

p. 34. S. Stefano Rot.

p. 75. Pte Nomentana

p. 251.





S. A. DON CESARE TITO FLAVIO
VESPASIANI - DOPPIOZANI - MUCCAVACCA
MLXIX PRINCIPE MUCCAVACCA
CCCXXX DUCA DI PARONCINO CLX DUCA
DI ALTO PICCINNI XI DUCA DI BASSO
PAISIELLO MLXIX BARONE DI MONTE SORACTE
MLXIX MARCHESE DEL CLOACA MINIMA &c &c
PR. S. I. R. GR. HISP. CAV. PERP STOLA D'ORO
REP. VEN. &c &c &c. FILIO DELLA S. A. DON
FU CESARE TITO &c. MLXVIII PRIN. MUCCAVACCA
C. M. E DELLA S. A. DONNA BRIGHELDA PRSA. MUC.
NATA RITTBERG - ROTTBERG - RETTBURG PRSA. BOELFLUGBUNG
DSA. SEXE - ASSIA - OSSIA Y OSTIA - BAGNOBARCA - COHEN.